Italy

~~Catholic~~ Church

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

ARCHIEPISCOPI LAODICENSIS

EIUSDEM CONGREGATIONIS CONSULTORIS

Vol. VII.

(Supplementum et Index)

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXCVIII.

IUS PONTIFICIUM

DE PROPAGANDA FIDE

SS. D. N. LEONIS XIII. P. M.

IUSSU RECOGNITUM

iuslibet ipsorum arbitrio disponere valeant ad instar cameralium, eisdem auctoritate et tenore eximimus et liberamus, ac liberos et exemptos esse volumus.

Panisque portionem dietim a palatio apostolico habendam assignat.

§ 3. Insuper eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, eorum singulis unam portionem panis, honoris nuncupati, ex palatio apostolico dietim habendam, percipiendam et consequendam, auctoritate et tenore praedictis concedimus et assignamus.

Notarios creandi facultatem tribuit,

§ 4. Ac illis et eorum singulis, ut tres viros, vitae ac morum probitate, aliisque virtutum donis commendatos, qui nostris et Sedis Apostolicae obsequiis insistere proponant, in nostros et eiusdem Sedis notarios auctoritate nostra apostolica recipiendi et admittendi, ac aliorum nostrorum et Sedis praedictae notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi;

Eorumque privilegiis (exceptis hic descriptis) gaudere, etiam absque delatione habitus, ipsis indulgendi;

§ 5. Illisque, ut, etiamsi habitum et rocchettum non deferant, nihilominus omnibus et singulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis, indultis, praeeminentiis, exemptionibus et praerogativis quibus alii nostri et dictae Sedis notarii, tam de iure quam de consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, similiter uti, frui et gaudere possint et valeant (sine tamen aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum de numero participantium praeiudicio, et citra exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, quibus notarii ab illis vigore praesentium creandi nullibi uti valeant, et si secus ab eis fieri contigerit, irritum et inane existat) indulgendi;

Necnon creandi milites auratae militiae cum suis privilegiis.

§ 6. Necnon etiam alios octo viros habiles et idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos, auratae militiae equites eàdem auctoritate creandi et deputandi, illosque aliorum militiae huiusmodi equitum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ac eisdem, ut torquem aureum, ac ensem, et aurata calcaria gestare, omnibusque et singulis privilegiis, gratiis, indultis et praerogativis, quibus alii equites huiusmodi utuntur, potiuntur et gaudent, similiter uti, potiri et gaudere valeant (citra tamen exemptiones a dicto Concilio sublatas) concedendi, facultatem auctoritate et tenore praemissis impertimur.

Collegii facultas condendi et immutandi statuta ipsius collegii.

§ 7. Ac ulterius eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et eorum singulis, ut in his, quae ad eorum collegium pertinere iudicabunt, quaecumque statuta, capitula, et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, facere et edere, illaque pro tempore, prout expedire cognoverint, mutare, corrigere et in melius reformare;

Indultum celebrandi et audiendi missam in oratoriis domesticis vel destinandis cum declaratione satisfaciendi praecepto audiendi missam in ecclesiis.

§ 8. Necnon, pro spirituali eorum consolatione, in privato domus cuiuslibet illorum, etiam in alma Urbe nostra existentis, oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato seu extruendo et ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eàdem Urbe Vicarium in spiritualibus generalem prius visitando et approbando, unam missam pro uno quoque die, et, dummodo in domo huiusmodi celebrandi licentia alteri concessa non fuerit, per se ipsum celebrare, seu per quemcumque sacerdotem approbatum, secularem vel de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac quoad eos, qui extra Urbem fuerint, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua ac cuiuslibet eorum familiae praesentiâ celebrari facere, ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii ibidem missae interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesiâ diebus festis de praecepto minime liberi censeantur;

Aliud indultum circa resignationes et permutationes beneficiorum ad summam quingentorum ducator. auri de camera non excedentium (1).

§ 9. Praeterea eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas illis et eorum singulis super mensarum abbatialium, seu capitularium, ac episcopalium et archiepiscopalium, ac quorumcumque alio-

(1) De forma resignandi beneficia, resignationesque publicandi habet const. Gr. XIII. *Humano vix iudicio.*

rum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac quorumvis Ordinum et Militiarum regularium, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus ac distributionibus, etiam quotidianis, ipsis nunc et pro tempore reservatas, assignatas, ac reservandas et assignandas, pro summâ videlicet quingentorum ducatorum auri de camerâ quoad singulos eorum, quandocumque alicui eorum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet eorum mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per eos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, seu clericali saltem charactere insignitis, et aliàs pensionum huiusmodi capacibus, etiam eis quoad vixerint vel eorum procuratoribus ad id ab eis speciale mandatum habentibus, iisdem modo et forma, quibus eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac eorum singulis reservatae et assignatae fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium desuper praestando, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvendas reservare, constituere et assignare valeant, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas disponendi de quibuscumque bonis usque ad summam mille ducatorum auri de camerâ ad favorem hic descriptorum.

§ 10. Necnon eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac eorum singulis, ut de omnibus et singulis dominiis, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus (quae tamen non sint altaris vel altarium ecclesiarum illis et eorum cuilibet pro tempore commissarum, seu alicui speciali earum servitio vel ministerio aut aliàs divino cultui vel usui dedicata, seu ad eius usum confecta) seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, et patriarchalium ecclesiarum, quibus hactenus praefuerunt, et ad praesens praesunt, necnon ad quas eos forsan deinceps transferri, et quibus eos praefici et praeesse contigerit, necnon monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum, ac aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerunt, obtinent et obtinebunt, ac fructuum, redditaum et proventuum ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum, super similibus fructibus, redditibus et proventibus, eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac eorum singulis reservatorum et assignatorum, ac reservatarum et assignatarum, reservandorum et assignandorum, reservandarumque et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac alias quomodolibet (1) spectantibus et pertinentibus, necnon eorum et cuiuslibet eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs, etiam de muneribus et officiis, quae exercuerunt, ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causa seu contemplatione ad eos perventis et perventuris, etiam si in pecunia numeraria, ac iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta curia quam extra eam ubique locorum et penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis

(1) Heic addendum videtur *ad eos*.

et declaratis haberi volumus) usque ad summam mille ducatorum auri de camerâ, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui illis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et eorum singulorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, et alias pro arbitrio et voluntate eorum et cuiuslibet eorum (absoluto (1) prius tamen de omnibus bonis praedictis aere alieno, et iis, quae pro restaurandis domibus seu aedificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum per eosdem Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, ac eorum singulos obtentorum culpa aut negligentia eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum ac eorum singulorum aut illorum procuratorum destructis vel deterioratis, necnon recuperandis aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis ex culpa vel negligentia supradictis, fuerint opportuna, deductis, et sine praeiudicio litterarum seu constitutionum apostolicarum super residentiâ editarum, et iurium Camerae Apostolicae quoad bona iurisdictionalia) testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causa mortis, ac aliis quibuscumque modis et titulis, scriptura etiam minus solemni, coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu illorum scripta vel subscripta, ac alias in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa curia et in mortis articulo, etiam nulla facta mentione praesentis, vel aliarum illis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum, aut pluries statuere, disponere ac ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, vel alias dispositum ab eis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias, omni meliori modo valeat et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere, libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis plenam et liberam concedimus facultatem.

Defectus super eisdem dispositionibus, quoscumque supplet.

§ 11. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et alia de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favore consanguineorum et affinium praedictorum, ac alias quomodolibet ab eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et eorum singulis facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per illos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis et specifica de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra molestantes.

§ 12. Districtius inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon Camerae praedictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae, ac aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, ne universitates, collegia, ac loca, legatarios, haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praedictos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquomodo vel perturbare.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac decernentes, praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, ac omnia et singula in illis contenta, necnon testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt, aut earumdem praesentium vigore fieri contigerit, tam vigore praesentis quam aliarum concessionum illis factarum, ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, valida, firma et efficacia fore, necnon perpetua firmitate subsistere, suosque plenarios ac omnes effectus sortiri et obtinere; nec etiam per translationem ad metropolitanas vel patriarchales

(1) Edit. Main. legit *absolutis*.

ecclesias, vel quamlibet aliam status et personae ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum ac eorum singulorum respective mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias illis concessas et concedendas confundi; sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et si quid in una ex facultatibus huiusmodi defecerit, id per aliam suppleri debere; nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quae, bona, iura et actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut exequutores praedictos ad tertiam seu aliam eorum partem (quam etiam ex nunc illis, ac locis, haeredibus, legatariis ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus) camerae, vel fabricae, aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles, et quibuslibet aliis quantumlibet piis usibus solvendum, aut cum iis desuper componendum, vel ipsos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et eorum singulos, ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia sive eius confirmatione illis quomodocumque concedenda de praesenti mentionem aliquam faciendum teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse;

Decretum irritans.

§ 14. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, nec non pro tempore existentes eiusdem Camerae camerarium, praesidentes et clericos, in quavis causa et instantia, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores praesentius constitutionis deputat.

§ 15. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi Episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ipsorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac eos illis omnibus pacifice frui et gaudere, non permittentes illos per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra praesentium earundem tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati de certo eorundem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, et de consensu praestando in pensionibus, et quibuscumque aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et imposterum edendis Cancellariae Apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri VI., tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Camerae praedictae deberi inter alia disponente, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, collegiorum, militiarum et officiorum dictae curiae, ac Urbis, aliarumque civitatum et locorum ac Camerae praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitali, illorumque praesulibus, ac superioribus, magistris, praeceptoribus, ac militibus, capitulis quoque, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, nec non illorum communitatibus, ac etiam vectigalis vini huiusmodi exactoribus et appaltatoribus, seu redemptoribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, etiam de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis (etiamsi in eis ac statutis praedictis caveatur expresse, quod exactores et appaltatores vectigalis praedicti vectigal huiusmodi etiam ab exemptis exigere, ac illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eorum institutione quam ex stabilimentorum dispositione, pensionibus, clericis secularibus et aliis personis etiam apostolica auctoritate reservandis, gravari non possint; quodque stabilimentis ac privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiamsi per quascumque litteras apostolicas, ac quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et conventui praedictis (1) per diversas in forma Brevis et alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non alias, nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient etiam de simili consilio, derogationibus (2) sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non alias, nec alio modo); quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere vel in specie ad effectum praesentium sufficienter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nomina assistentium cappellae quibus haec privilegia conceduntur.

§ 17. Volumus autem, et apostolica auctoritate decernimus, quod privilegia huiusmodi infrascriptis assistentibus dumtaxat suffragentur. Nomina autem assistentium praedictorum sunt haec, videlicet: Ascanius Constantinopolitanus et Deiphebus Hierosolymitanus, patriarchae; Petrus Ardmacanus, Galeatius olim Barensis, Attilius Athenarum, Ulpianus olim Theatinus, Paulus Aemilius Amalphitanus, Dominicus Ianuensis, Philibertus Taurinensis, Andreas Messanensis, et Alphonsus Rhodiensis, archiepiscopi; Marinus Brixiensis, Paulus olim Iserniensis, Berlingerius olim Ariminensis, Iacobus Vercellensis, Antonius Vigiliensis, Petrus Antonius Troianus, Ioannes Baptista Nolanus, Antonius Casertanus, Alphonsus Anglonensis, et Ioannes Vincentius Tagastensis, Tiberius Esinensis, Isidorus Astensis, et Carolus Montis Regalis, episcopi.

Transumptis fidem dari mandat.

§ 18. Volumus etiam ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. aug. MDCXXII., pontificatus nostri anno II.

II.

Confirmat et ampliat constitutionem Clementis VIII. circa novorum conventuum regularium erectiones (3).

GREGORIUS PP. XV.

Enunciatur tenor const. Clementis VIII.

§ 1. Cum alias felicis record. Clemens Papa VIII. decreverit, Ordinarios locorum

(1) Edit. Main. legit *derogationes*.

(2) Edit. Main legit *praedictis conventui*.

(3) En const. Clem. VIII. qua decernit quando locorum Ordinarii regularibus licentiam possint impertiri novos conventus construendi (*):

CLEMENS PP. VIII.

ad futuram rei memoriam.

Causae huiusce declarationis.

Quoniam ad institutam regularium locorum et personarum reformationem promovendam et con-

(*) *Hanc facultatem, Sedi Apostolicae antea reservatam a Bonifacio VIII. in cap. 1* de excessib. Praelat. in 6, *Ordinariis postea concessit Concilium Trident. sess.* XXIV., *cap.* III.

licentiam ad novos conventus cuiuscumque, praesertim mendicantium, Ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impartiri non posse, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus, seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento, commode sustentari posse, constiterit; si vero ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quamdiu a dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, nec alias, prout in decreto huiusmodi plenius continetur:

Decretum Cardinalium praepositorum negotiis regularium Gregorius innovavit.

§ 2. Verum per piae memoriae Paulum Papam V accepto, plerosque ex Ordinariis praedictis, favore vel nimia exposcentium importunitate ad novos conventus seu domus, praeter et contra tenorem praedicti decreti, erigendos plerumque adduci, quo fit ut, non habita debita eleemosynarum seu reddituum cuiuscumque monasterii, conventus, seu domus ratione, monachi, seu fratres, aut religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat; Sacra Congregatio illustrissimorum DD. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores ac totos tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur (1), pro plene et sufficienter expressis habens, vivae vocis oraculo a SS. D. N. Gregorio Papa XV habito, decretum praedictum, quatenus opus sit, innovat et in usum reducit:

Ampliavitque et extendit.

§ 3. Volens, quod de cetero monasterium, conventus, domus, congregatio, vel societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscumque, etiam mendicantium, Ordinis, societatis et instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque civitate, vel oppido, seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac priores seu procuratores aliorum monasteriorum, conventuum seu

---

servandam maxime pertinet, ut in quibusque domibus et monasteriis is tantum numerus Religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat ut in quibusque civitatibus et locis novae domus et monasteria, praesertim mendicantium, non erigantur, nisi in eisdem civitatibus et locis, aliarum domorum et monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur:

Ordinarii licentiam Regularibus concedendi novas domos concedere nequeunt, nisi constiterit eas posse sustentari.

§ 1. Hac igitur nos consideratione ducti, et in praemissis pro nostro pastorali munere opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium praepositorum, harum serie declaramus locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos conventus cuiusque mendicantium Ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causâ servatis servandis cognitâ constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento, commode sustentari posse.

Regulares tenentur possunt appellare ad Sanctam Sedem a sententiis Ordinariorum.

§ 2. Si vero ab eorum in huiusmodi causis sententiis ad nos et Apostolicam Sedem provocari et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quousque a nobis et Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Commissio Ordinariis hanc observandi constitutionem.

§ 3. Quocirca universis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per praesentes in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus ut praesentes nostras litteras observent et observari curent et faciant.

Non obstantibus quibuscumque.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in universalibus, provincialibus, synodalibus Conciliis editis generalibus vel spiritualibus (*) constitutionibus et ordinationibus, ac quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCIII., pontificatus nostri anno XII.

(1) Edit. Main. legit *inserentur*.

(*) *Videtur legendum* specialibus.

domorum aliarum religionum vel congregationum aut societatum seu institutorum huiusmodi non solum in praedictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, conventus, seu domus regularis, sic erigendi seu erigendae, absque detrimento religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse. Si vero novi conventus, domus, congregatio vel societas huiusmodi instituendae erunt, nullique alii regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an (1) locorum incolae et habitatores, quorum et consensum requirant ac adhibeant, huiusmodi duodecim religiosos in conventibus, ut praemittitur, instituendis, commode alere et manutenere valeant.

Appellationem a decretis, desuper ferendis per locorum Ordinarios, ad dictam congregationem spectare, eaque pendente nihil innovari decrevit.

§ 4. Si vero a decreto seu decretis per Ordinarios praedictos in causis huiusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eamdem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque huiusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Romae, XVII. augusti MDCXXII.

III.

Congregationi de Prop. Fide emptionem concedit, iuxta modum, CCL. *Locorum Montis Annonae* (2).

GREGORIUS PP. XV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper a Nobis emanavit Chirographum manu nostra subscriptum, videlicet:

Avendo la Congregazione di Propaganda Fide, e per lei li suoi Deputati trattato e risoluto di comprar luoghi doicentocinquanta del Monte dell'Annona vacabile, e non potendo ciò fare senza licenza nostra per essere il detto Monte di sua natura vacabile, spirati che saranno li quattro anni della non vacanza concessa nella sua erettione, ci hanno però supplicato per la detta licenza, e volendo Noi fargli favore e gratia, acciò più facilmente possi fare li frutti suoi: Di qui è che di nostro moto proprio certa scientia e pienezza della nostra assoluta potestà, per tenor del presente chirographo concediamo licenza, e diamo ampla facoltà alla detta Congregatione, e per essa alli suoi officiali, Deputati e Ministri, che possino comprare in una, o più volte, e ritenere sino alla quantità di luoghi doicentocinquanta del detto Monte dell'abbondanza vacabile da Noi eretto, e istituito, non ostante, che il detto Monte per natura sua doppo quattr'anni dal giorno della erettione sia vacabile, e ordiniamo al segretario di detto Monte, che riceva le risegne in una, o più volte sino alla detta quantità di detti luoghi doicentocinquanta, e gli ne spedisca le solite patenti, che tale è mente nostra; Non ostante la nostra Bolla sopra la erettione di detto Monte, alla quale per questa volta deroghiamo. Volendo, e decretando, che se occorresse che mai per tempo alcuno il detto Monte dell'Abbondanza vacabile si riducesse a non vacabile, o altrimente si sminuissero li frutti di esso, nientedimeno per detta rata di luoghi doicentocinquanta resti con l'istessi assegnamenti e frutti di scudi otto per luogo, e per la medesima rata di luoghi doicentocinquanta s'intenda, e non sia ridotto, e nientedimeno seguendo in qualsivoglia modo la estintione di detto Monte, non s'intenda mai estinto per la sopra detta rata, se nelle lettere della estintione non si faccia mentione, e derogatione della presente gratia, e che la presente gratia vaglia con la semplice nostra sottoscrittione del presente chirographo, e nonostante che non sia ammessa e registrata in Camera, con forme alla Costitutione di Pio IV. nostro predecessore *De registrandis*, alla quale parimente per questa volta deroghiamo, e nientedimeno che ad ogni richiesta della detta

---

(1) Perperam edit. Main. habet *ac*.
(2) Ex Tab. Congr. *Carte riferite — Stato temporale*, vol. I., p. 25.

Congregatione in ogni tempo se ne possino spedire nostre lettere in forma di Breve.

Dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo li XXII. di settembre MDCXXII.

GREGORIUS PAPA XV.

§ 2. Nunc autem Chirographi huiusmodi et in eo contentorum firmiori subsistentiae et validitati quantum cum Domino possumus consulere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, Chirographum scriptum, et in eo contenta huiusmodi tenoris praesentis approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis et praedicto Chirographo contenta valida, firma, et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtineri, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in Chirographo huiusmodi voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV. septembris MDCXXII., pontificatus nostri anno II.

URBANUS PAPA VIII.

An. C. 1625

I.

Indultum pro Fratribus S. Francisci de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium existentibus, quod de suorum superiorum licentia a quocumque catholico Antistite, de consensu Dioecesani, ad omnes etiam presbyteratus ordines extra tempora et non servatis interstitiis promoveri possint (1).

URBANUS PP. VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Causae concedendi indulti.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Commissarius in Romana Curia generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum nobis exponi fecit, eiusdem Ordinis S. Francisci professores, in Indiarum occidentalium partibus commorantes, assidua in sacramentorum ecclesiasticorum administratione, continuisque verbi Dei praedicationibus et aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vinea Domini fructus inibi afferant; et propterea, quo ipsi Fratres dicti Ordinis S. Francisci in dictis partibus commorantes in piorum operum huiusmodi exercitio utilius et melius continuare valeant, eisdem Fratribus per nos desuper indulgeri summopere desideret:

Indultum de quo in rubrica.

§ 2. Nos, eiusdem Commissarii generalis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac domorum seu conventuum Ordinis Fratrum S. Francisci in eisdem partibus existentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Commissarii generalis nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis eiusdem Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum occidentalium huiusmodi tantum existentibus expresse professis, ut de superiorum suorum licentia a quocumque, quem maluerint, catholico Antistite gratiam et concessionem (2) Apostolicae Sedis habente in propria dioecesi residente, vel in aliena de Dioecesani loci consensu pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique circulo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus susceptis, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, dummodo tamen ad id idonei reperiantur, et servatis alias servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus ac facultatem impartimur.

Derogatio obstantium.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Gregorii XIII. et Gregorii XIV. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXX. iunii MDCXXV., pontificatus nostri anno II.

---

(1) De his fratribus vide const. Leonis X. *Ite et vos.*
(2) Forsan legendum *communionem.*

II.

Litterae Urb. VIII. ad sulthanum Segued, imperatorem Abyssiniae.

URBANUS PP. VIII.

Sultano Seguedo, imperatori Aethiopiae, salutem et apostolicam benedictionem (1).

Nili fluminis impetus laetificat hoc tempore civitatem Dei, et ex sitientibus Aetiopiae campis asportantur ad regiam Beati Petri fructus digni conviviis angelorum.

§ 1. Nihil enim tam pretiosum aut tam mirandum mittere huc potest parens divitiarum oceanus et ferax portentorum Africa, quod Roma, christianitatis mater, non posthabeat litteris maiestatis tuae; eas certe scriptas ad felicis recordationis Gregorium XV. nos ipsi legimus, quos, licet meritis impares, in eius locum Spiritus Sanctus vocavit. Lachrymas prae gaudio cohibere non potuimus, audientes universum fere imperium, Aethiopico regnatori subiectum, obtemperare legibus Romani pontificatus. O te felicem, qui dominator nationum et triumphator hostium, trophaeum crucis Christi potuisti in arcibus tuarum provinciarum extollere! Plantasti plane coelos in regnis istis, dum tanti imperatoris gratia quaeritur professione catholicae veritatis. Perge, charissime fili noster, favente Domino et plaudente Roma, in eorum principum societatem, quos tamquam propagatores regni coelestis colit plausibus generis humani immortalis memoria.

§ 2. Quamvis enim ultra solis vias in regiones veteri formae non bene notas secesserit regnum maiestatis tuae, interest tamen spectaculo regalium facinorum senatus apostolicus, qui multas christianae reipublicae nationes complectens, dat in hoc orbis theatro multiplices plausus iis victoriis, quibus et coercuisti perduellium temeritatem et inferorum cornua confregisti: nos, in hoc solio maiestatis omnipotentis vicario, quod, submissis fascibus et flexo genu, christiani reges adorant, oculos apostolicae sollicitudinis convertimus in maiestatem tuam, tibique commilitones angelos et triumphatores exercitus ab Altissimo, regnantium arbitro, precamur. Scimus, quid istic conetur infernus. Vidisti legiones, diabolo addictas, pugnare contra sceptrum crucis, quo dextera maiestatis tuae communitur. Exacuunt, ut gladium, linguam suam cultores perversorum dogmatum, et pabula salutis conantur inficere venenis impietatis. Sume spiritus dignos Davidico stemmate, de quo genitrix Aethiopiae domus dicitur gloriari. Cum consisterent adversum eum sanctissimum regem castra, ille in Deo sperabat, et plane experiri potuit nomen Domini esse turrim David, aedificatam cum propugnaculis, quam coelestis exercitus custodit, et castrensis victoria concelebrat. Ita prorsus est, ut scribis, charissime fili, pestes patriae et perturbatores populorum isthic, favente Deo, non dominabuntur.

§ 3. Nos quidem tibi optimo fratri, regiae soboli populisque fidelibus apostolicam benedictionem amantissime impartimur, et arma lucis e sanctuario divinitatis assidue flagitabimus. Iam vero pontificiis clavibus reseramus thesauros coelestis indulgentiae, cuius salutaribus divitiis volumus in praesentia Aethiopicam Ecclesiam ditari; obnixe autem postulabimus a potentissimo Hispaniarum rege, ne unquam patiatur a te frustra peti Austriacae potentiae auxilium. Complectimur te brachiis apostolicae charitatis, fili charissime, quem in corde gerimus, quem semper pontificatus nostri patrocinio decorabimus. Patriarcham Aethiopiae duosque socios Episcopos dum regali pietate veneraberis, et caeteris exemplum praebueris, sacerdotii colendi et sacrorum Antistitum ad gregem istum pascendum exacues sollicitudinem.

§ 4. Denique si omnino christiana fides, quae regnorum tutela est, in Aethiopico imperio triumphabit, poterimus tibi gratulari obsequium populorum, qui numquam a religioso principe desciscunt, dum militant sub vexillo crucis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die I. februarii MDCXXVII., pontificatus nostri anno IV.

III.

Iubilaeum christifidelibus, in Aethiopiae imperio commorantibus, conceditur.

(1) Hieronymus Lobo, *Relation historique d'Abyssinie* (edidit Le Grand), Paris MDCCXXVIII., pag. 503.

URBANUS PP. VIII.

ad futuram rei memoriam (1).

Pastoralis officii, nobis divina Providentia commissi, res exigit, ut de salute Dominici gregis solliciti, ad eos christifideles mentis nostrae aciem et paternae charitatis affectum praecipue dirigamus, quos in partibus ab hac Sancta Sede remotissimis constitutos, spiritualibus commodis et gratiis carere cognoscimus.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes christifideles in Aethiopia ac aliis locis, charissimi in Christo filii nostri sulthani Sagued, Aethiopiae imperatoris, dominio subiectis, commorantes, ob maximam ab alma urbe nostra distantiam, aliaque legitima impedimenta ad eandem urbem pro percipiendis spiritualibus anni iubilaei proxime praeteriti fructibus accedere non potuisse, et proinde super eorum statu in intimis animi et misericordiae visceribus commoti, eos speciali indulgentiarum ac iubilaei munere consolari volentes, supplicationibus quoque dicti sulthani imperatoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus illarum partium christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, quod unam seu plures ecclesias vel loca pia, per venerabilem fratrem Patriarcham Aethiopiae deputanda, per quindecim dies continuos vel interpolatos, etc., visitantes, etc., plenariam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem semel tantum consequantur, perinde ac si quatuor ecclesias dictae almae urbis pro consequendo iubilaeo huiusmodi statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent.

§ 2. Et ad hunc effectum illis, ut confessarios, etc. (Christifidelibus facultas conceditur eligendi confessarios, qui eos ab omnibus peccatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, absolvere possint).

§ 3. Necnon, ut et illi, qui Romam forsan venerunt, ac iubilaeum ipsum quovis modo consequuti sunt, denuo etiam illud, iuxta tenorem praesentium, consequi valeant, concedimus.

§ 4. Praeterea eidem Patriarchae, ut cuiusvis ordinis monialibus, et orphanorum aliarumque mulierum in communi viventium congregationibus ad iubilaeum ipsum intra monasterium, domosve suas consequendum conditiones, modum et tempus praescribere, et denique in praemissis omnibus et singulis illius arbitrio facere, ordinare, providere et quaecumque sibi visa remedia opportuna adhiberi possit, prout animarum saluti expedire iudicaverit, facultatem tribuimus et impertimur. Praesentes ad tres menses, a die illarum publicationis computandos, tantum valituris.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XXXI. aug. MDCXXVII., pontificatus nostri anno V.

IV.

Epistola ad Basilidem, filium imperatoris Aethiopiae primogenitum.

URBANUS PP. VIII.

Dilectissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem (2).

Opulentia Nili fluit ad gloriam nominis tui, et filius Aethiopici imperatoris adolescis in spem potentissimi principatus. Intellexisti tamen, Deo docente, te miserrimum fore, nisi fluenta evangelii e catholicae Ecclesiae fonte potares, nisi Beatum Petrum in Romano pontificatu colens, nuncupareris et esses filius Dei, cuius patrimonium atque opificium est universa coeli terrarumque compages. Plaudit in Romana Ecclesia pius regnantium sacerdotum et obsequentium nationum chorus, christianis virtutibus soboli

(1) Coquelines, tom. VI., pars I., pag. 80.
(2) Vide *Vivit Deus*, huiusce *Iuris* vol. I., pag. 103; et, hic retro pag. 15, *Nili fluminis*.

in Aethiopia imperaturae. Porro autem gaudet tibi regnum parari, e quo triumphalis pater, volens sceptrum imperii haberi virgam directionis et frameam Dei, profligat synagogas Satanae. Domestica tantae virtutis imitatione eruditus, in ea statione excubas, in quam convertuntur oculi coeli et terrae, exigentes a tuo ingenio consilia, quae habeantur lumina Spiritus Sancti et fulmina coelestis ultionis.

Ita est, dilectissime fili; conquiescere in paterna regia non debes, donec Aethiopia universa ad pedes Beati Petri procumbat, et in Vaticano inveniat coelum. Doctrina enim Pontificum fiet isthic non modo spes salutis, sed etiam anchora tranquillitatis et tutela principatus. Complectimur te brachiis apostolicae dilectionis, coronatum scuto bonae voluntatis, dilectissime fili, cui obsequentes populos et faventes coelites inter armorum trophaea et gaudia foelicitatis precamur, tibique paternam benedictionem nostram, intimo cordis affectu, impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. dec. MDCXXX., pontificatus nostri anno VIII.

V.

Ampliatio constitutionis Pauli V. super simplicibus votis quae professi Societatis Iesu emittunt post professionem solemnem circa paupertatem et acceptationem dignitatum extra religionem edit., qua illorum votorum dispensationem sibi et pro tempore Romano Pontifici reservavit, ad eorundem commutationem et relaxationem: insuper declaratio, quod in dicto voto de dignitatibus extra Societatem comprehenduntur etiam dignitates seculares et officia secularia, quae iurisdictionem habent extra Societatem.

URBANUS PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Vota, quae Deo fiunt, omnino reddi debent, et praesertim si in manibus superiorum emittantur per religiosos, qui tanto plus ceteris tenentur opere, quanto plus promiserunt professione. Unde Romanus Pontifex, inter maximas apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio iugiter incumbit, ut religiosi ipsi reddant Domino vota sua in sanctitate et iustitia coram ipso.

Indicatio constitut. Pauli V.

§ 1. Quapropter a felicis recordationis Paulo V. praedecessore nostro circa vota clericorum et presbyterorum Societatis Iesu emanarunt litterae tenoris sequentis:

PAULUS PAPA V.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex incumbenti nobis pastoralis officii debito ad ea sedulo intendimus, per quae religiosorum Ordines, in militanti Ecclesia ad divini nominis laudem et gloriam animarumque salutem pie recteque instituti, sub salubribus eorum regulis et constitutionibus perseverent, ac maioribus in dies in Dei obsequio et sanctitate vitae proficiant incrementis.

Supplicatio generalis Societatis.

§ 1. Sane dilectus filius Mutius Vitellescus, Societatis Iesu praepositus generalis, nobis nuper exponi fecit, quod clerici regulares eiusdem Societatis, qui ad solemnem professionem in dicta Societate admittuntur, post emissam professionem huiusmodi, ut (1) inter alia infracripta simplicia vota emittere consueverunt, verbis sequentibus, videlicet:

Formula, quae adhibetur in emissione votorum.

§ 2. *Ego N., professus Societatis Iesu, promitto Deo omnipotenti, coram eius Virgine Matre et tota Curia caelesti, et coram R. P. praeposito generali* (vel *coram N. locum praepositi generalis tenente*) *numquam me acturum quacumque ratione, vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in constitutionibus Societatis immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis: promitto praeterea, numquam me curaturum praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.*

Commendatio emissionis votorum.

§ 3. Cum vero vota huiusmodi laudabilibus praedictae Societatis institutis convenientia sint, nos ad eximios et uberes fructus, quos eiusdem Societatis clerici in agro dominico in dies faciunt, considerationis nostrae dirigentes intuitum, ne So-

(1) Particula *ut* praeter rem videtur.

cietas praedicta processu temporis aliquod in spiritualibus detrimentum faciat, quantum cum Domino possumus, providere volentes, supplicationibus eiusdem Mutii praepositi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Dispensatio spectat ad Pontificem.

§ 4. Quod de cetero perpetuo (1) futuris temporibus cum clericis eiusdem Societatis super votis praedictis nisi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari nullatenus possit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, decernimus et ordinamus, ac facultatem super votis praedictis dispensandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus;

Annullat dispensationes aliter factas.

§ 5. Decernentes, quascumque votorum praedictorum dispensationes contra praesentium tenorem quandocumque faciendas, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti;

Praecipit observantiam constitutionis.

§ 6. Praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere;

Ac ita et non aliter declarari statuit.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Removet obstantia.

§ 8. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. ianuarii MDCXVIII., pontificatus nostri anno XIII.

Urbanus explicat causam novae suae constitutionis.

§ 2. Et licet praeinsertae litterae hactenus inviolabiliter observatae fuerint, nihilominus, quia (sicut dilectus filius Mutius Vitellescus, eiusdem Societatis praepositus generalis, nobis nuper exponi fecit) a nonnullis dubitetur (2), praepositum generalem dictae Societatis pro tempore existentem, vel quemlibet eius superiorem etiam legatum Sedis Apostolicae, etiam de latere, seu nuncium facultates praedicti legati habentem, vel quemcumque alium superiorem, potuisse et posse, saltem in foro conscientiae, cum praedictis clericis et presbyteris Societatis praedictae super praeinsertis votis, et praecipue super dicto voto non procurandi nec acceptandi extra ipsam Societatem praelaturam vel dignitatem, dispensare, seu praedicta vota relaxare et commutare:

Admonet religiosos Societatis de illorum statu, ac emissione votorum.

§ 3. Nos, volentes quaecumque dubia de medio tollere, ac attendentes servitio Dei et praedictae Societatis quieti valde expedire, ne ipsius societatis religiosi, qui praedicta vota emiserunt, immemores eorum professionis, qua contemptis honoribus, abiectis divitiis, spretisque deliciis, arbitrium proprium alterius ditioni subiugarunt, retro aspiciant ad aratrum manum mittentes, ut solium praelaturae seu dignitatis extra eorum religionem conscendere moliantur,

Confirmat Paulinam constitutionem et ex certa scientia innovat.

§ 4. Supplicationibus eiusdem Mutii praepositi nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras Pauli praedecessoris nostri, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, et, quatenus foret opus, etiam ex nostra certa scientia innovamus.

Nemo, qui habet generalem facultatem dispensandi, commutandi, relaxandi vota, potest suam facultatem exercere quoad vota Societatis Iesu: sed dicta omnia sunt reservata Summo Pontifici.

§ 5. Praeterea super votis praedictis, et praecipue super illo de non procuranda nec acceptanda extra Societatem praedictam dignitate vel praelatura, neminem etiam de latere legatum, nuncium, et quemcumque alium, etiam speciali nota dignum, potuisse vel posse, etiam vigore quarumcumque facultatum generalium super votis dispensandi, commutandi et relaxandi, a nobis et Romanis Pontificibus, etiam ad supplicationem seu contemplationem imperatoris, regum, aliorumque sublimium principum, etiam motu proprio, certaque scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, etiam vigore cuiuslibet iubilaei, vel cruciatae, seu missionum, et alias quovis modo et quacumque causa, quantumlibet pia, favorabili, publica et privilegiata, concessarum et concedendarum, potuisse nec posse, tam in foro conscientiae quam in foro exteriori, vel alias quomodolibet, cum praedictis clericis et presbyteris Societatis praedictae super praedictis votis, et praesertim super praefato voto de praelatura et dignitate ecclesiastica extra ipsam Societatem non acceptanda nec assequenda, dispensare, nec praedicta vota commutare vel relaxare, sed huiusmodi dispensationem et commutationem vel re-

(1) Videtur legendum *perpetuis*.
(2) Legendum *dubitatur*, aut antea *cum* pro *quia*.

laxationem dumtaxat nobis et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus reservatam fuisse et esse declaramus.

In voto de non acceptando dignitates extra Societatem, comprehenduntur dignitates et officia secularia, quae iurisdictionem habent.

§ 6. Insuper, cum a sacris canonibus prohibitum sit omnibus personis ecclesiasticis, et praesertim regularibus, ne officia secularia acceptent et exerceant, negotiisque secularibus se immisceant, tenore praesentium nedum praelationes seu dignitates ecclesiasticas extra ipsam Societatem existentes, sed multo magis seculares quascumque (1), ac quaecumque officia, quorum officiales iurisdictionem ecclesiasticam vel laicalem de iure, usu vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent, sub praedicto voto et prohibitione huiusmodi comprehensa fuisse et esse ac comprehendi debere similiter declaramus et decernimus;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 7. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut concedi, sive etiam motu proprio seu alias concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio et extra illud nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in dicta Societate ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter servari;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate auctoritateque, interpretari, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus foret, etiam regula nostra de non tollendo iure quaesito, necnon omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. ian. MDCXXXII., pontificatus nostri anno IX.

VI.

Scotiae catholicos Angliae reginae commendat.

URBANUS PP. VIII.

Charissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Multa sunt, quibus inchoandis perficiendisque opinioni, quae de tuo erga Religionem studio per omnium animos adhuc pervasit, abunde satisfecisti; nihil tamen est, cuius causa maiorem a bonis laudem consequi possis, quam si Catholicorum adversus haereticos patrocinium ac defensionem susceperis. Id ut pietati tuae, ac veteribus Regiae Francorum domus institutis optime respondet, ita illius procuratio pontificii muneris ac paternae nostrae sollicitudinis maxime propria est. Quamobrem Catholicos, quos ab Haereticis in Scotia indigne vexari cognovimus, Maiestati tuae sic commendamus, ut neque maiore studio quicquam, neque iustioribus de causis commendare possimus. Quae ab iis quotidie patiuntur acerbiora sunt, quam ut a clementia et pietate tua diutius tolerari debeant: neque enim de rei familiaris iactura, aut de corporis incommodis, quae tamen durissima sunt, sed de animae interitu praecipue agitur, quo omnia ab illis per summam impietatem diriguntur. Tuum est

(1) Edit. Main. legit *quoscumque*.

infestos hosce conatus infringere, atque in eo omnem diligentiam et operam ponere, ne humani generis hostis tanto cum Ecclesiae detrimento iniquam, nobisque luctuosam de Catholicis, victoriam se reportasse glorietur. Nos quidem in tanta bonorum calamitate de tui patrocinii certitudine atque efficacitate nequaquam dubitamus, ac pro certo habemus fore ut tempestas, quae summo adversariorum in veram Religionem odio excitata est, quamprimum tua prudentia atque auctoritate sedetur. Deum rogamus, ut te ad istius Regni utilitatem diutissime servet incolumem, ac Maiestati tuae amantissime benedicimus.

Datum Romae, die XII. febr. MDCXXXIII. anno X.

VII.

***Regulares, qui, ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petenda aut non acceptanda extra religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem seu habitus privationem aut dimissionem a voto huiusmodi nullatenus liberantur* (1).**

URBANUS PP. VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Quia multi regulares ultra alia vota emiserunt votum de non petenda, procuranda vel acceptanda dignitate, extra eorum religiones;

§ 1. Cum, sicut accepimus, diversorum Ordinum, congregationum et institutorum, ac etiam Societatis Iesu, personae regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem sive iuramentum solemniter sive simpliciter emittant aut praestent de non petenda nec procuranda minusve acceptanda aliqua dignitate neque aliqua superioritate extra eorum religionem (2);

Et sub diversis rationibus praetendunt se liberatos a dicto voto;

§ 2. Quoniam vero, propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis regularibus licentiam aliquando impertitur se de una ad aliam religionem, etiam speciali nota et expressione dignam, etiam laxioris observantiae, trasferendi, necnon aliqui etiam religionum supra expressarum et cuiuslibet earum generales vel alii superiores, vigore, ut asserunt, facultatum sibi per Sedem eandem concessarum, translationem de una ad aliam religionem, aut strictiorem, vel laxiorem, regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo, concedunt, vel alias regularibus suis huiusmodi, ut se transferant, occasionem praebent, vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra claustra, etiam in habitu clerici vel sacerdotis secularis, aliquando obtinere solent:

Ideo Pontifex declarat per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem vel dimissionem, nullatenus a voto huiusmodi liberatos esse.

§ 3. Ideo, ne per praefatas et quascumque alias translationes, expulsiones et dimissiones habitus regularis eorumdem regularium, quavis auctoritate, licentia, occasione, ratione et causa quantumlibet rationabili, favorabili, pia et publica, etiam in corpore iuris clausa, sive ratione maioris boni, ac alias quomodolibet, hactenus et pro tempore factas et faciendas, possint regulares huiusmodi, hactenus et pro tempore, ut praefertur, translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum, praetendere se a dicto voto, promissione, sive iuramento de non petendo nec obtinendo aliquam dignitatem, et de illam etiam motu proprio collatam non acceptando, fuisse vel esse liberatos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes; necnon voti, promissionis seu iuramenti, ac facultatum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes; motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus et decernimus, quoscumque regulares praedictos cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Iesu, per quamcumque translationem hactenus et imposterum quandocumque de sua ad aliam religionem vel Ordinem, ut praefertur, seu alias quomodolibet, etiam pluries, et per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem, pro

---

(1) Diversis Regularium Ordinibus ambitum prohibuerunt Pontifices, et hoc videre poteris in repertorii verbis, ad singula eorum nomina. Addo, quod super professionibus per regulares emissis, non facto in locis designatis novitiatu, edidit hic Pontifex constit. CCCXCIV. (*al.* 363), *Religiosos*, sup. pag. 215. Qui subiectos declaravit ipsos regulares, quantumvis exemptos, constitutionibus apostolicis concernentibus fidem catholicam et sanctae inquisitionis officium, ut in constitut. CDXVII. (*al.* 387), *Cum sicut accepimus*, sup. pag. 248. Et super missionibus ad Iapponiam nonnulla statuit in constit. CDLVII. (*al.* 425), *Ex debito*, sup pag. 320.

(2) Quoad Societatem Iesu de hoc vide hic retro pag. 17 constitut. *Vota*.

tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici aut censeri posse seu debere a praefato voto, promissione, seu iuramento liberatos; sed eos hactenus et pro tempore, ut praefertur, translatos, expulsos, ac a delatione habitus regularis absolutos vel privatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, et ad illas petendas, acceptandas et obtinendas inhabiles remanere, in omnibus et per omnia, perinde ac si translati, expulsi, seu a delatione habitus liberati seu privati non fuissent;

Huic constitutioni clausulas praeservativas apponit.

§ 4. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis et faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et nuncios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae nostrae regulis, et, quatenus opus fuerit, etiam illa de iure quaesito non tollendo, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praedictum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§ 7. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon

cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, et, cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent:

Transumptis fidem dari iubet.

§ 8. Quodque illarum transumptis, impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXXXV., pontificatus nostri anno XII.

VIII.

Patriarcham Armenorum hortatur ad unitatem fidei antecessorum, quam ex vol. Concilii Tridentini suo idiomate verso discet, per Paulum Pyromallum expeditum etc. (1).

Philippo Patriarchae Armenorum,

URBANUS PP. VIII.

Nullam in orbe terrarum nationem seiungere potest a pontificia sollicitudine locorum longinquitas: idcirco ea consilia assidue meditantur, quibus cunctarum gentium felicitati, et animarum saluti consulat. Praecipua autem Armenorum nationem benevolentia prosequimur atque erga eamdem non exiguas pontificiae charitatis significationes exhibere optamus, cum illam, retroactis etiam saeculis, Romanae Ecclesiae consensisse, et beatum Petrum in suis successoribus pie veneratam esse, veteribus historiae monumentis compertum sit. Etenim, praeter ea quae de sanctorum Silvestri Papae et Gregorii Armeniae Archiepiscopi mutuo affectu minime nos latent, illustris extat memoria florentini Concilii, in quo maxima cum pietate ac zelo, Eugenio IV. Pontifice, Armeni concordiam cum Romana Ecclesia inierunt, et summa populorum omnium approbatione sese ad Apostolicae Sedis unitatem aggregarunt. Quod quidem ex eiusdem Concilii volumine, atque ex praedicti Pontificis diplomate, quod non ita pridem Sacrae Congregationis auctoritate vestro idiomate conscriptum et in luce editum fuit, fraternitas tua luculenter perspiciet. Huiusmodi documenta tibi exhibebit dilectus filius Paulus Pyromallus Ordinis Praedicatorum, Sacrae Theologiae Doctor et Lector, cuius integritatem ac prudentiam ideo recensere supersedemus, quod peculiares eius dotes iamdudum noveris. Eam istae allegamus, ut scientiam, quae a Deo est, nationi vestrae patefaciens, illam ostendat semitam quae homines ad beatam verae felicitatis spem ab Altissimo advocantur. Quare sic illum tibi commendamus, ut maiori studio ac diligentia commendari nequaquam possit. Ex eodem fusius percipies, quo affectu complectamur, et quo studio curaturi semper sumus, ut nihil, quod a nobis in tuum et universae Armeniae commodum proficisci possit, unquam desideretur. Is etiam tibi fuse significabit, quam enixe cupiamus, ut huius Sanctae Sedis unionem amplectaris, et Catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, corde credas ad iustitiam, ore autem confitearis ad salutem. Hanc porro fidem Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum magistra, integram atque illibatam tuetur; hanc Apostolorum principes Petrus et Paulus, vel ipso sanguinis testimonio, docuerunt, et hanc sancti Pontifex Silvester et Gregorius vester Archiepiscopus praedicatione propagarunt. Nos pro fraternitatis tuae immortali felicitate bonorum omnium largitori vota nuncupantes, eius clementiam assidue orabimus, ut tua dirigat consilia, tibique divinae suae gratiae lumine praesto sit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XVI. iulii MDCXL., pontificatus nostri anno XVII.

IX.

Fr. Bonaventuram, cum sociis missionariis, Alvaro, regi Congi, commendat (2).

(1) Ex Congr. Tabulario.

(2) Decretum Congregationis sub die XII. februarii MDCXLV. quo missio in Nigritarum regnis provinciae Andalusiae capucinorum committitur, et praefectus instituitur, etc.

«Referente eminentissimo dño Cardinali S. Onu-

Charissimo in Christo filio nostro Alvaro, regi Congi illustri,

URBANUS PP. VIII.

salutem et apostolicam benedictionem (1).

Praeclaro pietatis exemplo et insigni zelo, quo animum ad divini nominis gloriam promovendam maxime incensum ostendit maiestas tua, paternam benevolentiam nostram sibi plurimum obstrinxit, et ingentem apud veros Romanae Ecclesiae filios solidae virtutis comparavit gloriam; idcirco assidua pro tua incolumitate Deo vota nuncupamus, qui dat salutem regibus, atque enixe petimus, ut te immortali suo praesidio tueatur, et conatibus, quos ad propagandam catholicam fidem continenter adhibes, propitium atque secundantem se praebeat.

Nunc autem, ut reipsa testatum sit, quantum de maiestatis tuae atque universi istius regni commodis solliciti simus, istuc mittimus dilectum filium religiosum Bonaventuram de Alessano, ac tres alios eiusdem socios, qui in capuccinornm coenobiis virtutes quaesiverunt Deo gratas et hominibus salutares. Illos non terret regionum longinquitas seu viarum discrimina, quin ad vos se conferant, non alium laborum suorum fructum expectantes, quam ut divino cultui famulentur, et populos sibi subiectos in viam mandatorum dirigant, eisque tum praedicatione, tum sacramentorum usu, praesto sint.

Idcirco, maiorem in modum adpetimus, ut eos in patrocinium ac tutelam recipias, nihilque desiderare patiaris, quod ipsorum muneri usui futurum cognoveris, ut scilicet regia tua auctoritate communiti libere, et absque alio impedimento, sacerdotalibus functionibus operam dare possint, ad quas obeundas eisdem varias spirituales concessimus facultates, quibus animarum consolationi ac necessitatibus suffragentur. Sane, si tuam beneficentiam atque humanitatem experti fuerint, dubitandum tibi non est, eius meriti maximum ab Altissimo, bonorum omnium auctore, praemium referas, in cuius adiutorio te habitare, et in illius protectione commorari cupientes, maiestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, die XVI. iulii MDCXL., pontificatus nostri anno XVII.

---

phrii litteras Nuntii Hispaniarum, et provincialis ac definitorii capuccinorum provinciae Andalusiae, sacra Congregatio missionem decrevit fr. Gasparo de Sevilla, Andalusiae provinciali, cum infrascriptis sociis, videlicet: P. fr. Emmanuele de Granata, concionatore; P. fr. Antonio de Ximena, concionatore; P. fr. Francisco de Arevalle, concionatore; P. fr. Francisco de Iznasar, concionatore; P. fr. Sebastiano de Sancta Fide, concionatore; P. fr. Didaco de Guadaleanal, concionatore; P. fr. Ioanne de Sevilla, sacerdote; P. fr. Ludovico de Priego, sacerdote; P. fr. Iosepho Ulyssiponensi, sacerdote; P. fr. Ioanne de Vergara, sacerdote; fr. Michaele de Granata, laico; fr. Blasio de Hardales, laico, ad regna Nigritarum (*), eiusdemque missionis praefectum constituit et deputavit dictum fr. Gasparum, cum potestate vice-praefectum constituendi, qui cum aliis sociis in dictis regnis resideat, et pro facultatibus iussit adire ad sanctum officium.

Romae, die et anno quibus supra (XII. de fevereiro de MDCXLV.) ».

(*) *Regio Nigritarum nuncupata, in Africa ultra mare iuxta fluvium Nigrum, ab ortu in occasum extensam, a septentrione Saharae deserto, a meridie regione Guineae, et ab occidente oceano atlantico terminata, in vasta S. Iacobi Capitis Viridis dioecesi includitur. — Baudrand,* Geographia, *tom. II., verb.* Nigritia; *Martinière,* Diction. geograph., *tom. I., pag. 116.*

De causis huius missionis insuccessu, vide fr. Michael a Tugio, Missio Nigritiae, *in tom. VII. Bullarii capuccinorum, pp. 333-336.*

(1) Ex regesto autographo secret. brevium ad principes, fol. 186; Tugio, tom. III., pag. 131, et tom. VII., pag. 194.

INNOCENTIUS PAPA X.

An. C. 1645

I.

Mittens in Congi regnum fr. Bonaventuram ab Alessano Ord. Minorum Capuc. eum Alvaro regi commendat (1).

Charissimo in Christo filio Alvaro, regi Congi illustri,

INNOCENTIUS PP. X.

salutem et apostolicam benedictionem.

Christianae religionis studio incensus maiestatis tuae animus, eiusque servandae ac provehendae inditus illi eximius e coelo ardor, omnino faciunt, ut subiectis tuae ditioni populis impensa cura prospicias, eorumque aeternae saluti opportuna parari praesidia piis aeque ac regiis votis exoptes. Et pari nos erga maiestatem tuam charitate succendi aequum est, qui pro eo, in quo nos Spiritus Sanctus posuit, Ecclesiae universae regimine, hanc in te mentem amantissime complectimur, eique enixe iuvandae pontificias cogitationes atque operam vehementer adhibemus.

§ 1. Mittimus propterea in regnum istud dilectum filium religiosum virum Bonaventuram de Alessano, ex ordine Capuccinorum, qui suis cum sociis plane intento ad divinum cultum animo curandae sese animarum saluti penitus devovit, doctrinaque ac virtutibus fultus, longissimi itineris incerta discrimina, quae certos tamen labores atque aerumnas habent, magno sibi in lucro ponit, ut homines Christo lucrifaciat. Hunc benigne maiestas tua ut excipiat, eique in suo munere tum divini Verbi praedicandi, tum sacramentorum ministeria exercendi, regia auctoritate ac benevolentia praesidio sit, omni studio postulamus.

An. C. 1645

§ 2. Proinde vero fore confidimus, ut tuo ille cum iisdem sociis patrocinio tectus, nulla a quoquam impedimenta subeat; imo et reliqui, regio exemplo edocti, spem illi suam opportune conferant ad spiritualia eiusmodi opera praestanda: quae ut idem alacrius et uberiore cum fructu peragat, multiplices nos illi sacras facultates concessimus, non mediocri futuras animarum adiumento et solatio. Haec tam efficaciter, ut a nobis expetuntur, tua, charissime fili, pietas atque humanitas conficiet, ut, qui probe novis, certam regnorum securitatem in religione esse positam, eorumque felicitatem augeri cum ipso divini cultus incremento.

§ 3. Deferimus porro maiestati tuae paratissimam paternam nostram voluntatem, tibique fausta omnia a Domino precati, apostolicam benedictionem largissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die X. nov. MDCXLV., pontificatus nostri anno II.

II.

Fratres Capucc. regios oratores, a se benigne exceptos Regi Congi nuntiat.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi, etc.,

INNOCENTIUS PP. X.

salutem et apostolicam benedictionem (2).

Universos aeque christiani orbis populos in sinu paternae charitatis ex aposto-

(1) Ex Bull. Patron. Portugalliae qui ex Tugio, pag. 194. Collat. in Arch. Congr. et Reg. Vat.

(2) Pro historia, ex autographo in archivio S. Congreg. servato, *tom. epist. mensis et anni praedicti*, epistola Congr. hic refertur, qua regi Garziae nuntiatur a fr. Ioanne de Roma, coronam regiam a P. benedictam cum literis ei repraesentandam.

EPISTOLA CONGREGATIONIS

A patre Ioanne Francisco a Roma, huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide missionario, Maiestati Vestrae regia corona, quam dictus pater, cum suo socio fr. Angelo a Valentia, hic confici curavit, praesentabitur, quae ut acceptior habeatur,

latus nostri munere gestantes, peculiarem iis Christi ovibus, quae sub aliis coeli plagis a nobis tam procul dissitae degunt, sollicitudinem impendimus, ut, quas ab amante pastore terrarum ac marium longinquitas distrahit, eius lateris assidua curarum et amoris proximitas iungat

Nobis ergo de maiestate tua et Congi regno, quod te ex aliis nostris litteris iamdiu cognovisse credimus, benevolentissime cogitantibus, ac religionis apud vos causae paternae prospicientibus, optato advenit devotum obsequii tui in nos et hanc Sanctam Sedem officium; quod locupleti litterarum testimonio et dilectorum filiorum fratris Angeli de Valentia et fratris Ioannis Francisci de Roma, ordinis capuccinorum, legatione commendatum, apostolica benignitate libenter excepimus, complexi peramanter oratores tuos, ex quibus piis tuis votis et ecclesiarum istius regni spiritualibus indigentiis intellectis, sedulam operam daturi sumus, ut commodis vestris, prout in Domino expedire visum fuerit, pro re et tempore consulatur. Interim eximia pietate tua in populis istis a contagione tam infidelium quam haereticorum diligenter tuendis, animarum vestrarum salutem sitientes, summopere gavisi sumus; teque, ut magisque in dies enitaris hortamur. Sicut enim nullum aliud est sub coelo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam Christi Iesu, ita huius nominis gloriam falso usurpant, qui se ab ovili Christi separant, et ab eius pastoris custodia, cui Christus Dominus oves ipse suas pascendas commisit.

Omnibus igitur animi tui viribus, charissime in Christo fili noster, elabora tum in conservanda, tum etiam in partibus istis propaganda vera Christi fide, in qua sola est salus, totoque pectore in eam curam incumbe, ut iustitiam, pietatem ac caeteras christianas virtutes, quibus te a luminum Patre donatum, magna cum laetitia, accepimus, assiduo colas et adauctas iugiter velis, tibique plane persuasum sit, res tuas et regni tui nobis cordi perpetuo fore. His ab omnipotente regum Rege maiestati tuae, regiisque cum coniuge, tum liberis, fausta omnia et laetitiae suae verae plena peroptamus: quibus apostolicam benedictionem ad salutem animarum et corporum amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx. maii MDCXLVIII., pontificatus nostri anno IV.

III.

Alios miss. se mittere sub fr. Hyacintho a Foro Cassii seu Vetralla, praefecto, Garziae. regi Congi, nuntiat.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi, etc.,

INNOCENTIUS PP. X.

salutem et apost. benedictionem (1).

Maiestatem tuam Congique regnum non tam longe seiungit a nobis tanta terrarum mariumque distantia, ut non arctius uniat cum ardens Christi charitas, tam eximia pietas et religionis verae studium, quo singulariter excellens paternam voluntatem nostram iampridem tibi devinxisti.

Porro autem novum hoc observantiae in hanc sanctam sedem testimonium, quod litterarum serie, et expositione dilecti filii Bonaventurae de Sorrento, capucini, nuper detulisti, perlibenti animo accepimus, teque charissimum in Christo filium nostrum in eius persona benevolenter amplexi sumus.

Quia vero pios ac fructuosos labores, quos in vinea ista Domini dilecti filii ex ordine capucinorum strenue impendunt, tanti merito facis, nos tibi et populis istis rem gratam et salutarem praestare cupientes, alios ex eodem instituto probatae virtutis ac zeli operarios, sub Hyacintho a Vetralla, praefecto, isthuc delegandos, in praesens esse duximus, nova subinde spiritualis boni ac profectus adiumenta huiusmodi pro re ac tempore suffecturi: sicut eadem benevolentia im-

mediante Sacra Congregatione, a Sanctissimo domino nostro Innocentio X. benedictionem dictae coronae, cum caeremoniis Ecclesiae solitis, obtinuit. Visum est mihi, ut maiestati vestrae hoc testimonium perhiberem, quatenus praedictae benedictionis maneat certa, et circa alia negotia hic pro maiestate vestra tractata, ad alias litteras et breve apostolicum, quod dicti patres secum portant, et ad vivam horum vocem me remitteres, maiestatis vestrae manus exosculor, etc.

Romae, III. octobris MDCXLVIII.

(1) Tugio, loc. cit., pag. 192.

pulsi officia cuncta, apud quos opus fuit, interponere curavimus, ut istic optata pace ac tranquillitate tuque subditique tui, auxiliante Deo, perfrui possitis.

Praeterea cum fr. Bonaventura, nomine tuo, postulaverit, ut agentem constituere vellemus, qui tuis Congique negotiis in hac curia promovendis sedulo incumbat, id muneris magistro Hieronymo Lanovio, probitate, religione et amplis officiorum administrationibus claro viro, demandavimus.

Demum expetitos sanctissimi iubilaei thesauros benigne largiti sumus, quemadmodum ex diplomate cernes, quod cum his litteris idem dilectus filius Bonaventura tibi reddet; ipsi autem, ex quo cuncta particularius cognoscere poteris, plenam fidem habere velit maiestas tua, cui sane ac regiae domui totique Congi regno apostolicam benedictionem omni paterni cordis affectu largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. ianuarii MDCLI., pontificatus nostri anno VII.

IV.

Declarat et definit quinque propositiones in materia fidei.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, occasione impressionis libri, cui titulus *Augustinus,* Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam et perspicuam ferremus sententiam.

Tenor propositionum.

§ 1. Tenor vero praefatarum propositionum est prout sequitur:

I. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant;

II. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur;

III. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;

IV. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Examen ipsarum.

§ 2. Nos, quibus inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tamquam navis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, secure navigare et ad optatum salutis portum pervenire possit,

§ 3. Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter saepius congregatis, a pluribus in sacra theologia magistris easdem quinque propositiones, ut supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce tum scripto relata, mature consideravimus, eosdemque magistros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe super eisdem ac super earum qualibet disserentes audivimus.

De propositionibus sententia definitiva.

§ 4. Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis, ad divinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces tum privatim tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem, divino Numine favente, ad infrascriptas devenimus declarationem et definitionem.

Primam praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant »: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Secundam: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiam: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed

sufficit libertas a coactione »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quartam: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare »: falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quintam: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse »: falsam, temerariam, scandalosam; et, intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

§ 5. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis.

§ 6. Praecipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque, per censuras et poenas praedictas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam in hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, omnino coerceant et compescant.

§ 7. Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones quae continentur in praedicto libro (1) Cornelii Iansenii.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini. MDCLIII., pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

V.

Fr. Antonium Romanum, cum pluribus sociis Ordinis capuccinorum, ad continuandam Congensis vineae culturam missum, regi refert, ac illius zelo benedicit.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi, etc.,

INNOCENTIUS PP. X.

salutem et apost. benedictionem (2).

Nescit charitas Christi marium fines limitesve terrarum, imo elatus super aquas spiritus Domini, cuius palpebrae interrogant filios hominum, posuit nos speculatores domui suae in lucem gentium, ut sit salus eius usque ad extremum terrae, atque ideo urget acrius sollicitudinem nostram, ut ad dissitas quantumvis orbis plagas vigilis curae oculos manusque tendentes, et sanctae fidei propagationi et fidelium quoque omnium indigentiis consulamus.

§ 1. Cum igitur, quae catholicae religionis semina iecit isthic iampridem dextera Omnipotentis, maximum quoque apostolici operis cultum exigant, quo verbo virtutis Dei foecunde nutriantur ad fructum vitae, novis itidem operariis augendum in regno isto duximus agrum Domini, ne vel teneri adhuc et faciles rami inimici hominis vi ac fraude in obliqua cogantur, vel ad rorem gratiae superabundantis vix dum erumpentes segetum culmi urantur hyeme intempestiva, aut iniqui syderis afflatu correpti, labores et spem villici fallant, ac sterili eventu fraudent messem Dei sanctam. Haec vero, ne hactenus provinciae, uti metuerimus, opportune fecit summa pietas ac religio tua, quae sacrorum hominum documenta suo exemplo antevertens, regia virtute viam fecit institutioni populorum atque eximio in rem catholicam studio, sic fovit agricolas, bonum semen seminantes, ut manus tuae ope exurgens videamus istic germen Domini in magnificentia et fructum terrae sublimem, ac plane deserta in ubertatem versa advenae comedant.

§ 2. Quae cum pontificiam mentem provocent ad studia operae alacrioris, mittimus fratrem Antonium Romanum, cum pluribus Ordinis capuccinorum sociis, probatae integritatis ac famae viris, qui istic apostolici muneris nostri conatibus adlaborent, eos autem a te et humanissime habendos et pro viribus iuvandos etiam confidimus, ut, quod eorum custodia septum, ac sacris rigatum sudoribus fuerit,

(1) Edit. Main. habet *libero* pro *libro*. — (2) Tugio, loc. cit., pag. 199.

plena Spiritus Sancti virtute crescat in augmentum Dei. Percepimus siquidem cum ingenti apostolicae laetitiae iucunditate te domus Domini decorem regiae maiestati praeferentem, in eo totum versari, ut sanctae fidei incremento ac securitati prospicias. Quod magnum enim vero sedulitatis nostrae solatium divinae bonitati referimus, cui, cum flagrantissimis precibus institerimus, ut providentiae nostrae pennas daret sicut columbae, quo istuc ad rem christianam publicam asserendam tuendamque convolaret, placuit zelum nostrum impleri pietate ac solertia tua.

§ 3. Hac sane, charissime fili noster, meritorum tuorum accessione tenerrimi erga te sensus excitantur benevolentiae nostrae, ut, quidquid ad regni aut domus tuae rationes spectet, vehementi paternae voluntatis amore complectamur. Sed maiora te manent supernae munera largitatis a Domino, qui permanentes in spe ac fide evangelii, ereptos de potestate tenebrarum, transfert in regnum filiorum dilectionis suae. Quinimo si pergas eidem obsequi constanter, ac illa, qua regem decet, probitate, retribuet Altissimus thesauros absconditos, et quam tuo capiti imposuit galeam salutis, in regno omnium saeculorum multiplici gloriae corona cumulabit. Quod ut fiat, precibus quidem nostris a Domino flagitabimus, imo et futurum tibi in verbo eius, cuius verba aeternum manent, iam nunc pollicemur.

§ 4. Interim maiestati tuae et coniugi, regiae pietatis consorti, liberisque ad parentium imitationem egregie adolescentibus, ac regno isti universo, quod paterne diligimus, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. nov. MDCLIII., pontificatus nostri anno X.

VI.

Super subiectione nonnullorum conventuum iurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicae delegati disponit (1).

INNOCENTIUS PP. X.

ad perpetuam rei memoriam.

Statuta alias declarat.

§ 1. Ut in parvis regularium virorum conventibus (a sanctissimo domino nostro Innocentio Papa X. in constitutione, quae incipit *Instaurandae,* primum suppressis, ac deinde, ad ipsius constitutionis limites, ob rationabiles causas, in pristinum statum regularem restitutis et ipsis religionibus de novo concessis) pie et religiose vivatur, ac regularia instituta, quo exactius fieri potest, observentur, Sanctitas Sua, ex sententia Sacrae Congregationis super statu regularium, omnes et singulos conventus huiusmodi, sic, ut praefertur, restitutos et concessos, in litteris ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam regulares quam seculares in eis degentes visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, praesentis decreti tenore, plene in omnibus subiecit, ac subiectas esse declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur, duodecim religiosi ad apostolicorum decretorum praescriptum, idque eidem Sacrae Congregationi legitime constiterit, et eius decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, non aliter. Interea vero voluit Sanctitas Sua ut in eorum singulis ali debeant et re ipsa alantur sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis; alioquin gratia restitutionis et concessionis huiusmodi nulla sit et invalida, et Ordinarii locorum in illis exequi possint ac debeant ea omnia, quae in aliis conventibus itidem suppressis per eamdem constitutionem ipsi demandantur, perinde ac si gratia praedictae restitutionis et concessionis non emanasset.

Sequuntur statuta.

§ 2. Insuper, quia multi sunt conventus, in quibus, etsi praefixus fuerit numerus religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinae, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob reddituum diminutionem, sive ob superiorum incuriam vel malam administrationem, sive ob ca-

---

(1) Idem sanctissimus Pontifex suppressit parvos conventus, constitutione quae incipit *Instaurandae,* quae etiam in praesenti constitutione citatur.

rentiam religiosorum, aëris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam praedictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis observantiae, Sanctitas Sua, intendens huic malo remedium adhibere, omnesque et singulos eiusmodi conventus, ut praefertur, non suppressos, cuiuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, aut granciae seu membra alterius monasterii existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur vel quandocumque actu non alentur saltem sex religiosi itidem probatae vitae, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicae delegati plene in omnibus, praesentis pariter decreti vigore, subiectos esse statuit, decrevit ac declaravit.

Decretum Urbani VIII. validum declarat.

§ 3. Ceterum, quoad conventus cum pauciori numero quam duodecim religiosorum erectos post diem XXI. iunii MDCXXV., et illorum subiectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere decretum sanctae memoriae Urbani VIII. iussu editum, cui per praemissa aliquatenus derogare non intendit.

§ 4. Et praedicta omnia et singula in praesenti decreto statuta et ordinata voluit plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus et singulis, quae in antedicta constitutione voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, die X. februarii MDCLIV., pontificatus nostri anno X.

VII.

Commissionem instituit octo Episcoporum Galliarum ad capiendam informationem super epistola pastorali Archiepiscopi Senonensis super libro Cornelii Iansenii, cui titulus Augustinus Cornelii Iansenii (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Arelatensi, ac Episcopis Aniciensi et Conserano ac Matisconensi, necnon Meldensi et Rhedonensi, ac Macloviensi et Glandatensi,

INNOCENTIUS PP. X.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Nuper pervenit ad aures nostras, quod, in actu publicationis in dioecesi Senonensi constitutionis per nos pridie kalendas iunii proxime praeteriti editae, qua quinque propositiones occasione libri impressi, cui titulus *Augustinus Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis,* excitatas, in eadem constitutione expressas, damnavimus sub poenis et censuris contra haereticos et eorum fautores in iure expressis, venerabilis frater Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis, quamdam epistolam pastoralem idiomate gallico, quae incipit: « Lovis Henry de Gondrin par la grâce de Dieu Archevesque de Sens et Primat des Gaules et de Germanie à nostres chers frères les doyens ruraux, etc. », sub data die XXIII. septembris proxime praeteriti impressam Senonis apud Ludovicum Prussurot, ediderit et typis vulgaverit, seu edi et typis vulgari fecerit, in qua scandalosa, temeraria, schismatica et haeresim redolentia continentur.

§ 2. Quapropter nos, de ea re diligentem informationem sumi volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut, quam primum hae vobis redditae fuerint, vos, aut saltem duo ex vobis, tamquam specialiter ad hoc a nobis delegati, super epistola huiusmodi, et an illa ab eodem Ludovico Henrico Archiepiscopo seu eius iussu edita et vulgata fuerit, diligentem informationem, omni meliori et opportuniori qui vobis videbitur modo et via, capiatis, ac informationem desuper captam in scriptum authenticum redigi curetis, et ad nos transmittatis, ut quid hoc in negotio ad Dei gloriam, fidei catholicae decus, nostrumque et Sedis Apostolicae honorem statuendum fuerit, matura consideratione adhibita, decernamus.

(1) Ex Regest. in Secret. Brev. Vide supra *Cum occasione.*

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiae Senonensis, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCLIV., pontificatus nostri anno X.

ALEXANDER PAPA VII.

An. C. 1655

I.

Helenae Sinae imperatrici scribit de eius ad fidem conversionem.

Charissimae in Christo filiae nostrae Helenae Tamingae, Sinarum reginae,

ALEXANDER PP. VII.

salutem et apost. benedictionem (1).

Cognovimus ex maiestatis tuae litteris (2) quanta fuerit bonitas et clementia, qua te, coecis implicatam erroribus, mendacique superstitione, Deus deorum e tenebrarum potestate in lucis et veri cognitionem adduxit. Non obliviscitur ille misereri, nec continet in ira misericordias suas. Huius enim cum esses filia, ad te respexit tandem omnipotens Dominus, qui audiri vult potius Pater misericordiarum, quam Deus ultionum èt vindictae. Quis nunc potentias eius scrutetur, aut consiliorum vias investiget?

Immensas vastissimasque terras, quarum vix quidquam auribus acceperamus, vetus hostis fraudibus suis ac fallaciis occupaverat. Fabulosum erat istud ingens regnum, non minus desertis ac prope infinitis locorum intervallis, quam quia falsa religio et cultus omnia obtinuerat. Quis aditus veritati per tot maria, itinerum errores, aliud pene coelum ac sydera, cum omnibus littoribus prohibentur ii, qui pro auro et mercibus pretiosae huius margaritae commutationem expetebant, cum se denique impietas montium iugis oceano legibus arctissimisque custodiis tuerentur? Perfregit haec omnia, superavitque verae fidei proferendae studium, per quae tot pericula et difficultates tua salus quaesita.

Quo attentius, in Christo filia, tanti beneficii revocanda tibi est ad animum memoria, et nota haec facienda filiis tuis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirant. Quamvis et ad summum gaudii, quod nobis allatum fuit, neque hoc defuerit, ut tuis exemplis aliae etiam inhaeserint, et regius pater Constantinus non minus in regni, quam superstitionis evertendae, spem crescat.

Illum sane ut una omnes paterne complectimur, quamque postulas benedictionem, amantissime maiestati tuae impertimur, Deumque ardenter precamur, ut disiunctissimum regnum unum tandem faciat, et animo et fide nobiscum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. dec. MDCLV., pontificatus nostri anno I.

An. C. 1655

II.

Litterae responsoriae Pontificis ad Pan Achilleum, Sinarum generalem praefectum.

Dilecto filio Pan Achilleo, eunucho Sinarum regis, terra marique generali praefecto, etc.,

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apost. benedictionem (3).

Gaudium magnum annuntiaverunt nobis epistolae tuae. A solis enim ortu et occasu, ab aquilone et mari fecit nobiscum misericordiam suam Deus, quique olim Gaza atque opibus potentem regium eunuchum baptismi unda et gratia de repente illustravit, nunc te, dilecte fili, regni istius et mundi curis implicitum, inter quas nunquam fere locus Christi doctrinae, quae a saeculi huius sapientibus stultitia habetur, in sortem filiorum suorum, hoc est in alterius et veri re-

(1) Athanasius Kircher, *China monumentis, qua sacris, qua profanis*, etc., *illustrata*, Amstelodami MDCLXVII., pag. 102.

(2) Ibid., pag. 101.

(3) Ibid., pag. 103.

gni haereditatem immortalem ac nunquam perituram vocavit: cuius beneficii magnitudo ut magna laetitia affecit cor nostrum, ita quid pro eo a te debeatur plane intelliges, si ad illum subinde respicias, qui nobis suae disciplinae factus est in exemplum. Enitere vero et adlabora, ut consummetur hoc opus quod inceptum est in amplissimo isto regno. Nulla enim debet esse tanta terrarum vastitas et longitudo, quae obstet fidei, quae montes transfert, aut charitati, quae nunquam excidit, omnia sustinet, atque operatur. Hac te in nostrum sinum admittimus, cuius erga te ac gentes istas ardor nec aquarum, quae inter nos intercedunt, multitudine extinguetur, nec ulla unquam difficultate aut periculo refrigescet; quam autem tibi petis benedictionem, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. dec. MDCLV., pontificatus nostri anno I.

III.

Mittit Iosephum a S. Maria carmelitam discalceatum, ad provinciam Angamalensem, ut super recessu Thomae, archidiaconi Ecclesiae Angamalensis, eiusque sequacium ab obedientia Archiepiscopi, informationes capiat, et processus conficiat, cum diversis facultatibus (1).

Dilecto filio Iosepho a S. Maria, Ordinis fratrum eiusdem S. Mariae a monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum,

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem (2).

Cum sicut, non sine gravi animi nostri molestia, ad aures nostras pervenit, dilectus filius Thomas, archidiaconus Ecclesiae Angamalensis seu Serrae, una cum centum et quinquaginta millibus seu alio veriori numero christianorum illarum partium ab obedientia ven. fratris Archiepiscopi Angamalensis recesserit, ac dignitatem episcopalem, absque huius Sanctae Sedis auctoritate, sibi arrogaverit, muniaque pastoralia inter eosdem christianos illegitime invalideque exercere praesumpserit, et forsan praesumat; cumque per excessus huiusmodi et illorum occasione status eiusdem Ecclesiae Angamalensis, cum maximo christifidelium dictarum partium animarum periculo, valde perturbatus existat:

§ 1. Nos, pro commissa nobis ab aeterno Pastore omnium Ecclesiarum sollicitudine, universique gregis Dominici opera, praedictorum excessuum informationem capi, ac perturbationes huiusmodi componi et sedari, tranquillitatemque eidem Ecclesiae restitui, necnon memoratum Thomam eiusque sequaces ad eiusdem Archiepiscopi obedientiam reduci cupientes, ac de tua fide, prudentia, rerum

---

(1) Hortatorium universis fidelibus pro Iosepho a S. Maria, carmelitae discalceato, ad partes orientis profecturo.

Universis christifidelibus, tam ecclesiasticis, etiam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularibus, quam laicis, praesentes litteras inspecturis,

ALEXANDER PP. VII.

salutem et apostolicam benedictionem (*).

Cum nos dilectum filium Iosephum a S. Maria, Ordinis fratrum eiusdem S. Mariae de monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum, virum pietate praeclarisque virtutibus praeditum, ad partes orientis, cum nostris super gravissimo negotio mandatis, mittamus; idcirco vos omnes et singulos plurimum hortamur in Domino, et per ineffabilem bonitatem Dei, qui charitas est, paterne requirimus, atque etiam enixe petimus, ut eundem Iosephum, cum eius sociis, quando tam in itinere ad partes praedictas, quam in reditu ex eisdem partibus ad nos et hanc Sanctam Sedem ad loca vestra se contulerit, pro vestra erga nos et eandem Sedem reverentia et devotione, ad gloriam nominis Christi, salvatoris nostri, benigne suscipiatis, et fraterna cum humanitate atque amore liberaliter pertractetis, ac ipsi Iosepho eiusque sociis de omnibus, quae eis commoda et necessaria fuerint, subveniatis, illaque eis prompte et alacriter, tamquam hilares datores, quos diligit Deus, subministretis, et ipsis omni ope, opera, consilio, ac totis denique viribus vestris, de libero ac tuto itinere et opportunis commeatibus cum effectu provideatis.

Quae quidem si, ut speramus, feceritis, rem certe christianis hominibus maxime dignam, nobis vero gratam, ac divinae Maiestati procul dubio acceptissimam fecisse gaudebitis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. ianuarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

(*) *Coquelines, loc. cit., tom. VI., pars IV., pag. 91.*
(2) Ibid., pag. 90.

agendarum peritia, dexteritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, de ven. fratr. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandae Fidei praepositorum, consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus te, una cum duobus vel tribus sociis tibi placitis et gratis, ad partes supradictas conferas, ac super omnibus et singulis praemissis veras facti informationes exactamque instructionem sumas et capias, ac processum seu processus desuper fabrices et conficias.

§ 2. Dantes tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem cum eodem Thoma, eiusque sequacibus clericis et laicis quibuslibet, libere et licite, ac absque cuiusvis censurae vel poenae ecclesiasticae incursu, ubi et quando, et toties quoties in Domino expedire iudicaveris, super eorum reductione ad praedicti Archiepiscopi obedientiam communicandi et tractandi, ipsumque Thomam et eius sequaces ad obedientiam huiusmodi, quoties opus fuerit, respective auctoritate nostra apostolica reducendi, et, si hoc a te humiliter petierint, imposita eis et eorum cuilibet poenitentia salutari, necnon recepto ab eis iuramento, quod de caetero similia non perpetrabunt, a praedictorum excessuum reatu, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione respective incursis, eadem auctoritate absolvendi et plenarie liberandi, illisque et eorum cuilibet poenas huiusmodi gratiose remittendi et condonandi, ac eos et eorum quemlibet in pristinum, et in eum, in quo ante praedictos excessus quomodolibet erant, statum restituendi, et plenarie reintegrandi, ac ad gremium S. Matris Romanae Ecclesiae, dicta auctoritate, recipiendi, aliaque ad id necessaria et opportuna agendi, faciendi et exequendi, prout res ipsa exegerit, servatis tamen semper constitutionum apostolicarum et conciliorum generalium sacrorumque canonum dispositionibus.

§ 3. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, de una et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, memoratae Angamalensis et aliarum quarumvis ecclesiarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV. ian. MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

IV.

Hortatorium Thomae, archidiacono Angamalensi, qui ab obedientia sui Archiepiscopi recesserat.

**Dilecto filio Thomae,
archidiacono Ecclesiae Angamalensis
seu Serrae,**

ALEXANDER PP. VII.

**Dilecte fili,
salutem et apost. benedictionem (1).**

Ad aures nostras, quorundam relatione, pervenit, Ecclesiam Angamalensem ingentem excessu tuo passam esse scissuram. Fatemur nos hoc nuntio vehementer esse commotos; vix autem, imo nequaquam adduci posse, ut credamus te, quem quieti et unioni eiusdem Ecclesiae ex incumbente tibi archidiaconatus munere, tamquam Archiepiscopi oculum, omni studio intendere, et eiusdem Archiepiscopi, pastoris tui, pro commisso sibi grege vigilantiam pro viribus adiuvare oportet, ita fuisse propriae salutis et existimationis immemorem, ut nedum tu ab obedientia illius temere recedere, sed etiam aliorum ingentem multitudinem ab eadem distrahere damnabili praesumptione fueris ausus; multoque minus fidem prae-

---

(1) Coquelines, loc. cit., tom. VI., pars IV., pag. 89.

bemus vocibus, quibus spargitur, te, absque huius Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate, dignitatem episcopalem assumpsisse, muniaque pastoralia illegitime invalideque inter innocentes populos administrare. Quoniam vero pro componenda supradictae Ecclesiae pace dilectum filium Iosephum a S. Maria, Ordinis fratrum discalceatorum eiusdem S. Mariae de monte Carmelo, virum gravem ac praeclaris virtutibus praeditum, ad istas partes duximus destinandum, visum est nobis pro paternae nostrae in te charitatis affectu, ac ea, quam de animae tuae salute gerimus, cura, te praesentium serie in Domino hortari et sedulo monere, ut si (quod Deus avertat) verum sit quidquid de tuis excessibus nobis relatum est, tu ad saniora consilia revertaris. Cogita, fili, nihil prodesse homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, neque quemquam sumere sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Itaque, si prava Satanae suggestione fortasse sublevavit te cor tuum, depone, quae iniusto invalidoque titulo assumpsisse assereris, ut dignus venia censearis, et ad osculum pacis, ac in gremium Sanctae Matris Ecclesiae, omnibus ad illud post excessus cum humilitate recurrentibus semper patens, recipi merearis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I. februarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

V.

Hortatorium christianis, qui ab obedientia Archiepiscopi Angamalensis sive Cranganorensis recesserant.

Universis Christifidelibus, qui una cum Thoma, archidiacono Ecclesiae Angamalensis seu Serrae, ab obedientia ven. fr. Archiepiscopi Angamalensis recessisse asseruntur,

ALEXANDER PP. VII.

Dilecti filii,
salutem et apost. benedictionem (1).

Percrebuit vos Thomae, archidiaconi Ecclesiae Angamalensis seu Serrae, temeritatem secutos a ven. fratris Archiepiscopi Angamalensis, pastoris vestri, obedientia recessisse. Explicare vobis non possumus, quanto fama haec nos affecit moerore, concepto potissimum ex consideratione discriminis in quo versatur salus animarum vestrarum, cum, extra caulam Domini palantes, satanae, qui circuit quaerens quem devoret, continenter expositi sitis insidiis. Et quamvis nobis certo persuadeamus aliena potius seductione et inconsulta levitate, quam deliberato consilio, vos eo erroris esse prolapsos, ac proinde speremus in Domino fore, ut, quod a Patre luminum assiduis precibus flagitamus, discussis coelestis gratiae radio mentium vestrarum tenebris, in viam iustitiae, a qua misere aberratis, et ad pristinam eiusdem Archiepiscopi obedientiam ultra revertamini, attamen pro commissa nobis ab aeterno Pastore vestrum et omnium fidelium cura, vos harum serie sedulo monendos, et per viscera misericordiae Dei nostri obtestandos, vobisque apostolica auctoritate praecipiendum duximus, ut, relicto praefato Thoma, qui arrogata sibi, absque huius Sanctae Sedis auctoritate, episcopali dignitate, partes pseudo-pastoris, ne dicamus lupi rapacis, inter vos agere perhibetur, ad verum et legitimum animarum vestrarum patrem et pastorem memoratum, videlicet Archiepiscopum, sine cunctatione redeatis, ne, praeeuntem caecum diutius inconsiderate sequentes, contingat (quod absit) in foveam aeternae damnationis una cum duce ferri praecipites.

Quoniam vero dilectus filius Iosephus a S. Maria, Ordinis fratrum discalceatorum eiusdem S. Mariae de monte Carmelo, qui vobis has reddet, isto a nobis mittitur, ut statum praedictae Ecclesiae Angamalensis discessione vestra turbatum componat, vobis mandamus, ut eum, tamquam nostrum et Sedis praedictae delegatum, reverenter suscipiatis, eiusque salubribus monitis humiliter parere, ac ea, quae vobis in executionem mandatorum iniunxerit, veluti obedientiae filii prompte adimplere procuretis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XIX. februarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

---

(1) Coquelines, loc. cit., pag. 88, collat. cum Reg. in secret. Brev.

VI.

Hortatorium clero et populo Angamalensi, occasione missionis Iosephi a S. Maria, carmelitae discalceati, ad provinciam Angamalensem.

Dilectis filiis clero et populo civitatis, dioecesis et provinciae Angamalensis,

ALEXANDER PP. VII.

Dilecti filii,
salutem et apost. benedictionem (1).

In gravissimo dolore, quo animum nostrum affecit relata nobis discessio Thomae, archidiaconi Ecclesiae Angamalensis seu Terrae, ac ingentis aliorum numeri a ven. fratris Archiepiscopi Angamalensis obedientia, grande solatium accepimus, intelligentes vos eiusdem Thomae temeritatem et caeterorum levitatem aspernatos praedicto Archiepiscopo, patri vestro, firmiter adhaesisse et adhaerere. Qua in re etsi, quod veros christifideles et obedientiae filios decebat, egeritis, summam tamen laudem meretur vestra in tam perniciosi exempli obiectu fides et constantia, plurimumque divinae Bonitati debetis, quae vobis eam mentem dedit, et per abundantiam gratiae suae vos a propinqua contagione servavit incolumes. Porro, cum pro componendo dissidio huiusmodi dilectum filium Iosephum a S. Maria, Ordinis fratrum discalceatorum eiusdem S. Mariae de monte Carmelo, virum praeclaris virtutibus ornatum, ad istas partes mittere statuerimus, conceptam ex virtute vestra laetitiam ea occasione harum serie testari voluimus, ac pro pastorali nostra sollicitudine vos paterne in Domino hortari, ut in laudabili vestra firmitate, ac in eiusdem Archiepiscopi, pastoris vestri, obedientia, quae Deo gratior est omni victima, ut facitis, animose perseveretis, eosdemque Archiepiscopum et Iosephum obsequiis et officiis vestris in sarcienda Ecclesiae praedicta scissura, et procuranda fratrum vestrorum, a via iustitiae aberrantium, reductione coadiuvare studeatis, inde aeternum a Deo praemium, a nobis vero et hac Sancta Sede Apostolica uberem gratiam consecuturi.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. februarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

VII.

Hortatorium Archiepiscopo Angamalensi, occasione missionis Iosephi a S. Maria, carmelitae discalceati, ad provinciam Angamalensem.

Ven. fratri Archiepiscopo Angamalensi,

ALEXANDER PP. VII.

Venerabilis frater,
salutem et apost. benedictionem (2).

Relatum est nobis dilectum filium Thomam, archidiaconum istius Ecclesiae Angamalensis, nescitur quo spiritu ductum, una cum ingenti christianorum numero ab obedientia tua recessisse, et, quod execrabilius est, dignitatem episcopalem sibi temere arrogasse. Perculit hic nuntius vehementer animum nostrum, et gravi molestia affecit. Quomodo enim non acriter commoveat paterna viscera tot animarum unius hominis ambitione misere seductarum iactura, et florentis isthic per Dei gratiam christianitatis perturbatio? Quoniam vero eiusmodi schismata temporis accessione vires acquirere consueverunt, ne et istic mora invalescat, celeri remedio pro ea, quam universis ecclesiis debemus, sollicitudine duximus providendum. Quamobrem mittimus isto cum nostris ea super re mandatis dilectum filium Iosephum a Sancta Maria, Ordinis fratrum discalceatorum eiusdem S. Mariae de monte Carmelo, virum spectatae fidei et integritatis, praeclarisque animi dotibus et virtutum meritis decorum, quem confidimus a te, pro tua erga nos et hanc Sanctam Sedem observantia, benevole excepturum; in caeterum fraternitatem tuam in Domino monemus, et serio hortamur, ut memor mansuetudinis illius, qui animam suam posuit pro ovibus suis, eas, quas a Deo curae tuae commissas zizaniorum sator diabolus abduxit, omni studio ad ovile Christi reducere coneris, et ad propria pascua redeuntes

(1) Coquelines, loc. cit., pag. 89. — (2) Ibid. pag. 90.

benigne suscipias, illisque ad cor reversis, debitum per inobedientiam contractum paterna charitate remittas. Ita et boni pastoris, qui amissam ovem quaerere suppositisque humeris ad caulam referre non dedignatur, et misericordis patris, qui filium poenitentem obviis ulnis in pristinum amoris sinum recepit partes implebis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. februarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Hortatorium capitulo Ecclesiae Cocinensis, occasione missionis Iosephi a S. Maria ad provinciam Angamalensem.

Dilectis filiis vicario capitulari Eccles. Cocinen. illius sede episcopali vacante legitime deputato, ac capitulo et canonicis eiusd. Eccles. Cocinen.,

ALEXANDER PP. VII.

Dilecti filii, salutem et apost. benedictionem (1).

Cum pro componendis Ecclesiae Angamalen. Thomae, archidiaconi eiusdem Ecclesiae seu Terrae, opera, ut accepimus, turbatae dissidiis, dilectum filium Iosephum a S. Maria, fratrem discalceatum Ordinis eiusdem S. Mariae de monte Carmelo, virum virtutibus ac optimis qualitatibus praeditum, ad illas partes destinare decreverimus; hinc est quod nos dilectionem vestram, praesentium tenore, in Domino censuimus adhortandum, ut, pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia, praedictum Iosephum ad vos divertentem benigne excipiatis, illique quodcumque opportunum auxilium et favorem praebeatis, et pro viribus assistatis, ut ipse consilio et ope vestra adiutus, memoratae Ecclesiae Angamalensi pacem et concordantiam in executionem mandatorum nostrorum, ad omnipotentis Dei laudem et Dominici gregis salutem, restituere, ac christifideles, aliena seductione et inconsulta levitate a ven. fratri Archiepiscopo Angamalensi, eorum pastore, distractos, ad eiusdem Archiepiscopi obedientiam reducere, Domino cooperante, valeat. Implebitis ea in re partes verorum Ecclesiae Catholicae filiorum, nobisque gratissimum erit quidquid benevolentiae eidem Iosepho impendetis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. februarii MDCLVI., pontificatus nostri anno I.

IX.

Confirmat Divisionem Provinciae S. Iacobi de Mexico Ordinis Praedicatorum in Indiis in duas Provincias (2).

ALEXANDER PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Secreto aeternae providentiae consilio, meritis licet imparibus, in supremo militantis Ecclesiae throno constituti, animorum concordiam, sine qua non bene colitur Princeps pacis, inter religiosos viros, quos postpositis dissentionibus in humilitatis spiritu vota sua Deo reddere decet, solidare quantum nobis ex alto conceditur satagimus, et propterea, quae a Religiosorum Ordinum superioribus ad removendas dissentiones inter eorumdem Ordinum professores exortas provide facta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Petitio approbationis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Silva Procurator conventus Sancti Dominici civitatis Angelopolitan. in Indiis fratrum Ordinis Praedicatorum, quod dilectus pariter filius Ioannes Baptista de Marinis eiusdem Ordinis Magister Generalis tranquillitati provinciae Sancti Iacobi de Mexico dicti Ordinis consulendi ergo, eandem provinciam in duas, unam quidem Sancti Iacobi de Mexico, et alteram Angelopolitanam respective nuncupandas, assignatis utrique seu alteri illarum suis terminis, ac conventibus, collegiis et vicariis, divisit, dictaeque provinciae Angelopolitanae noviter erectae diversa magisteria et praesentaturas concessit, ac pro hac vice de Priore provinciali providit, et alias, prout uberius continetur in literis patentibus ipsius Ioannis Baptistae Magistri Generalis

(1) Coquelines, loc. cit., pag. 92. — (2) Ex Tab. S. C. de P. F.

desuper expeditis tenoris, qui sequitur, videlicet:

Divisio a de Mariuis facta.

Nos frater Ioannes Baptista de Marinis Sacrae Theologiae professor Ordinis Praedicatorum humilis Magister Generalis et servus, a primo assumptionis nostrae ad magisterium Ordinis exordio, de dilecta nobis provincia Sancti Iacobi de Mexico solliciti, nullum non movimus lapidem, quin eius tranquillitati, ac pacificae conservationi, quantum cum Domino possumus, esse tconsultum; sed, proh dolor, etsi non dormiret Pater familias, et vigilarent homines, inimicus tamen homo superseminavit quae apparent zizania in medio tritici, quibus fructus boni seminis suffocatus marcescens, ab avita disciplinae regularis puritate nimirum deflexisse deprehenditur: nutriuntur siquidem in ipsa, veluti in novae Rebeccae utero, collidentes parvuli sese supplantare conantes, cum tamen mater nostra Sacra Religio non geminum populum, multoque minus discordem, agnoscat, sed unicam prolem ubique gentium diffusam, fecundata sanctissimi Patriarchae Dominici, imo potius Christi Redemptoris, charitate, quae, diversitatem gentium in confessione sui nominis adunans, arctiori vinculo unius professionis voto viventes filios adstringit. Quare ergo in huius provinciae utero colliduntur parvuli, et, veluti non eiusdem parentis filii, alius alium deprimit, et is, qui in Mexicana regione nascitur, natis in Angelopolitana praeire festinat, et vicissim quisque gemellum suum deprimere contendit, ut benedictionem ac privilegia primogeniturae solus reportetur. Ne igitur sit iurgium inter vos; fratres enim estis, et sanctissimum Iesu nomen, quo Gentilium superstitiosa religio extinguitur, et errantes oviculae ad Christi ovile reducuntur, eo amplius per nos in novo Orbe propagetur, quo, remotis privatis commodis et contentionibus, unusquisque non quae sua, sed quae Christi sunt, quaerat, emulando charismata meliora, dividere vobis in funiculo distributionis terram decrevimus. Post iuges igitur Domino fusas preces, ac profundam mentis nostrae considerationem, adhibito maturo graviorum Patrum consilio, pro pace huius provinciae, in Domino expedire iudicavimus ipsam dividere. Cumque ad hoc perpetuo firmiter ac felicius stabiliendum, non solum officii nostri, verum etiam Apostolicae Sedis, robur adiicere opportunum existimaverimus; harum serie, nostri auctoritate officii, cum speciali apostolica Sanctissimi Domini Nostri Alexandri divina providentia Papae VII. benedictione, praefatam provinciam Sancti Iacobi de Mexico dividimus in duas, quarum prima antiquam nomen Sancti Iacobi de Mexico et locum in Ordine retineat; altera Angelopolitanae sive Sanctorum Angelorum in Indiis nomine gaudeat (in memoriam apparitionis Angelorum a quibus huius provinciae praecipua urbs Angelopolitana appellatur).

Et, ne aliqua in divisione conventuum contentio, aut lis suboriatur, declaramus, ad provinciam Sancti Iacobi de Mexico pertinere conventus existentes in dioecesi Archiepiscopatus Mexican., et sunt sequentes, videlicet: Realis conventus Sancti Dominici de Mexico, collegium Sancti Patris nostri Dominici de Porta Coeli, conventus Beatissimae Virginis de Pietate extra moenia Mexicanae civitatis, conventus Cuivacam, vicaria de Ascapusalco, vicaria Atacubaya, vicaria Sancti Hiacynthi, vicaria Sancti Augustini de Vascuebas, vicaria de Mixeo, ac vicaria de Amecamecan, vicaria de Chimalhuacaneza, vicaria de Iepeslaostec, vicaria de Citlahuae, vicaria de Ienango, vicaria de Pathitepec, vicaria de Paptpec, vicaria de Tantepec, vicaria de Thalizapan, vicaria de Tepastlan, vicaria de Traquiltenango Tcepulte, vicaria de las Amilpas, vicaria de Ecasingo, vicaria de Iesela, vicaria de Euaiape; insuper conventus de Beateras in dioecesi Episcopatus Mechoacanensis, ac conventus civitatis ac dioecesis Episcopatus Eundalaxarae: sunt omnes numero viginti novem.

Ad novam vero provinciam Angelopolitanam, sive Sanctorum Angelorum (cuius terminos praefigimus totum territorium Episcopatus Angelopolitani, et insuper quatuor domos Mistucae) pertinebunt sequentes conventus: In dioecesi Angelopolitana conventus Sancti Dominici Angelopolitani, conventus Sancti Pauli eiusdem civitatis, collegium Sancti Ludovici, prioratus de Izocan, prioratus de la Vera Cruz, vicaria de Aguatelco, vicaria de Iepapaiecan, vicaria de Iilapan, vicaria de Gueguetlan, vicaria de Tepesic, vicaria de Chila, vicaria de Tonala, vicaria de Tequistepec, vicaria de Gualtepec vicaria Guasuapa; in dioecesi veri Episcopatus de Pazaca, prioratus de Teposcolula, vicaria

de Iefuga, vicaria Chuistlahuaca, vicaria de Iamalapa: sunt omnes numero decem et novem.

Concedimus praefatae provinciae Angelopolitanae sive Sanctorum Angelorum noviter erectae, sex magisteria, quae ante divisionem habebat, et ultra ista, duo alia, titulo lectionis; magisterium vero titulo praedicationis, quod multis abhinc annis fuit concessum filiis conventus Angelopolitan., volumus permanere in suo robore. Ad sex autem praesentaturas, quae habebat, addimus duas alias titulo lectionis, et duas titulo praedicationis: et expresse mandamus, nullum posse in praefata provincia postulari, promoveri ac promotum acceptari ad aliquem gradum, nisi pro locis actu vacantibus; et quia ad nos spectat pro hac prima vice providere praedictae provinciae Angelopolitanae, sive Sanctorum Angelorum, de priore provinciali, harum serie, ac officii nostri auctoritate, damus, creamus et facimus priorem provincialem, caput et pastorem eiusdem provinciae, admodum reverendum patrem fratrem Franciscum de Paula provinciae nostrae Sanctissimi Rosarii Philippinarum, et eo mortuo (quod absit) secundo loco, admodum reverendum patrem magistrum fratrem Ioannem de Cuenca eiusdem provinciae Angelopolitanae, et isto (quod Deus avertat) mortuo, admodum reverendum patrem magistrum fratrem Ildefonsum Diez de Priego eiusdem provinciae, cum omni auctoritate et potestate, quam priores provinciales in Ordine nostro habere solent et consueverunt super omnes et singulas personas utriusque sexus, etiam tertii Ordinis nostri. Et concedimus huic provinciae, et suo superiori pro tempore, omnia et singula privilegia, praerogativas ac immunitates, quibus caeterae provinciae et earum priores provinciales in Ordine nostro de iure, vel approbata consuetudine, seu etiam ex privilegiis, habere solent et consueverunt. Mandantes omnibus et singulis nostrae curae subiectis, in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, hac una pro trina canonica monitione praemissa, nec non privationis graduum et utriusque vocis, ne sub ullo praetextu, titulo, vel quaesito colore, audeant praesentem divisionem ac erectionem novae provinciae respective directe vel indirecte impugnare, aut aliquod contra quomodolibet attentare. Omnibus vero patribus ac fratribus spectantibus ad conventus supra enumeratos, ac deputatos pro nova provincia Angelopolitana, sive Sanctorum Angelorum, sub eodem formali praecepto, censura et poenis mandamus, ut priori provinciali eiusdem provinciae, ut supra a nobis creato, eiusque successoribus pro tempore, et nullatenus provinciali provinciae Sancti Iacobi de Mexico (e cuius obedientia ac iurisdictione eos totaliter eximimus) in omnibus et per omnia obediant ac pareant. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem, his officii nostri sigillo munitis, manu propria subscripsimus.

Datum Romae, in conventu nostro Sanctae Mariae supra Minervam, die festo Sanctorum Angelorum XXIX. sept. MDCLVI. Frater Ioannes Baptista de Marinis magister Ordinis. F. Gregorius Arostegni, et Areilzo magister provincialis Terrae Sanctae, Secretarius. Registrat. fol. 147.

Divisionis apostolica confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator exponens praemissa pro firmiori illorum subsistentia et observatione apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari summopere desideret: Nos eundem Ioannem procuratorem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, divisionem dictae provinciae S. Iacobi de Mexico in duas provincias, sicut praemittitur, nuncupandas, necnon conventuum vicariarum, collegiorum et terminorum assignationem, ac magisteriorum et praesentaturarum concessionem et additionem, utrique, seu alteri earumdem provinciarum respective, prioresque provinciales praedictae provinciae Angelopolitan. pro hac prima vice creationem seu deputationem, et alia omnia et singula a memorato Ioanne Baptista Magistro Generali, ut praefertur, facta, concessa, de-

clarata, mandata et ordinata, ac emanatas desuper literas patentes praeinsertas cum omnibus et singulis quomodolibet contentis in illis, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in illis, supplemus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit respective, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae Sancti Iacobi de Mexico, necnon conventuum, vicariarum et collegiorum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis iisdem Ordini, provinciae, conventibus, vicariis et collegiis, illorumque superioribus et personis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. octobris MDCLVI., pontificatus nostri anno II.

X.

Confirmat et declarat constitutionem Innocentii Papae X., qua damnatae sunt quinque propositiones excerptae a Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis libro, cui titulus Augustinus.

ALEXANDER EPISCOPUS
servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad Sanctam beati Petri Sedem et universalis Ecclesiae regimen, inscrutabili divinae providentiae dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctae fidei nostrae ac sacrorum dogmatum integritati, tradita nobis a Deo potestate, opportune consuleremus. Ac, licet ea quae apostolicis constitutionibus abunde fuerunt definita, novae decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicae tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptu apostolicae auctoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Refert litteras Innocentii X.

§ 1. Emanavit siquidem alias a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro constitutio, declaratio et definitio tenoris qui sequitur, videlicet:

INNOCENTIUS EPISCOPUS
servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, occasione impressionis libri cui titulus *Augustinus*... (Reliqua vide supra, suo loco).

Mandat neminem consentire praedictis propositionibus.

§ 2. Mandamus igitur omnibus christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis. Praecipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas praedictas, ceterisque iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, omnino coerceant et compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem

et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro Cornelii Iansenii.

Dubia deinceps suscitata.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii praedictas quinque propositiones vel in libro (1) praedicto eiusdem Cornelii Iansenii non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento damnatas non fuisse asserere magno cum christifidelium scandalo non reformident:

Iterum. Alexander damnat praedictas propositiones in sensu ab eodem Iansenio intento.

Nos, qui omnia quae in re gesta sunt sufficienter et attente perspeximus, utpote qui eiusdem Innocentii praedecessoris iussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus apostolica auctoritate eadem causa discussa est (2), ea profecto diligentia, qua maior desiderari non posset, quamcumque dubitationem super praemissis in posterum auferre volentes, ut omnes christifideles in eiusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri pastoralis officii, ac matura deliberatione, praeinsertam Innocentii praedecessoris nostri constitutionem, declarationem et definitionem harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, et quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse declaramus et definimus, ac uti tales, inusta (3) scilicet eadem singulis nota, quae in praedicta declaratione et definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum saepedicti Cornelii Iansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis editos, et si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus praedicta eiusdem Cornelii Iansenii doctrina, ut supra damnata, defenditur, vel adstruitur, aut defendetur et adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus.

Mandat observari suam declarationem.

Mandantes omnibus christifidelibus, ne praedictam doctrinam teneant, praedicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publice vel privatim, palam vel occulte imprimant, sub poenis et censuris contra haereticos in iure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis.

Contravenientes punit.

§ 4. Praecipimus igitur omnibus venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis ceterisque locorum Ordinariis, ac haereticae pravitatis inquisitoribus, ac iudicibus ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut praeinsertam eiusdem Innocentii praedecessoris constitutionem, declarationem ac definitionem, iuxta praesentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes et rebelles praedictis poenis aliisque iuris et facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnationis Dominicae MDCLVI., XVII. kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

XI.

Fr. Iosephum a S. Maria, Hierapolitanum Episcopum, iterum ad componenda dissidia in Angamalensi dioecesi exorta, commendat.

ALEXANDER PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Dilecte fili,
salutem et apost. benedictionem (4).

Remeante ad istas partes ven. fr. Iosepho a S. Maria (5), Episcopo Hierapolitano, praetermittere noluimus, quin gaudium nostrum vobis testaremur, quo perfusi fuimus in Christo Iesu, intelligentes quam alacri zelo et diligentia christianos provinciae Terrae Malabarium, detestando scelere Thomae de Campo dispersos, colligere, ut ab eiusdem Thomae, qui episcopalem honorem, non vocatus a Deo tamquam Aaron, sed superbo sibi tumore damnabiliter arrogavit, veneratione aver-

---

(1) Male edit. Main. legit *libero*.

(2) Male ut puto edit. Main. heic duo puncta interponit.

(3) Pessime edit. Main. legit *intusta* pro *inusta*.

(4) Vide, *Seconda spedizione all' Indie orientali di monsignor Sebastiani, fr. Giuseppe di S. Maria, dell' Ordine de' Carmelitani Scalzi, prima Vescovo di Hierapoli*, etc., Venecia MDCLXXXIII., pag. 25.

(5) Vide Eustachio di S. Maria, *Istoria della vita, virtù, doni e fatti illustri del ven. monsignor fr. Giuseppe di S. Maria*, Roma MDCCXIX.; et Urbain Cerri, *État présent de l'Eglise Romaine, écrit pour l'usage du Pape Innoc. XI.*, Amsterdam MDCCXXVI.

tere studueritis, operariosque nostros componendis istic rebus sedulo allaborantes, auxilio favoreque vestro cumulaveritis. Qua in re implevistis, filii, partes gravissimi illius muneris, quod vobis credidit haec Sancta Sedes, cuius uberem proinde gratiam estis promeriti. Verum in bonis coeptis cessandum non est, sed eo usque perseverandum donec illa compleat eius gratia, qui omnis boni operis inspirator et perfector est.

Quapropter nos, quibus gregis sui custodiam commisit Deus, istuc denuo mittimus cum mandatis nostris memoratum Episcopum, virum religione catholicaeque fidei zelo ac pietate et sapientia praestantem, ut, quid in dicta provincia adhuc turbatum est, quantum divina Bonitas dederit, componat; quem ut solitae pietatis vigilantiaeque et solertiae vestrae praesidiis, consiliis et favoribus in tam sancto opere coadiuvetis, vos etiam atque etiam paterne hortamur.

Nec dubitamus id vos sponte vestra, sicut fecistis, ita et facturos; sed rei gravitas exigit, ut bene currentem studii obsequiique vestri diligentiam incitemus stimulo apostolicae sollicitudinis, quam religiosis laboribus et conatibus vestris faventem semper experiemini, et coelestium benedictionum cumulum vobis a Deo precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. ianuarii MDCLX.

XII.

Fr. Iosephum a S. Maria, Episcopum Hierapolitanum, apostolicum commissarium et administratorem provinciae Terrae Malabarium constituit (1).

Dilectis filiis christifidelibus provinciae Terrae Malabarium, etc.

ALEXANDER PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Gratum nobis fuit venerationis gratitudinisque officium, quod epistola praecipuae partis vestrum nomine scripta, quam ad nos pertulit venerabilis frater Iosephus a Sancta Maria, Episcopus Hierapolitanus, qui in minoribus constitutus, professionem regularem in Ordine fra-

(1) Litterae Congregationis de Prop. Fide super missionem fr. Iosephi a S. Maria, Episcopi Hierapolitani, in provincia Terrae Malabarium.

LITTERAE CONGREGATIONIS

Reverendi et illustres DD.

Licet ex iis, quae Sacra Congregatio de Propaganda Fide, in vestrarum animarum salute procuranda, praestitit, hactenus satis testatum esse potuerit, quo affectu DD. VV. ac populum istum, quamvis longe dissitum, amplexa sit, ac in praeceps ruentibus paternam manum extenderit, duobus egregiis ac religiosis viris, non modico sane dispendio ac incommodo, ad vos missis; supremum nihilominus eiusdem benevolentiae ac pastoralis sollicitudinis argumentum vobis proferet fratris Iosephi a Sancta Maria, nunc Episcopi Hierapolitani, ad hanc provinciam reditus. Quandoquidem cum nullus a duobus annis de rerum vestrarum statu deque patre Hyacintho nuntius advenerit, metumque paternus amor ingerat, ne, eo sinistro forsan eventu (quod Deus avertat) sublato, vos relicti sitis vesaniae expositi Thomae de Campo; charitas Christi urget nos, ut praedictum Episcopum ad vos denuo impellamus, ut contra impios praefati Thomae conatus opponat murum pro domo Israël et opus Dei, in vobis laudabiliter caeptum, eodem favente, perficiat. Quamobrem, sive eximia erga vos Sedis Apostolicae spectetur sollicitudo, quae, licet sui muneris partes abundanter expleverit, maiestate tamen seposita, vos adhuc reluctantes insequitur; sive eiusdem Episcopi fratris Iosephi in vos pensetur amor, utpote nec laboribus fractus, nec periculis, ac tam longi itineris incommodis perterritus, nec iis, quas passus est in vobis, difficultatibus fessus, eidem provinciae, ut Christo lucrifaciat, sese committere non perhorrescit; undique vos vel ipsis beneficiis ad vestram salutem adigi fatendum est, prorsusque inexcusabiles futuros, si huius Sanctae Sedis iudicio (cuius de necessitate salutis parendum est monitis) amore tandem non acquieveritis. Fratres, non de fortunis, aut de re temporali et fluxa, sed de animarum iactura deque aeterna salute agitur; nec vestra, sed vos quaerit Sancta Sedes, laboresque, impensas, sollicitudinem, admonitiones, spiritualia arma, se ipsam libenter impendet et superimpendet, ut vos a faucibus perditionis ereptos ad Christi caulam revocet. At plane christiano nomine vestraque nobilitate indignum est, tot repetitis Christi vicarii vocibus adhuc ex parte resistere aut cunctari, vesanique impostoris fraudibus tamdiu abduci. Quod vero ad patrem Hyacinthum attinet, qua ratione apud vos fuerit, qua existimatione eius persona ac monita fuerint a vobis excepta, hic prorsus ignotum, utinam aequo ipsius virtuti ac laboribus fructu. Caeterum, quamvis Sacr. Congregatio eum ad alia non minoris momenti negotia destinaverit, eius tamen iudicio relicta est discedendi aut istic manendi facultas, prout Dei causa, quam agit, quamque solam intendimus, postulaverit.

VV. DD. a Deo summam felicitatem apprecor (XX. ianuarii an. MDCLX.).

RR. atque DD. vestrorum

Studiosus

F. Cardinalis CHISIUS.

Marius Albericus, Secretarius.

trum excalceatorum eiusdem Sanctae Mariae de monte Carmelo emisit, apostolatui nostro pro salute animarum vestrarum laboranti exhibuistis; sed gravissimum cordis nostri de scissura istius Ecclesiae Angamalensis dolorem magnopere exacerbavit, quod res istas nefario Thomae de Campo conturbatas, pristinae necdum cognovimus redditas esse tranquillitati.

§ 2. Et quia paterna nostra de vobis sollicitudo eo magis intenditur, quo pericula vestra magis ingravescere intelligimus; iterum ad vos mittendum esse censuimus cum mandatis nostris eumdem Iosephum, cuius eximia charitas, probitas, fides et industria, ac vobis quoque probata virtus et prudentia, fiduciam nobis in Domino praestant, fore ut eius opera omnia istic ad omnipotentis Dei gloriam animarumque vestrarum utilitatem salubriter componantur, dictaeque Ecclesiae status, divina largiente gratia, prospere constabiliatur.

§ 3. Quapropter ipsum Iosephum apostolicum in ista provincia Terrae Malabarium seu Sancti Thomae commissarium et administratorem eiusdem provinciae constituimus; vosque proinde omnes et singulos hortamur in Domino, ac apostolica etiam vobis auctoritate praecipimus, ut eumdem Iosephum, uti nostrum et huius Sanctae Sedis Apostolicae delegatum reverenter, sicut veros Ecclesiae Catholicae filios decet, suscipiatis, eumque debito honore, amore, obsequio et benevolentia prosequamini; ac illi in omnibus iis, quae nomine nostro vobis mandavit, studiosa humilitate pareatis.

§ 4. Porro si adhuc aliqui ex vobis memorato Thomae de Campo, qui nomen Episcopi vesana sibi superbia arrogavit, munerique pastorali sese contra canonicas sanctiones et sanctorum patrum decreta damnabiliter intrusit, adhaerent, illis sub interminatione divini iudicii praecipimus, ut sese ab illo penitus seiungant, eique quoquo modo adhaerere aut favere desinant; ne (quod divina misericordia avertat) extra caulam Domini vagantes, in aeternae damnationis praecipitia ferantur.

§ 5. Et hoc vobis, filii, significandum duximus, quemdam nomine Ignatium Caltrimensem, Atalla seu Adeodatum, assertum patriarcham, et schismaticum, qui in Meliapor captus fuisse dicitur, nec a fel. record. Innocentio X., nec ab ullo alio Romano Pontifice, praedecessore nostro, istuc missum fuisse; sed ementitae legationis apostolicae praetextu simplicitati vestrae illudere tentasse, quo vos erroribus, quibus ipse misere involvebatur, implicaret.

§ 6. Verum gratias agimus divinae Benignitati, quae perniciosis eiusdem schismatici conatibus obstitit, vosque apostolico monemus et hortamur affectu, ut solliciti servetis unionem spiritus in vinculo pacis; atque ita charitatis septo vos munire studeatis, ut a luporum rapacium incursibus securi vitam agatis, ac demum perennis gloriae praemio donari mereamini.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. ianuarii MDCLX., pontificatus nostri anno V.

XIII.

Fr. Hyacinthum a S. Vincentio, carmelitanum, visitatorem omnium missionum in Asia constituit.

Dilecto filio fratri Hiacyntho a S. Vincentio, etc.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

De spectata tua gravissimis in rebus fide, integritate, prudentia, dexteritate, industria et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, te visitatorem apostolicum omnium missionum in Asia, cum facultate singulas et quascumque ex dictis missionibus, sive presbyterorum saecularium, sive regularium sint, ac residentias, domos, hospitia, et ecclesias et capellas, necnon personas, res, bona mobilia et immobilia earundem visitandi, omniaque et singula faciendi, quae ad huius visitationis executionem spectant,

ac cum aliis facultatibus necessariis et opportunis, et alias pro huiusmodi munere rite et recte complendo a Congregatione venerab. fratr. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandae Fidei praepositorum, concedi solitis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus et constituimus, ac tibi serio iniungimus, ut de earumdem missionum statu et progressibus, de missionariorum exercitiis, laboribus et moribus, deque iis omnibus quae ad pleniorem et perfectam earum rerum notitiam pertinere videbuntur, quatenus ad maiorem Dei gloriam fideique catholicae propagationem atque earum provinciarum spirituale beneficium noveris conferre, prout latius in instructione, tibi per dilectum filium secretarium memoratae Congregationis Cardinalium transmittenda, continetur, tam per te ipsum, quam ex fide dignis testimoniis, diligenter inquiras, eamdemque Cardinalium Congregationem certiorem facere non praetermittas.

Mandamus propterea omnibus et singulis personis ecclesiasticis sive saecularibus sive regularibus, in quacumque dignitate constitutis, ut te, uti visitatorem apostolicum sic a nobis constitutum, recipiant ac recognoscant, tibique in omnibus ad praedictam visitationem spectantibus omnino pareant et obsequantur. Contradictores vero tibi obsequi et parere recusantes, per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, auctoritate nostra, compescendi et cogendi impertimur facultatem.

Volumus autem, ut ubi impositum tibi munus impleveris, eidem Congregationi Cardinalium acta tuae visitationis transmittas.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, residentiarum, locorum et hospitiorum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, statutibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum, tenore praesentium, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque (1).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. ianuarii MDCLX., pontificatus nostri anno V.

XIV.

Tria praesertim vitia in regno Congi impune gravari dolenter se comperisse, missionariisque ad ea evellanda omnem nervum impendere, regi Congi significat, ac, ut illorum extirpationi, auctoritati suae opem accommodet, hortatur.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi, et universis christifidelibus eius regni etc.,

ALEXANDER PP. VII.

salutem et apost. benedictionem (2).

Etsi longis terrarum oceanique spatiis a regionibus absumus, tamen vigilibus curis paternae charitatis, qua maiestatem tuam et vos universos in Domino complectimur, rebus vestris assidue praesto sumus. De his igitur, quae ad aeternam animarum vestrarum salutem pertinent, persaepe cogitantibus et inquirentibus nobis, uti multa, quae istic a vobis recte et pie fiunt, magnam utique laetitiam afferunt, ita nonnulla, quae principe tenebrarum suadente secus geruntur, summopere non displicere non possunt. Verum quo magis inimicus homo in omnibus, etiam feracioribus et cultioribus agri Dominici partibus, zizania superseminare numquam desinit, eo sane promptius ac accuratius ipsi noxis his germinibus evellendis sollicitudinem et operam conferre debemus.

Tria porro eaque gravissima peccata non satis apud vos emendatione debita corrigi, sed impune potius usurpari, moerentes plane comperimus. Primum, necromanticarum fallaciarum et incantationum abusus: alterum, apud homines plebeios prava furtorum et rapinarum con-

---

(1) Hae litterae apostolicae, quum in Indiam pervenerunt, iam ille vita functus erat.

(2) Tugio, loc. cit, pag. 200.

suetudo; tertium, in pauperes et humiles personas plurium nobilium virorum vexationes et oppressiones. Quae sane cuncta, quantoque, Deus abominetur, detestetur et ulciscatur, luculentis Sacrae Scripturae testimoniis et sanctorum Patrum sententiis ostendere supersedemus, quod et haec vobis non ignota esse credimus, et missionariis nostris omnibus et singulis ut ubi oportet, late et distincte cum interminatione quoque divini iudicii commemorent, sedulo mandaverimus. Eorum his de rebus admonitionibus et exhortationibus, atque adeo nostris apostolicis, et ipsius Dei praeceptis vos fidem et obedientiam pro eorum observatione et animarum vestrarum salute praestituros esse speramus, idque a vobis etiam atque etiam petimus; teque in primis, charissime fili rex, ut auctoritatis tuae opem omnem correctioni et extirpationi talium excessuum accommodes, quantum possumus, vehementer hortamur et monemus; hoc enim profecto civili quoque publici regiminis et quietis bono consules; nam his tam enormibus delictis in quavis instituta recte republica haud prohibitis et severe vindicatis, communis animorum societas abrumpitur, populorum fides labefactatur, et, quod caput est, iusti summique Iudicis ira, non sine subversione et translatione regnorum, accendi solet, ut omnium temporum exemplis et experientia comprobatur.

Quare pro viribus enitere, et elabora, ut adeo perniciosa malefacta, benedicente Domino, e regno tuo prorsus elimінentur; quo diu fausta in terris et perpetuo in coelesti gloria regnes. Quod ut ipse et vos universi feliciter consequamini, maiestati tuae populisque cunctis istis apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Castri Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die v. octobris MDCLX., pontificatus nostri anno VI.

XV.

Alphonsi, regis Loangi, reginae ac filiorum conversionem ad fidem ingenti gaudio a se perceptam nuntiat Pontifex.

Charissimo in Christo filio nostro Alphonso, Loangi in Africa regi, etc.,

ALEXANDER PP. VII.

salutem et apost. benedictionem (1).

Litterae maiestatis tuae, die II. septembris anni MDCLXIII. datae, ingenti profecto laetitia nos affecerunt, etenim significabant afflatum te Spiritus Sancti lumine, veteribus erroribus abiectis, christianae fidei veritatem agnovisse, et baptismate salutari ablutum esse, ac proinde Sanctam hanc Apostolicam Sedem et personam nostram, tamquam Dei vices in terris gerentem, humiliter venerari.

Quare nos te, charissime fili, lectissimam etiam coniugem et filios, praecipuo paternae charitatis affectu complectimur, et ipsi misericordiarum Patri Deo gratias immensas agimus, quas te pariter agere ac habere par est, eique preces ex animo porrigere, ut, qui tibi recte incipiendi gratiam adeo benigne concessit, etiam perficiendi, perseverandi ac denique bene consummandi felicitatem pro sua clementia largiatur.

Quae cuncta in regiae providentiae bonis operibus incumbens, et populorum subiectorum incolumitate, ac potissimum aeternae saluti penitus intentus orationis instantia flagitaveris, te procul dubio consecuturum esse, Salvatoris nostri promissionibus confisi, tibi plane pollicemur. Sed haec omnia caeteraque ad animae tuae tuorumque bonum et profectum pertinentia, late et distincte magis ex dilectorum filiorum patrum capuccinorum, tui studiosissimorum, voce cognoscas. Praeterea venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacrae Congregationis de Propaganda Fide litteris opportune iuvaberis, indeque novum robur et gaudium in Domino comparare sane poteris.

Nos apostolicam benedictionem ad omnia, qua spiritualium, qua temporalium bonorum incrementa maiestati domuique tuae, ac insuper aliis christifidelibus tibi subiectis amantissime impertimur.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, sub die XXI. augusti MDCLXVI., pontificatus nostri anno X.

---

(1) Tugio, loc. cit., pag. 203.

XVI.

Pontificis litterae ad christianos Tunchinenses.

Dil. filiis christifidelibus in regno Tunchini,

ALEXANDER PP. VII.

servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Dilecti filii, salutem et apost. benedictionem (1).

Cum ex aliis pluries, tum certius et exploratius ex dilecto filio Philippo de Marinis, soc. Iesu, quam felicem coelestis Agricola sibi vineam in istis regionibus plantaverit, et quantum incrementi et charismatum meliorum ei brevi tempore pro misericordia sua contulerit, non sine praecipuo gaudio pontificiae mentis audivimus.

Itaque gratiis eius clementiae sedulo et humiliter actis, eidem pio et animarum vestrarum iustitiae et salutis vere sitienti sacerdoti, nunc etiam ad vos in orbe alio, tam a nobis longe dissitos, in aetate gravi redire properanti, non solum opportuna mandata monitaque salubria, pro feliciori novellae plantationis istius profectu, sed etiam has litteras ad vos dare voluimus, quibus erga res et rationes omnes vestras praecipuus amor et sollicitudo paterna nostra plane cognita testataque vobis esset; vos igitur alloquimur, dilecti plurimum filii, quos affectu singulari charitatis hortamur ad ascensiones in corde vestro in dies magis magisque disponendas, et ad tollendos in monte sancto Domini de virtute in virtutem subinde gressus, donec ipsum deorum Deum in Sion, eo benedicente, facie ad faciem videre concedatur.

Huic porro tantae rei consequendae necessarium est, mundi huius (ex cuius tenebris ad veritatis lucem iam exiistis) adversitates et persecutiones modicum sufferre ad probationem patientiae, et eius quae in nobis est fidei, pro adipiscenda immortalis gloriae corona, cuius profecto passiones huius saeculi condignae non sunt. Sed quoniam idem Philippus et alii societatis Iesu patres, viri sapientia et virtutibus omnibus longe praestantes, quique animas suas pro vestra salute ac Dei gloria ponere non dubitant, planius coram docebunt vos omnia, eos audire, et pro viribus imitari satagite. Illi quidem et a nobis auctoritatem animarum vestrarum saluti et directioni necessariam habent, et, si quid amplius forte temporum rationes exposcent, indicari iussimus annuis huc ad patrem generalem suum litteris, quibus de statu et rebus vestris omnibus iugiter admoneri volumus.

Interim vobis, dilecti filii, et assiduo felicique vestro in semitis Domini progressui, benedictionem apostolicam peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die ultima martii MDCLXVII., pontificatus nostri anno X.

---

(1) *Mission de la Cochinchine et du Tonkin*. Paris MDCCCLVIII, apud Douniol, pag. 383.

CLEMENS PAPA IX.

An. C. 1667

I.

Custodiae prov. Ord. Min. S. Francisci Transilvaniae, iuxta modum, custodem eligit (1).

CLEMENS PP. IX.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Religionis zelus, vita ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Itaque dissentionibus, quae inter fratres de observantia et reformatos nuncupatos custodiae Transylvaniae Ordinis Minorum S. Francisci super electione novi custodis provincialis custodiae huiusmodi exoriri possent, pastorali sollicitudine occurrere cupientes, ac de tua fide, prudentia, integritate, vigilantia, charitate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque qui (ut accepimus) frater reformatus expresse professus eiusdem custodiae existis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te memoratae custodiae Transylvaniae custodem provincialem ad tempus, quo eiusmodi custodiae officium durare consuevit, cum omnibus et singulis facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, auctoritate, privilegiis, gratiis, et indultis ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, pro hac vice instituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes praeterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis dictae custodiae superioribus, fratribus et personis, caeterisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut te ad demandatum tibi per praesentes custodis officium eiusque liberum exercitium iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus officium huiusmodi concernentibus faveant et assistant, pareant et obediant respective:

§ 2. Ac decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari:

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, custodiae et Ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. decembris MDCLXVII., pontificatus nostri anno I.

An. C. 1667

(1) Tabul. Congr. de P. F. Scritture riferite etc. Ungheria Transilvania, vol. I., pag. 184.

II.

Ab interstitiis dispensat (1).

Dilecto filio Edmundo Hordnero scholari Rosen. dioec. in Hibernia,

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, salutem et apostolicam benedictionem.

Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est quod nos tibi, ut asseris, fervore devotionis accensus, ac alias plurimum cupias clericali charactere insigniri, et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines quam primum promoveri, et promotus in illis altissimo quoad vixeris famulari, praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut cum litteris testimonialibus praefecti seu rectoris collegii, in quo studuisti, tui vitam, mores et probitatem commendantibus, a quocumque quem malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente et in propria dioecesi residente, vel in aliena de consensu Dioecesani loci pontificalia exercente, per te ad id speciali eligendo, dicto charactere insigniri et quatuor feriatis, vel non, seu etiam unica festiva, tamen die, ad quatuor minores, nec non subinde tribus dominicis seu aliis de praecepto Ecclesiae festivis continuis vel interpolatis, ad dictos omnes sacros et presbyteratus ordines et extra tempora ad id a iure statuta, et intra annum, annique curriculo non expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino designatis interstitiis, et dummodo ad id reperiaris idoneus et servitio alicuius ecclesiae te adscribas, si nondum sis adscriptus, factaque prius per te coram Antistite promovente promissione quod, quantocitius fieri poterit, in Hiberniam te conferre ad ducendum missionarii officium sub directione S. Congregationis de Propaganda Fide, quam singulis annis propriis literis de tui persona et gestis certiorem facere tenearis, ad titulum missionis in Hibernia promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac tam tibi quam cuilibet Antistiti per te ad praemissa ut praefertur eligendo licentiam auctoritate et tenore praemissis desuper impertimur, non obstante quod tu tempore promotionis tuae ad quemcumque ex dictis ordinibus te in alio vel aliis per te antea susceptis non exercueris, ac synodalibus et provincialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnat. Dominicae MDCLXVII., pontificatus nostri anno I.

III.

Motu proprio eximit Collegium Urbanum a vini vectigali.

Bonaccursius Bonaccursius Prothonotarius Apostolicus Sanctissimi D. N. Papae et Rev. Camerae Apostolicae Generalis Thesaurarius.

Auctoritate nostri Thesaurariatus officii, ac in executionem et vigore specialis Sanctissimi D. N. Papae chirographi nobis directi tenoris sequentis, videlicet:

« Monsignor Buonaccorso Buonaccorsi nostro tesoriere generale. Volendo noi far gratia particolare al Collegio Urbano di Propaganda Fide per le singolari qualità e circostanze che in esse concorrono, vi ordiniamo, che facciate intendere a Zenobio Baldinotti, e compagni doganieri di Roma, essere nostra mente, che non ostante le bolle publicate da noi, e dai nostri antecessori sopra la revocazione dell'esentioni, lascino passar franco di dogana nel numero delle 4150 botte di vino di Ripa al detto Collegio per quella quantità di botte di vino, che bisognarà ogn'anno

(1) Tabul. Congr. de P. F. Scritture riferite etc. Irlanda, vol. II., pag. 68.

per servitio di esso, purchè non passino botte cinquanta l'anno, anco quanto alli quattro per cento, et alli quattro giulii a botte in conformità della bolla della fel. mem. d'Urbano VIII. parimente nostro predecessore data sotto il dì primo agosto 1627, e darete in ciò gl'ordini necessarii, acciochè gli ne siano fatte le speditioni opportune in essecutione di questa nostra volontà, ancorchè il presente chirografo non si presenti, nè si ammetta in camera e ne suoi libri, non ostante la bolla di Pio IV. nostro predecessore de registran., e le sudette revocatori dell'esentioni nostre, e de' nostri antecessori, e qualsivoglia altra cosa che facesse in contrario, alle quali tutte havendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza per questa volta sola deroghiamo. Dato nel nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo questo di 19 decembre 1668.

CLEMENS PAPA IX. »:

Tenore praesentium committimus et mandamus

Ill. DD. Zenobio et Caesari de Baldinottis Almae Urbis dohaneriis generalibus, et earundem dohanarum gubernatoribus et ministris, caeterisque aliis, ad quos spectat, etc. quatenus sub mandati rigorosi aliisque poenis, debeant in numero quatuor millium centum quinquaginta doliorum vini ripali, ven. Collegio Urbano de Propaganda Fide eiusque ministris, totam illam quantitatem doliorum dicti vini, quod quolibet anno pro eius servitio opus erit, dummodo non excedant dolia quinquaginta, dicto quolibet anno liberam et francam a solutione cuiusvis dohanae, etiam quoad quatuor pro centenario, ac etiam quoad iulios quatuor pro quolibet dolio in omnibus, et per omnia iuxta formam, tenorem et continentiam praeinserti chirographi transire fecisse, permisisse et mandasse, ac praesenti nostro mandato etc. in omnibus et per omnia paruisse et obedivisse. Alioquin etc. contrariis etc. Nam in executionem praeinserti chirographi, de quo in actis etc. ac pro illius observatione et adimplemento ita mandamus.

Datum Romae, ex aedibus nostris hac die I. februarii MDCLXIX.

IV.

Erigit Congregationem indulgentiis et sacris reliquiis praepositam.

CLEMENS PP. IX.

ad perpetuam rei memoriam.

In ipsis pontificatus nostri primordiis, cum multas venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationes ad certarum rerum et negotiorum in amplissimum Romanae curiae alveum ex omnibus mundi partibus assidue confluentium tractationem atque determinationem a felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad Ecclesiae catholicae ac ditionis temporalis eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem prudenti salubrique consilio institutas reperissemus, quae incumbentem nobis ingentem curarum molem pro sua quaeque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam videremus, quae sacri indulgentiarum thesauri curae et dispensationi, sacrarumque reliquiarum recognitioni, disquisitioni peculiariter incumberet: *Prooemium.*

§ 1. Nos, eumdem inaestimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, et omnia, quae sacras reliquias huiusmodi contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus, ac aliquos curiae praedictae praelatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina et rerum usu eximie praeditos selegimus, quorum consilio, opera et industria tam gravem muneris nostri partem ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem ac spiritualem christifidelium aedificationem facilius implere valeremus. Hi vero subinde, prout rerum et negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi a nobis provinciam recte et fructuose, atque ex animi nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod auctore Deo suscepimus, fructum, eodem adiuvante atque incrementum dante, perennare desiderantes, *Motiva.*

§ 2. Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Congregationem eiusdem S. R. E. Cardina- *Erectio de qua in rubrica.*

lium ac praelatorum, et aliorum virorum praedictorum, a nobis, ut praefertur, electorum et deputatorum, ac in futurum tam a nobis quam a successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum et deputandorum, cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat (nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane proposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius auctoritate reiiciendi; reliquias de novo inventas, quas recolendae mem. Innocentius III. praedecessor noster in generali concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi; ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis, moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aliove quolibet etiam substantiali et formali ac incogitato et inexcogitabili necessariamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci ullo modo unquam posse;

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitatis alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ad de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. iulii MDCLXIX., pontificatus nostri anno III.

V.

Qui in regno Bisapor in Indiis orientalibus Vicarii Apostolici munere fungebatur, eodem functurus in regnis Pegù et Golgonda cum facultatibus etc. constituitur.

CLEMENS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Christifidelium regnorum Pegù, Golgonda et Bisapor in Indiis orientalibus animarum saluti, et infidelium in illis existentium ad fidem catholicam conversioni pro pastorali nostra sollicitudine consultum esse volentes, ac de spectata fraternitatis tuae fide, prudentia, doctrina et orthodoxae religionis zelo, plurimum in Domino confisi, de ven. fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, te, qui in regno Bisapor earumdem Indiarum orientalium Vicarius Apostolicus ab hac Sancta Sede Apostolica deputatus existis, etiam in ipsis regnis Pegù et Golgonda Vicarium Apostolicum cum facultatibus tibi a ven. fratris nostris S. R. E. Card. adversus haereticam pravitatem in universa christiana republica Inquisitoribus generalibus ab eadem Sede Apostolica specialiter deputatis, hactenus concessis et in futuris concedendis apostolica auctoritate tenore praesentium ad nostrum et eiusdem Sanctae Sedis beneplacitum facimus, constituimus et deputamus. Mandantes propterea universis et singulis christifidelibus supradictorum regnorum, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus Vicarii Apostolici huiusmodi officium concernentibus, et quae eis in Domino mandanda duxeris, prompte pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam statueris in rebelles, faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus praedictis litteris (1) ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae etc. MDCLXIX.

(1) Quae? Forsan litterae, quibus muneri Vicarii Ap. in regno Bisapor idem Episcopus deputatus fuit. Ceterum, ita in originali.

CLEMENS PAPA X.

An. C. 1670

I.

Declarat provisionibus ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium Portugalliae, Indiarum et conquistarum post decessum regum Sebastiani et Henrici factis, nullo modo coronae Portugalliae fuisse derogatum etc. (1).

CLEMENS PP. X.
ad futuram rei memoriam.

Exordium et ratio huius declarationis quoad provisiones factas ecclesiarum regnorum Portugalliae et Algarbiorum atque conquistarum tantum.

Cum, sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri principis regnorum Portugalliae et Algarbiorum gubernatoris, per dilectum filium et nobilem virum Franciscum de Sausa comitem de Prado et marchionem de las Minas, eiusdem Petri principis gubernatoris apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nobis nuper expositum fuit, circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum, et cathedralium, in dictis regnis eorumque Indiis et conquistis consistentium, nonnullae innovationes post decessum clar. mem. Sebastiani et Henrici, dum vixerunt, Portugalliae et Algarbiorum regum illustrium, factae fuerint, propter quas praetendi forsan posset iuribus coronae Portugalliae aliquo modo praeiudicatum esse:

Mandat dd. provisiones, post decessum Sebastiani et Henrici regum factas, iuribus coronae nullatenus obesse.

§ 1. Nos eumdem Petrum Principem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quae circa provisiones ecclesiarum praedictarum, post decessum memoratorum Sebastiani et Henrici regum, principaliter et accessorie, sive antecedenter vel consequenter aut concomitanter, vel alias quomodolibet, factae fuerunt, iuribus coronae praedictae nullo modo praeiudicatum esse, aut praetendi posse, sed omnia et singula, provisiones earumdem ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi, tempore praedictorum Sebastiani et Henrici eorumque antecessorum regum erant, remansisse et remanere in omnibus et per omnia, perinde ac si eaedem innovationes nullo modo factae fuissent, tenore praesentium declaramus.

An. C. 1670

Omnia dd. ecclesiarum provisiones concernentia mandat in eo statu remanere, quo erant tempore dd. regum et antecessorum.

Decretum et clausula irritans.

§ 2. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac, in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis aliisque quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus,

(1) Mainardi addit *antea non fuisse impressam* hanc const. reg. in Secret. Brev. lib. I. diversor. fol. 457.

seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis ac pluries innovatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. decembris MDCLXX., pontificatus nostri an. I.

II.

Declarat superiori const. Cum sicut, *nullum praeiudicium fuisse illatum iuribus S. Sed. Ap.* (1).

CLEMENS PP. X.

ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio facta favore iurium coronae Portugalliae.

§ 1. Cum nos hodie, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quae circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Portugalliae et Algarbiorum regnis eorumque Indiis et conquistis consistentium, post decessum clar. mem. Sebastiani et Henrici, dum vixerunt, Portugalliae et Algarbiorum regum illustrium, quomodolibet factae fuerunt, iuribus coronae Portugalliae nullo modo praeiudicatum esse, aut praetendi posse, sed omnia et singula, provisiones earumdem ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi, tempore praefatorum Sebastiani et Henrici eorumque antecessorum regum erant, remansisse et remanere in omnibus et per omnia, perinde ac si eaedem innovationes nullo modo unquam factae fuissent, declaravimus, et alias, prout in nostris desuper in simili forma brevis expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et (sicut accepimus) praetendi forsan possit per innovationes huiusmodi aliquid praeiudicii iuribus huius Sanctae Sedis Apostolicae illatum esse, aut inferri quoquo modo posse:

Ratio huius novae declarationis.

§ 2. Hinc est, quod nos, qui ex debito pastoralis officii, nobis divinitus commissi, iura dictae Sedis tueri et illibata conservare tenemur, eiusdem Sedis indemnitati, hac in re, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, per praefatas et alias quascumque innovationes, quae circa provisiones metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum praefatarum seu alterius illarum, post decessum memoratorum Sebastiani et Henrici regum, principaliter vel accessorie, sive antecedenter vel consequenter aut concomitanter, vel alias quomolibet factae fuerunt, seu quas factas fuisse in posterum quandocumque apparuerit, ac inde secuta et secutura quaecumque nullum omnino, etiam quantumvis modicum et minimum, praeiudicium quibuslibet Sedis Apostolicae praefatae iuribus, circa provisiones ecclesiarum huiusmodi illi undecumque ac quomodocumque et qualitercumque competentibus et competituris vel ab ea praetensis, illatum esse seu fuisse, aut illatum dici, censeri, intelligi vel praetendi unquam posse, neque quidquam iuris, etiam quantumvis modicum et minimum, in praeiudicium dictae Sedis, per innovationes huiusmodi, coronae praefatae et aliis quibusvis, etiam specifica et individua mentione dignis, quovis modo additum vel acquisitum esse vel fuisse aut quandocumque fore, sed omnia et singula eiusdem Sedis iura huiusmodi semper integra, illaesa, intacta, illibata ac in nihilo diminuta vel labefactata tam in possessorio, quam in petitorio, et alias quomodolibet, perpetuo remanere in omni-

Declarat provisiones ecclesiarum sequutas in regno Portugal. etc. post decessum Sebastiani et Henrici regum nullatenus obesse iuribus S. Sedis.

---

(1) Ex Mainardi qui *hactenus eam impressam* dicit et registr in Secret. Brevium lib. primo diversor. fol. 461.

bus et per omnia, perinde ac si eaedem innovationes, indeque secuta et secutura quaecumque, nunquam factae, nec secutae fuissent, neque unquam sequerentur, tenore praesentium declaramus et decernimus.

Sedem adversus dictas provisiones restituit in integrum.

§ 3. Ac ad maiorem et abundatiorem cautelam, et, quatenus opus sit, eamdem Sedem eiusque iura praefata, adversus praeiudicialia quaecumque, quae illis ex praemissis, seu eorum occasione quoquo modo enata esse dici, censeri vel praetendi unquam possent, in integrum et pristinum, ac eum, in quo antequam praefatae innovationes fierent, quovis modo erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Tollit facultatem impugnandi dictam derogationem ex quacumque causa.

§ 4. Decernentes pariter easdem ipsas praesentes literas etiam ex eo quod praefati et quicumque alii in praemissis interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque vocati et auditi fuerint, vel ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima, pia et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis formali et substantiali, defectu notari, redargui, impugnari vel infringi, aut in controversiam vocari, seu ad tramites iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis praefatae Nuncios, alios vel quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans cum clausula sublata.

Amplissime derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, necnon ecclesiarum praefatarum et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatorium derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu simili, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXII. decembris MDCLXX., pontificatus nostri anno I.

III.

Indultum de officio S. Francisci Xaverii in breviario sub ritu duplici apponendo, et ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, de praecepto recitando.

CLEMENS PP. X.

ad perpetuam rei memoriam (1).

In eminenti Principis apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut sanctorum in coelis regnantium, illorum praecipue, quibus annuntiantibus evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetravit, cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, augere satagamus.

§ 1. Itaque, pro peculiari nostra erga S. Franciscum Xaverium, Societatis Iesu, qui apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium apostolus, unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, devotione, eius venerationem condignis honorum incrementis ampliare cupientes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, iubemus, ut eius officium, de mandato fel. rec. Alexandri Papae VII. praedecessoris nostri, in calendario romano sub ritu semi-duplici appositum, in posterum sub ritu duplici de praecepto in eodem apponatur, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, ubique de praecepto recitandum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, ut earundem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem societatis vel alterius personae, in ecclesiastica dignitate constututae, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. iunii MDCLXX., pontificatus nostri anno I.

IV.

A fr. Ioanne Antonio de Montecucullo, missionis praefecto, pontificiae caritatis sensa patefacienda regi Congi praenuntiat, ac eum regio patrocinio commendat.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi etc.,

CLEMENS PP. X.

salutem et apost. benedictionem (2).

Magna quamvis locorum distantia disiungamur a maiestate tua, praesentes animo tamen tibi sumus, regiorumque decorum praestantiam sedulo contemplamur; inter haec autem principem sibi cum vindicet locum eximius orthodoxae religionis amplificandae zelus, muneris idcirco esse nostri duximus, quibus suprema tanti operis procuratio a Spiritu Sancto demandata fuit, de paterna charitate nostra enixe te certiorem reddere, validosque perspectae pietati tuae ad nova usque promerita comparanda stimulos admovere.

Dilecto quocirca filio Ioanni Antonio de Montecucullo, capuccino, evangelicis operariis ob christianarum virtutum excellentiam istis in regionibus a nobis praeposito, accurate iniunximus, ut propensos erga te cordis nostri sensus pluribus coram edisserat, atque in obeundis commissae sibi provinciae partibus illustre tibi de catholica fide benemerendi praebeat argumentum.

Ad humanitatis itaque tuae magnitudinem spectaverit, virum, ad divinam gloriam propagandam accedentem nostraque commendatione insignitum, libenter excipere, religiosisque ipsius ac sociorum conatibus regio patrocinio praesto esse, perfecti sic decoris coronam, universa Ecclesia plaudente, capiti tuo superimpositurus.

Certaturum autem te egregiis piae suffragationis documentis, ut hanc solidae gloriae possessionem assequaris, profecto non dubitantes, maiestati interim tuae prospera cuncta impense precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. martii MDCLXXIII., pontificatus nostri anno III.

(1) Felippe Nery Xavier, pag. 313. — (2) Tugio, pag. 203.

V.

Instrumentum acceptationis constitutionis apostolicae Clementis PP. X. quae incipit: **Decet Romanum Pontificem, *confirmatoriae brevium Summorum Pontificum Alexandri VII. et Clementis IX., et decretorum S. Congregat. de Propaganda Fide, ad favorem vicariorum apostolicorum Chinae, Tunchini, Cocincinae, Siami etc. emanatorum.***

In nomine Domini. Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno ab eiusdem Domini nostri Iesu Christi nativitate MDCLXXIV. indictione XII. die vero XXVI. ianuarii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis divina providentia Papae X. anno IV., in mei notarii publici testiumque infrascriptorum, ad haec omnia et singula vocatorum, habitorum specialiter, atque rogatorum praesentia, praesens et personaliter constitutus admodum R. P. Pirrus Gherardus procurator generalis totius Religionis Societatis Iesu, ut ex mandato procurae in eius personam facto a reverendissimo patre Io. Paulo Oliva, Generali eiusdem Religionis, rogato, ut dicitur, per acta Domini Petrocchi connotarii de mense martii MDCLXVII. seu etc. ad quod etc. mihi etc. eoque nomine asserens et affirmans habere plenam notitiam et informationem de confirmatione et innovatione brevium san. mem. Alexandri VII. et Clementis IX., et decretorum Congregationis de Propaganda Fide, ad favorem Episcoporum vicariorum apostolicorum apud Sinas emanatorum, per praefatum sanctissimum D. N. Clementem PP. X. prout ex litteris apostolicis desuper expeditis apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. (1) decembris, proxime praeteriti, seu etc. ad quas etc. ideo in illarum executionem sponte etc. ac omnibus etc. nomine quo supra, easdem litteras apostolicas acceptavit et acceptat, ac promisit et se obligavit acceptari facere a tota eius Religione societatis Iesu et illius patribus, nec non observare et observari facere ab eisdem patribus et ab ipsomet Procuratore generali omnia et singula contenta et expressa et enunciata in eisdem litteris apostolicis, ad quas in omnibus et per omnia condigna habeatur relatio, et non aliter etc. promittens nomine praedicto, huiusmodi acceptationem semper et perpetuo habere ratam, validam et firmam, inviolabiliterque attendere et observare, contraque non facere etc. sub quovis praetextu etc. alias teneri et obligatum esse voluit, quo supra nomine, ad omnia contenta in praedictis litteris apostolicis, ad quas pariter etc. et ita tacto pectore etc. more etc. iuravit. Super quibus omnibus et singulis praemissis petitum fuit a me eodem notario publico infrascripto, ut unum vel plura publicum seu publica conficerem atque traderem instrumentum vel instrumenta, prout opus fuerit et requisitus ero. Actum Romae in officio meo etc. regionis Pontis, praesentibus ibidem audientibus et intelligentibus admodum R. P. fr. Vincentio Mircu a S. Catharina Senensi procuratore generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum et admodum R. P. Cottando ab Annuntiatione eiusdem Ordinis, testibus ad praedicta omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Ego Hieronymus Simoncellus, Curiae causarum Camerae Apostolicae notarius, de praemissis rogatus, praesens instrumentum subscripsi et publice registrari.

Loco ✠ Signi

Nos Aloysius de Aquino protonotarius apostolicus utriusque signaturae SS. Domini nostri Papae referendarius, nec non Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditor romanaeque Curiae iudex ordinarius etc. Universis etc. fidem facimus et attestamur suprascriptum D. Hieronymum Simoncellum de praemissis rogatum fuisse, et ipsum notarium publicum, legalem et fide dignum Curiae nostrae, scripturisque suis publicis et similibus, semper adhibitam fuisse et de praesenti indubitatam fidem adhiberi; in quorum fidem etc. Datum Romae, ex aedibus nostris die XXVII. *aprilis* MDCLXXIV.

VI.

Confirmatio et innovatio privilegiorum per Iulium III., Gregorium XIII., Clemen. VIII., Greg. XV. et Clemen. IX.

(1) Const. vide vol. I. Iuris, pag. 433.

collegio Germanico et Hungarico de Urbe concessorum cum prohibitione Episcopo Lauden. ne in ecclesia parochiali et monasterio S. Petri Laudiveteris Ordinis S. Benedicti, eiusque annexis et dependentibus, olim plenarie unit. eidem collegio, ullam potestatem aut iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam exerceat, usque ad beneplacitum S. Sedis, translata interim iurisdictione huiusmodi in Metropolitanum Mediolanensis.

CLEMENS PP. X.

ad futuram rei memoriam.

Gregor. XIII, monast. S. Petri Laudi veteris Ord. S. Benedicti Lauden. dioec. univit colleg. Germanico.

Exposuerunt nobis nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales collegii Germanici et Hungarici de urbe protectores, quod, licet dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. praedecessor noster, monasterium S. Petri Laudi veteris Ordinis S. Benedicti Lauden. dioec., quod conventu regulari carebat, et in quo, praeter Vicarium perpetuum, qui curam animarum parochianorum illius ecclesiae, quae etiam parochialis erat, exercebat, alii duo vel tres servientes presbyteri saeculares dumtaxat, iique ad nutum amovibiles, ad celebranda ibi divina officia residebant (nomine tantum et denominatione Abbatis ac dignitate abbatiali, nec non Ordine ac omni statu et essentia regularibus, auctoritate apostolica, perpetuo suppressis et extinctis) cum ecclesia, aedibus, aedificiis, proprietatibus, praediis, possessionibus, bonis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus, ac illi annexis quibuscumque d. Collegio eadem auctoritate sub certis modo et forma tunc expressis, eisdem perpetuo univerit, annexuerit et incorporaverit, perpetuamque in eadem ecclesia vicariam cum dote congrua pro uno vicario perpetuo, qui curam animarum dd. parochianorum exerceret, erexerit et instituerit.

In ecclesia parochiali d. monasterii erexit vicariam perpetuam.

Exemptio collegii Germ.

D. Greg. XIII. Cardinales d. collegii, personarum et bonorum protectores constituit cum facultatibus, prout in rubr.

§ 1. Et subinde, postquam tam rec. me. Iulius Papa III., etiam praedecessor noster, quam praedictus Gregorius praedecessor, collegium praedictum ac illius scholares et ministros, pro tempore existentes, eorumque bona in d. urbe vel extra eam ubicumque locorum consistentia ab omni iurisdictione et correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate quorumcumque iudicum et officialium in ipsa urbe vel alias ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes et exemptos, ac libera, immunia et exempta fecerant et constituerant, necnon eos et ea sub Beati Petri et Sedis Apostolicae protectione susceperant; dictusque Gregorius praedecessor nonnullos in humanis agentes eiusdem S. R. E. Cardinales dicti collegii eiusque collegialium ac personarum et bonorum quorumcumque Protectores constituerat et deputaverat, illisque omnes et singulas causas civiles et criminales, meras et mixtas dicti collegii illiusque collegialium, scholarium, rectorum aliorumque ministrorum et officialium, pro tempore existentium, in rebus et bonis collegium supradictum, ac illius res, iura et actiones, ac bona concernen. tam active quam passive, per seipsos aut alium seu alios, qui eis viderentur, etiam manu regia ac omni et quacumque appellatione remota audiendi, cognoscendi, decidendi, sineque debito terminandi aliaque faciendi et exequendi liberam facultatem concesserat:

Ampliatio d. exemptionis facta per Clem. VIII.

§ 2. Piae me. Clemens Papa VIII., praedecessor noster, ad tollendam tunc exortam quandam dubietatem, motu proprio ac ex certa scientia atque apostolicae potestatis plenitudine statuerit et ordinaverit, et ita etiam praedictorum praedecessorum mentem et intentionem fuisse declaraverit, quod praeter praedictos collegii Germanici et Hungarici huiusmodi protectores nullus alius iudex quacumque auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus, quam saecularis, ac tam ordinarius, quam delegatus, tam in dicta urbe, quam extra eam, in causis et negotiis ad collegium praedictum illiusque personas, res et bona ac iura quomodolibet ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus, quam futuris, sive active, sive passive, tam in prima, quam in secunda et ulteriori instantia quomodolibet exercere valeret; sed quod omnis iurisdictio et superioritas in omnibus et singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus et criminalibus, meris et mixtis, ipsum collegium ac illius scholares, ministros, officiales et personas, eorumque bona, res et iura quaecumque, aut alias quomodolibet concernentibus, ad praedictos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu iudices, deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure et in quacumque instantia,

etiam privative, quoad omnes alios quoscumque iudices, etiam quoad illarum finalem et totalem executionem, cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque iudicibus introductas et pendentes reassumendi, ac illis inhibendi, aliisque facultatibus, clausulis et decretis in ipsius Clementis praedecessoris literis desuper expeditis, latius contentis et expressis.

§ 3. Ac postmodum accepto per simil. rec. Greg. PP. XV., etiam praedecessorem nostrum, quod licet, stantibus praemissis, omnis iurisdictio et superioritas in singulis causis huiusmodi protectoribus praedictis competere nosceretur, ac etiam praefatus Gregorius XIII. praedecessor per alias suas literas spiritualem iurisdictionem et animarum curam, quam Ecclesiae d. collegio unitae habebant, totam ad ipsius collegii protectores pertinere, et siquid forte in praedicti collegii constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret vel ambiguum, id protectores et superiores praedictos, re mature deliberata, ex communi omnium consensu supplere et declarare, ad alia extendere posse voluisset, et desuper collegium, illiusque protectores, collegiales, personae et ministri huiusmodi molestari non deberent; nihilominus nonnulli, contra mentem et intentionem praedecessorum, se se in iurisdictione huiusmodi intromittere praesumebant et procurabant, ac tunc forte lites desuper introductae reperiebantur;

Privilegia collegii Germanici referuntur.

Dubia exorta super huiusmodi iurisdictione.

§ 4. Ipse Gregorius XV. praedecessor, in praemissis omnem dubitandi occasionem tollere volens, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, praevia privilegiorum anteriorum confirmatione, ac quarumcumque litium et causarum super praemissis, seu eorum aliquo quomodolibet introductarum, ac etiam in auditoris causarum palatii apostolici vel alibi coram quibuscumque iudicibus pendentium avocatione, illarumque suppressione et extinctione, ac perpetui silentii impositione, inter alia statuerit et ordinaverit, et ita eorumdem praedecessorum et suae mentis et intentionis fuisse et esse declaraverit, quod praeter praedictos et pro tempore existentes collegii Germanici et Hungarici huiusmodi protectores nullus alius iudex, quacumque dignitate, auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus quam saecularis, ac tam ordinarius quam delegatus, tam in dicta urbe quam extra eam, in causis et negotiis ad praefatum collegium illiusque personas, quascumque res, bona et iura ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus quam futuris, quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem iurisdictionis, tam civilis quam criminalis, tam circa res, bona et iura ipsius collegii, quam illius personas;

Gregor. XV. omnia antedicta privilegia confirmavit et lites super eis introductas extinguit.

Aliae eiusdem Pontificis declarationes referuntur.

§ 5. Necnon parochiales ac sine cura ecclesias seu cappellas, cappellanias et beneficia quaecumque dicto collegio quomodolibet unita seu annexa, aut ab eo, ratione monasteriorum, prioratuum seu ecclesiarum ipsi incorporatarum, quocumque modo dependentia, ac presbyteros, vicarios, cappellanos et ministros quomodolibet nuncupatos, illis pro tempore etiam in cura et exercitio parochialibus ac divinis deservientes, ad nutum protectorum vel aliorum superiorum aut collegialium d. collegii, praevia tamen Ordinarii approbatione, ponendos et amovendos ac etiam perpetuos, quomodolibet exercere posset et valeret:

§ 6. Curamque omnium et singularum ecclesiarum parochialium et curatarum ad praedictum collegium quomodolibet spectantium ab omnimoda iurisdictione, superioritate et dominio quorumcumque Ordinariorum penitus et omnino (praeterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis) perpetuo exemerit et liberaverit, ac omnem iurisdictionem et superioritatem in omnibus et singulis causis suprascriptis et aliis quibuscumque civilibus et criminalibus, meris et mixtis, ipsum collegium et eius scholares, ac ecclesias eidem collegio unitas, ministros, officiales et personas, eorumque bona, res et iura et curam animarum, illiusque exercitium, ac Sacramentorum ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad praefatos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu iudices, deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure in quacumque instantia et privative quoad vicarium urbis et quoscumque locorum Ordinarios et omnes alios quoscumque iudices praedictos, etiam quoad illarum totalem et finalem executionem, cum diversis facultatibus spectare et pertinere in omnibus et per omnia perpetuo debere voluerit seu indulserit, eisque liberam,

plenam, amplam et omnimodam desuper facultatem et auctoritatem impertitus fuerit:

Clemens IX. omnia supradicta privilegia pariter motu proprio confirmavit.

§ 7. Licet quoque simil. me. Clemens Papa nonus, pariter praedecessor noster, omnia et singula privilegia, facultates, iurisdictiones, superioritates, praerogativas, gratias et indulta memorato collegio eiusque personis, rebus et bonis ac S. R. E. praedictae Cardinalibus, eiusdem collegii protectoribus, ac alias quomodolibet a praefatis Iulio III., Gregorio XIII., Clemente VIII. et Gregorio XV. praedecessoribus per eorum literas super praemissis emanatas, respective concessa et attributa et confirmata et approbata, dictasque literas cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, ac inde legitime secutis et secuturis quibuscumque, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus perpetuo approbaverit et confirmaverit, et memoratos Cardinales, dicti collegii protectores tunc et pro tempore quandocumque existentes, omnem superioritatem omnemque iurisdictionem eis, sicut praemittitur, concessam et attributam in quibusvis causis, litibus et controversiis, tam civilibus quam criminalibus, meris et mixtis, etiam privative quoad omnes et singulos iudices supradictos et alias in omnibus et per omnia, prout in literis d. Gregor. XV. praedecessoris expressum est, circa ecclesias et monasteria, et signanter circa supradictum S. Petri Laudiveteris Lauden. dioec. eorumque ecclesias, cappellas, cappellanias et beneficia, ac membra, expendentia, bona, praedia, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque dicto collegio dudum apostolica auctoritate perpetuo unita, annexa et incorporata et ab eo quomodolibet expendentia, ac in alia quaecumque monasteria, prioratus et ecclesias et beneficia, quae eidem collegio, pari auctoritate, in futurum quandocumque uniri, annecti et incorporari contingeret, eorumque respective personas, presbyteros, cappellanos, vicarios et ministros quoslibet, libere ac sine ullo prorsus impedimento exercere, ceteraque omnia eis per praefatas literas quovis modo concessa facere et exequi posse ac debere motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, decreverit et declaraverit:

Alia declaratio praed. Pontificis.

Summus Pontifex omnia suprad. privilegia pariter motu proprio confirmavit et approbavit

§ 8. Ac demum nos motu similiter proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefata omnia et singula privilegia, facultates, iurisdictiones, superioritates, praerogativas, gratias et indulta praedicto collegio eiusque personis, rebus et bonis, ac Cardinalibus illius protectoribus, et alias quomodolibet concessa et attributa, ac confirmata et approbata, pariformiter cum omnibus inde legitime secutis et secuturis approbaverimus et confirmaverimus ac innovaverimus, rataque et grata habuerimus, ac illis omnibus et singulis perpetuae atque irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, patrocinium et praesidium adiecerimus, et alias, prout in nostris desuper in simili forma brevis die III. novembris proxime praeteriti, ac singulis praedecessorum praedictorum super praemissis respective expeditis literis, quarum omnium et singularum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur:

Attentata Episcopi Lauden.

§ 9. Nihilominus venerabilis frater Bartholomaeus Episcopus Lauden. non attentis, nec ea, qua decet reverentia, servatis privilegiis et facultatibus huiusmodi eisdem Cardinalibus protectoribus per praefatos Romanos Pontifices nostros, ut praefertur, concessis et per nos confirmatis et innovatis, ipsorum Cardinalium protectorum ac iudicum ab eis deputatorum iurisdictionem perturbare, ac vicarii et cappellanorum ad exercendam in supradicta parochiali ecclesia S. Petri Laudisveteris animarum curam, necnon concionatoris ad praedicandum ibidem verbum Dei deputationem ad se spectare praetendit, ac concionatori per eosdem Cardinales protectores seu eorum iussu vel auctoritate deputato, benedictionem concedere recusavit, ita ut, anno proxime praeterito millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, ad ven. fratrem Archiepisc. Mediolan. Metropolitanum recursum haberi oportuerit, qui benedictionem concionatori sic deputato concessit, et ipse concionator subinde sacr. conciones in eadem ecclesia habuit;

Concionatori ibidem deputato ad praedicandum a dd. Cardin. protectoribus benedictionem concedere recusavit.

Pro huiusmodi effectu mittitur ad Archiep. Mediolanen.

Novum attentatum praed. Episcopi.

§ 10. Quinimo idem Bartholomaeus Episc. dilectum filium Io. Baptistam Manusardum ecclesiae S. Petri eidem collegio unitae cappellanum, qui, dum procurator dicti collegii literas nostras praedictas super confirmatione ac innovatione privilegiorum huiusmodi emanatas, necnon literas deputationis de persona dile-

cti filii Caroli Francisci Cevae canonici ecclesiae Mediolan. in iudicem monasterii ac parochialis ecclesiae huiusmodi, eisque annexorum, a praedictis Cardinalibus protectoribus factas, in actis eius curiae episcopalis Lauden. insinuabat, praesens aderat, sub certis praetextibus capi ac maletractari et in carcerem detrudi curavit, et subinde visitationem dictae ecclesiae parochialis eiusque cappellarum seu oratorior. ab illa dependentium, seu intra illius fines consistentium, ac personarum illis inservientium, quam dilectus filius Carolus Franciscus Ceva iudex, ab eisdem Cardinalibus deputatus, illorum iussu obibat, per suos ministros turbare;

Aliud consimile attentatum.

§ 11. Ac ipse postmodum assumpta militari manu et velut insultabundus eamdem parochialem ecclesiam illiusque presbyteros seu cappellanos et personas modis incongruis visitare eisque terrorem incutere, et, qui ad eius mandatum se se eius violentiis non sistebant, a divinis suspendere, seu, ut se sisterent, sub poena suspensionis a divinis huiusmodi mandare, ac interdictum, quod dictus Carolus Franciscus iudex a praedictis Cardinalibus protectoribus deputatus propter excessus a confratribus cuiusdam confraternitatis intra limites praedictae parochialis ecclesiae erectae commissos canonice tulerat, violare seu violari curare, aliosque excessus committere praesumpsit, in gravissimum collegii praedicti detrimentum, ac iurisdictionis et potestatis dictis Cardinalibus protectoribus ab Apostolica Sede attributae vilipendium, contemptum, necnon in libertatis et immunitatis ecclesiae damnum, praeiudicium et gravamen:

Interdicti violatio.

§ 12. Nobis propterea dd. Cardinales protectores humiliter supplicarunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ne, interea dum super praemissis et illorum occasione inter praefatos Cardinales protectores ex una, ac dictum Bartholomaeum Episcopum ex altera partibus disceptatur, alia et forsan graviora nascantur incommoda, ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito providere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac praefatis aliisque iustis et rationabilibus ex causis nobis notis adducti, et controversiarum huiusmodi litiumque desuper forsan exortarum et pendentium statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, ut pendentibus controversiis seu litibus huiusmodi, et interim ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, pro parte eorumdem modernorum et pro tempore existentium dicti collegii protectorum ac vicariorum seu provicariorum, aliorumque presbyterorum seu cappellanorum et ministrorum quorumcumque ad curam animarum, ac divina officia in supradicta ecclesia parochiali illique annexis, ac intra illius fines consistentibus et a praedicto monasterio quomodolibet dependentibus ecclesiis seu cappellis et oratoriis, aliisque locis piis quibuscumque exercenda et obeunda respective, necnon concionatorum ad verbum Dei inibi praedicandum, per eosdem Cardinales deputatorum et deputandorum, pro ipsorum vicariorum seu provicariorum aliorumque presbyterorum seu cappellanorum et ministrorum approbatione pastoralique benedictione per concionatores huiusmodi obtinenda, ac pro aliis, si quae sint, pro quibus ad memoratum Bartholomaeum Episcopum Lauden. etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegatum, ac etiam iuxta praedictorum privilegiorum et literarum apostolicarum tenorem et dispositionem recurrendum esset, non ad dictum Bartholomaeum seu pro tempore existentem Episcopum Lauden., sed ad venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem Archiepiscopum Mediolanen. Metropolitanum recurri libere et licite possit et debeat:

Preces Cardinalium protectorum.

Provisio capta per Papam ad suum et S. Sedis beneplacitum, durante haec controversia.

§ 13. Itaut idem Archiepiscopus vicarios seu provicarios, aliosque presbyteros seu cappellanos et ministros huiusmodi approbare, pastoralem concionatoribus praedictis benedictionem impertiri, aliaque praemissa facere et exequi valeat in omnibus et per omnia, perinde ac si loci Ordinarius existeret, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sine ullo tamen partium praefatarum aut alterius earum praeiudicio, concedimus et indulgemus. Nos enim eidem moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo praemissa omnia et singula faciendi et exequendi, ac etiam praefatos presbyteros seu cappellanos, aliosque clericos dictae parochiali ecclesiae aliisque ecclesiis, cappellis et oratoriis a dicto monasterio dependentibus in-

Pro concionatoribus committit Archiep. Mediolanen. omnia gerere, quae posset ibidem Episcopus Lauden.

servientes, a praedictae suspensionis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in eos a dicto Bartholomaeo Episcopo propter praemissa seu illorum occasione quomodolibet latis seu comminatis, quatenus opus sit, absolvendi et totaliter liberandi, ac eis desuper opportune dispen sandi, ceteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exercendi ac executioni mandari curandi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, durante beneplacito huiusmodi dumtaxat duraturam, eadem auctoritate harum serie concedimus et impertimur.

Prohibitio facta Episcopo Lauden.

§ 14. Districte propterea inhibentes tam dicto Bartholomaeo et pro tempore existenti Episcopo Lauden. sub interdicti ingressus ecclesiae, quam eius vicariis prucuratoribus, fiscalibus, actuariis, notariis, bariscellis aliisque eius curiae episcopalis ministris et officialibus quibuscumque nunc et pro tempore existentibus, sub excommunicationis latae sententiae ipso facto absque alia declaratione incurren., et indignationis nostrae aliisque, nostro et pro tempore existen. Rom. Pontific. arbitrio, imponendis poenis, ne, d. beneplacito durante, se se in visitatione, correctione, iurisdictione, cura et gubernio, superioritate aliave quacumque tam ordinaria quam delegata potestate et auctoritate, super praefatam ecclesiam S. Petri Laudiveteris aliasque ecclesias seu cappellas a praefato monasterio quomodolibet dependentes, ac oratoria intra fines eiusdem parochialis ecclesiae et monasterii huiusmodi existentia, et confraternitates laicorum in eis erectas, aut electione, deputatione, examine, approbatione vicariorum seu provicariorum aliorumque presbyterorum seu cappellanorum aut clericorum aliorumque ministrorum et concionatorum ibidem nunc et pro tempore curam animarum ac divina officia aliasque functiones ecclesiasticas et verbi Dei praedicationem respective obeuntium seu exercentium, ipsorumque concionatorum benedictione aliisque quibuslibet actibus iurisdictionalibus se se ullo modo ingerere, aut iurisdictionem quamcumque seu auctoritatem et potestatem etiam delegatam ibidem seu contra personas praedi ctas exercere, ullumve actum iurisdictionalem facere, aut vicarios seu provicarios, presbyteros, cappellanos, concionatores aliosque ministros collegii praedicti quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, directe vel indirecte, seu alias quomodolibet molestare, perturbare vel inquietare audeant quovis modo, seu praesumant.

Praesentium litterarum observantiam demandat ac supplet omnes quoscumq. defectus.

§ 15. Ac decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod Bartholomaeus Episcopus et alii praefati, seu alii quicumque, in praemissis seu eorum aliquod ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae aut iustificatae fuerint, vel ex alia quacumque etiam quantavis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, et incogitato ac inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel im petrari, seu impetrato, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo minime posse, sed ipsas praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, ac ab eis respective in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri.

Decretum irritans.

§ 16. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus, super his a quoquam quavis au-

ctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque contrariis amplissime derogat.

§ 17. Non obstantibus quarumcumque litium pendentia aliisque praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisve apostolicis ac in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stylis et usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis etiam ecclesiae Lauden. eiusque praesulibus et aliis personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in contrarium praemissorum, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCLXXV., pontificatus nostri anno V.

INNOCENTIUS PAPA XI.

An. C. 1676

I.

Ad demissionem Episcopi Heliopolitani, in insulis Philippinis detenti, mandata Carolo, Hispaniarum regi, expetit Pontifex.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Hispaniarum regi catholico,

INNOCENTIUS PP. XI.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apost. benedictionem (1).

Cum ad notitiam nostram, non sine gravi animi molestia, pervenerit venerabilem fratrem Episcopum Heliopolitanum, ad obeundum in Tunchino apostolici vicarii munus ab hac Sancta Sede deputatum, ab administris maiestatis tuae in insulis Philippinis duobus et amplius ab hinc annis detineri, praetermittere nullo modo potuimus, quin de re a praeclaris maiorum tuorum exemplis, necnon a perspecta pietate tua tantopere aliena, certiorem te hisce faceremus, simulque nostro istic nuntio iniungeremus, ut opportuna ad praedicti venerabilis fratris dimissionem mandata ab ingenita tibi religione iterum iterumque nostro nomine expeteret, eiusdemque dignitati, necnon fidei orthodoxae amplificationi, ab ipso tantummodo intentae, consuleret. Humanitatis itaque ac filialis erga nos observantiae tuae fuerit, praenominato nuntio nostro facile de more aures praebere, haerentemque alte praefata de causa cordi nostro amaritudinem quantocius removere. Utrumque autem nobis dubio procul pollicentes, maiestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. novembris MDCLXXVI., pontificatus nostri anno I.

An. C. 1677

II.

Garziae, regi Congi, eundem patrem fratrem Paulum Franciscum a Portu Mauritii, cum sociis ad Congum proficiscentem, commendat.

Charissimo in Christo filio nostro Garziae, regi Congi etc.,

INNOCENTIUS PP. XI.

salutem et apost. benedictionem (2).

Celsorum decorum fama, quibus maiestas tua insignitur, non iisdem, quibus Congi regnum finibus circumscribitur, sed exteras quoque regiones peragrat, meritosque ubique nomini tuo plausus excitat: nobis vero praesertim eorumdem praestantia innotescit, qui supremum ad Ecclesiae regimen, nullis nostris praecedentibus meritis, sed sola ordinatione divinae Providentiae, nuper evecti sumus.

§ 1. Proficiscente quocirca istuc ad animarum salutem procurandam divinumque cultum enixis studiis promovendum, una cum duodecim sociis, dilecto filio fratre Paulo Francisco a Portu Mauritii, capuccino, quem ob spectatas virtutes praeclarumque praecipue orthodoxae fidei amplificandae zelum, praedictis suis sociis praeficimus, praetermittere nullo modo potuimus, quin de paternae erga maiestatem tuam charitatis nostrae magnitudine hisce te certiorem redderemus easque perspectae pietati tuae laudes persolveremus, quarum ob impensum eximiae hucusque evangelicis operariis regium patrocinium tibi debitores sumus.

§ 2. Etsi autem supervacaneum ducimus ad idem quoque in posterum praestandum in praesentiis te inflammare, ea nihilominus est de commisso nobis grege sollicitudo nostra, ut muneris nostri partibus deesse non reputaremus, ubi a prae-

(1) *Relation des missions*, etc., pag. 382. — (2) Tugio, loc. cit., pag 204.

fato fratre Paulo Francisco eiusdemque sociis, iterum iterumque maiestati tuae commendandis, abstineremus.

§ 3. Validiores vero hinc, ad eosdem peculiari humanitate fovendos, stimulos te sumpturum profecto non dubitantes, tibi, charissime in Christo fili noster, a bonorum omnium auctore, Deo, prospera cuncta ex animo precamur, atque apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III. ian. MDCLXXVII., pontificatus nostri anno I.

III.

Gratissimum accidisse intelligere, Episcopum Heliopolitanum a Carolo, Hispaniarum rege, humanitatis officiis exceptum, testatur Pontifex.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Hispaniarum regi catholico,

INNOCENTIUS PP. XI.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apost. benedictionem (1).

Venerabilis frater Franciscus, Episcopus Heliopolitanus, unus ex vicariis apostolicis procurandae animarum saluti ab hac S. Sede in regno Sinarum deputatus, diserte Romam reversus nobis exposuit, quibus a maiestate tua humanitatis officiis exceptus ac beneficiis affectus fuerit. Muneris esse nostri duximus, ad quos praecipue spectant omnia evangelicos operarios tangentia, hisce tibi testari longe gratissimum accidisse nobis id intelligere, nostraeque erga te caritati non levem ea de causa cumulum accessisse. Etsi autem non dubitamus, quin, pro ingenita tibi eximia pietate, novis, ubi usus venerit, regiae benignitatis documentis praedictum venerabilem fratrem per te ac per administros tuos ubique sis prosecuturus, ad id nihilominus maiestatem tuam in pri mis hortamur, qui tuam regnorumque tuorum felicitatem, cum orthodoxae fidei amplificatione coniunctam, magnopere cordi habemus. A bonorum interim omnium auctore, Deo, hanc tibi, charissime in Christo fili noster, enixe precamur, atque apostolicam benedictionem propensae erga te voluntatis nostrae testem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die IV. septembris MDCLXXVII., pontificatus nostri anno I.

IV.

Respondet Metropolitae Rutheno totius Russiae sibi nuncianti reditum ad Ecclesiam catholicam Episcopi Leopoliensis eiusdem ritus, eumque laudat ob operam in ea re impensam (2).

Venerabili fratri Cypriano Archiepiscopo totius Russiae et Polocensi,

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Peculiari cum laetitiae sensu de emissa a ven. fratri Iosepho Episcopo Leopoliensi catholicae fidei professione certiores facti sumus. Cum enim orthodoxae religionis propagatio votorum nostrorum summa sit, praecipui gaudii materiam merito cepimus e re, quam in huiusmodi scopum conferre admodum posse existimamus. Quia vero perspectam habemus operam, quam in eadem re promovenda sedulo impendit fraternitas tua, eximium zelum tuum magnopere commendamus, testatumque tibi esse volumus, caritati, qua te iam pridem prosequebamur, non levem ea de causa cumulum accessisse. Huiusce autem propensionis nostrae praestantia, ubi facultas aderit, a nobis non desiderabis argumenta. Reliquum interim est, ut constanter ac alacriter pergas in istituto de Ecclesia catholica bene merendi, dum nos ad id patrocinium usque nostrum fraternitati tuae pollicemur, atque apostolicam benedictionem, pontificiae erga te voluntatis nostrae pignus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCLXXVII., pontificatus nostri anno I.

---

(1) *Relation des missions*, etc., pag. 374. — (2) Ex V. Mon. Pol. Aug. Thein.

V.

Patriarchae Alexandrino gratulatur de eius cum Ecclesia catholica coniunctione (1).

Ven. fratri Ioanni Patriarchae Alexandrino,

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exprimere satis non possumus verbis gaudium, quo affecti in Domino fuimus ob filialem obedientiam, quam, misso ad urbem dilecto filio fratre Francisco Maria a Saleme, huic Sanctae Sedi nobisque, qui in ea, quamquam immeriti, Ecclesiae Dei praesidemus, per ipsum praestitit fraternitas tua; nullum enim solatium aptius erat, tam laetae rei successu, leniendis assiduis atque ingentibus curis, quibus undique premimur in commisso nobis apostolicae servitutis officio exequendo. Et quidem adeo praeclaram de pietate ac virtute tua gerimus opinionem, ut uberiorem in dies, ex istis Christi vineis, magna cum tua laude et merito fructum expectemus. Te itaque, venerabilis frater, intimo plane paternae caritatis sensu complectimur, nullam, quae se offerat occasionem, dimissuri reipsa declarandi, quanti faciamus lucrum, quod ex tua cum Catholica Ecclesia coniunctione in ea redundaturum speramus, sicuti fusius a praedicto fratre Francisco Maria cognosces. Reliquum est ut ad huiusmodi coniunctionem omni ex parte perficiendam iuxta formulam, quae tibi ab illo, qui missionariis apostolicis istis in regionibus praeest, transmittitur, Catholicae fidei professionem emittas. Qua de re minime dubitantes, uberiorem bonorum omnium copiam a Deo precamur fraternitati tuae, cui apostolicam insuper benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. aprilis MDCLXXXV., pontificatus nostri anno IX.

VI.

Loca sancta Palaestinae a fratribus Sancti Francisci, sicut antea, custodiri decernit (2).

INNOCENTIUS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quae fecerint antecessores narrat

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Morinus Sormanus minister generalis Ordinis fratr. Minor. Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod, cum dudum cl. mem. Robertus rex et Sancia regina Siciliae a tunc existente Suldano Babiloniae, qui sepulcrum Domini et alia sacra loca ultramarina proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata, detinebat occupata, obtinuissent, ut fratres dicti Ordinis intra ecclesiam eiusdem Sepulcri possent continue commorari, et ibidem missarum solemnia et alia divina officia solemniter celebrare, et iam certi fratres Ordinis praedicti actualiter essent ibidem, dictusque Suldanus coenaculum Domini et cappellam in qua apostolis Spiritus Sanctus apparuit, et aliam cappellam in qua Christus, B. Thoma praesente, post resurrectionem suam apostolis se ostendit, regi et reginae concessisset eisdem, ipsa vero regina locum aedificasset in Monte Sion, intra quem coenaculum et dictae cappellae sita erant, ubi videlicet fratres dicti Ordinis sumptibus propriis continue tenere intendebat ad divinum obsequium in sepulcro et aliis praedictis locis sacratissimis impendendum, ac tres personas saeculares etiam, quae ipsis fratribus servirent, et necessaria administrarent: fel. rec. Clemens PP. VI. praedecessor noster, volens eorundem regis et reginae votis et desideriis annuere, Generali et Terrae Laboris Ordinis praedicti ministris, et cuilibet eorum, vocandi tunc et in posterum ad eorum praesentiam auctoritate apostolica, ad requisitionem dictorum regis et reginae, vel alicuius eorum aut successorum suorum, de consilio seniorum dicti Ordinis fratres idoneos et devotos de toto Ordine usque ad certum numerum, de quibus considerata qualitate negotii vidissent expedire, et eos ad serviendum in divinis tam in ecclesia dicti sepulcri Dominici, quam in sacro coenaculo et cappellis praedictis, habita prius informatione de conditione fratrum ipsorum quos vocavissent, a Ministris provincialibus dicti Ordinis, unde fratres ipsi pro tempore assumerentur, deputandi eos-

(1) Vide *Carte riferite* – Etiopia, vol. I., pag. 307. — (2) Vide infra Alex. VIII. *Ex iniuncto nobis*

que ad partes illas destinandi, ac etiam alios ex ipso Ordine, cum aliqui ex eis defecissent, toties quoties expediret, subrogandi ac eis dandi licentiam ibidem commorandi; contradictores quosque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam sub certis modo et forma tunc expressis concessit facultatem, et alia, prout in ipsius praedecessoris litteris XI. kalen. decembris Pontificatus sui anno primo desuper expeditis, uberius dicitur contineri;

Petitionis tenorem.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, loca sancta praedicta subinde a fratribus dicti Ordinis quatuor fere saeculorum decursu custodita fuerint, sed Turcae nuper illos inde eiecerint, et schismaticos eorum loco introduxerint, qui illa de praesenti detinent occupata, ipse vero Petrus Morinus Minister Generalis, qui antequam ad generalatum Ordinis praedicti assumeretur quinquennii spatio eorumdem sanctorum locorum regimini et custodiae praefuit, in visitatione provinciarum Germaniae et Hungariae dicti Ordinis, quam nuper obivit, et in cuius decursu vexillum sanctae Crucis intra limites conventus sui Ordinis in oppido Deucheuselae Christianorum armis a manibus Turcarum fortiter recuperato, reconciliata eiusdem Ordinis ecclesia ibidem existente, cum singulari animi sui gaudio plantavit, cum principibus Christianis sacro foedere contra eosdem Turcas sociatis, de praefatis locis sanctis et praesertim sepulcro Dominico ad custodiam fratrum dicti Ordinis restituendis omni studio egerit, ipsique Principes ei declaraverint sibi in animo firmiter fixum esse super praesenti bello cum Turcis praedictis nullo modo pacisci, nisi inter praecipuos articulos reintegratio atque restitutio eorumdem fratrum ad pristinam custodiam sanctorum locorum Palaestinae et praecipue Sepulcri Dominici omnino stabilitur: Nobis praeterea dictus Petrus Marinus Minister Generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio.

§ 3. Nos igitur, laudabilem eorumdem Principum Confoederatorum zelum atque pietatem plurimum in Domino commendantes, eorumque piis votis et armis paterna caritate benedicentes, ac eumdem Petrum Morinum Ministrum Generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis etc. ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradicta sancta loca Palaestinae sive Terrae Sanctae, ac praesertim Sanctissimum Domini Nostri Iesu Christi Sepulcrum, quemadmodum ante hoc et usque ad nuperam praefatorum schismaticorum occupationem atque usurpationem per fratres Ordinis praefati ex huius Sanctae Sedis apostolicae concessione custodita, recta et gubernata fuerunt, ita in posterum quoque ab iisdem fratribus custodiri, regi et gubernari debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. Quibus omnibus et singulis illorumque tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis etc. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis exemplis etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXX. aprilis MDCLXXXVI., pontificatus nostri anno X.

VII.

Respondens significationibus obedientiae a fidelibus Tunchini per litteras expressis, praesertim in subiectione Vicariis Apostolicis exhibita, eos perseverare iubet, ac certiores reddit, alios missionarios Soc. Iesu, ut petunt, se missurum loco illorum qui revocati fuerant (1).

Dilectis filiis universis Christifidelibus regni Tunchini,

INNOCENTIUS PP. XI.

**Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Ingentis profecto argumentum laetitiae hausimus ex literis quae vestrum omnium nomine a nonnullis inter vos praestantioribus viris ad nos datae sunt: ex his

(1) Ex Regest. S. Congregat. Collat. cum Reg. Vatic.

enim exuberanti cum animi nostri gaudio aperte cognovimus, quam devotos et plane filiales erga S. hanc Sedem matrem et magistram vestram, in qua nos, quamquam immeriti, Ecclesiae Dei praesidemus, alatis sensus, et quam prompte sapientibus eiusdem Sedis decretis vosmet subieceritis, agnoscendo Vicarios Apostolicos tamquam proprios et veros pastores ab ipsa vobis constitutos. Qua de re, sicuti uberes meritasque in praesens laudes probatae pietati vestrae tribuimus, ita non deerimus occasionibus quae se offerent, paternam caritatem nostram luculentius vobis declarandi. Et quidem, cum supradictis in literis diserte significaveritis, vehementer cupere vos, ut patres Societatis Iesu, a quibus, Deo beneiuvante, a tenebris ac umbra mortis ad verae fidei lumen et viam aeternae salutis translati estis, iterum ad vos revertantur, non omisimus peculiari quodam propensae voluntatis impulsu ad preces vestras respicere, atque ad spirituale solatium vestrum augendum votis vestris indulgere, iniungendo aliis praefatae Societatis patribus, ut istuc se conferant loco eorum qui evocati fuerunt. Ex omni interim incensi cordis affectu etiam atque etiam in Domino vos hortamur, ut supramemoratis Vicariis Apostolicis ultro ac sponte obtemperetis, constanterque permaneatis in fide quam profitemini, et, quamvis gravibus huiusce mortalis vitae incommodis pressi sitis, nunquam ab ea discedatis, vobiscum subinde reputantes, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Quod ut assequi facilius possitis, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die VII. ianuarii MDCLXXXIX., pontificatus nostri anno XIII.

ALEXANDER PAPA VIII.

An. C. 1690

I.

Innovat et confirmat literas Urbani VIII. Alias, *contra detinentes bona ad Terram Sanctam pertinentia* (1).

ALEXANDER PP. VIII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro fideli bonorum ad sacra loca spectantium conservatione, pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Petitio.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus PP. VIII. praedecessor noster, piorum locorum tam in civitate Hierusalem quam extra eam in tota Terra Sancta existentium, indemnitati consulere volens, recolendae memoriae Sixti V., et Pauli etiam V., ac Gregorii XV., Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, in simili forma Brevis litteras super prohibitione quibusvis personis facta sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, ne quaevis bona ad loca praefata spectantia indebite apud se retinerent, vel in alios usus, etiam quantumvis pios et urgentes, converterent, vel alias quoquomodo distraherent, emanatas auctoritate apostolica confirmavit et approbavit; et nihilominus omnibus et singulis utriusque sexus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis, in virtute sanctae obedientiae ac sub eadem excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua, nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possent, districte praecepit et mandavit, ne de cetero cuiusvis generis bona ad loca huiusmodi spectantia, quovis praetextu, causa vel occasione, apud se retinere auderent seu praesumerent, sed illa eisdem locis seu illorum agentibus realiter et cum effectu restituerent, et alias, prout uberius continetur in ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in eadem forma Brevis expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet:

URBANUS PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Alias a felicis recordationis etc. (Reliqua vide *Ius de Prop. Fide,* vol. I., p. 224).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCXLIV., pontificatus nostri anno XXI.

Concessio.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Iosephus a Iesu Maria, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator, necnon tribunalis sanctae Inquisitionis qualificator, ac commissarius et procurator generalis in Romana Curia totius familiae eiusdem Terrae Sanctae, nobis nuper exponi fecit, in diversis christiani orbis partibus plerique res et bona ad loca huiusmodi spectantia, non sine gravi animarum suarum pernicie ac eorundem locorum damno, occupare minime timeant, ac proinde ipse Bernardus Iosephus, quo praefatae Urbani praedecessoris literae exactius de cetero observentur, illas pro nos confirmari et innovari plurimum desideret: nos piis eiusdem Bernardi Iosephi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsumque Bernardum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie ab-

(1) Ex Tab. Congr. Vide Supl. Inn. XI. *Exponi nobis.*

solventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Urbani praedecessoris literas omniaque et singula in eis contenta, dicta autoritate, tenore praesentium approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabiiis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter ipsas praesentes literas semper firmas, validas, etc.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x, novembris MDCXC., pontificatus nostri an. II.

INNOCENTIUS PAPA XII.

An. C. 1692

I.

Deflet aerumnas, quibus rex Britanniae et Hiberni afficiuntur ob fidem, et ad regem mittit viginti quinque millia scutorum, ut praedictis fidelibus opituletur (1).

Charissimo in Christo filio nostro Iacobo, Magnae Britanniae regi illustri,

INNOCENTIUS PP. XII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Explicare satis non possumus verbis, quam vehementi animum paternum nostrum moerore afficiant angustiae, in quibus, ob assertam invicta constantia catholicam religionem, maiestatem tuam constitutam esse perspicimus, nec minori intimae tristitiae sensu cruciamur, afflictam fidelium Hibernorum aliorumque piissimi regis vestigiis insistentium conditionem sollicite perpendentes. Effusis vero heroicae virtuti tuae tributis laudibus, ut praedictis fidelibus aliqualiter adesse possis, pro virium nostrarum tenuitate, viginti quinque scutorum millia maiestati tuae suppeditari mandavimus, minime dubitantes, quin in huiusmodi parvi momenti subsidio, propensam ceteroquin ad longe maiora tibi largienda, voluntatem nostram gratam sis habiturus. Maiestati interim tuae Omnipotentis dexteram propitiam faventemque impense precamur, ac apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCXCII., pontificatus nostri anno I.

II.

An. C. 1692

Condolet Episcopis Hiberniae ob fidem a regno pulsis, et ad eorum egestatem levandam se subsidium missurum nunciat regi in Galliis degenti (2).

Venerabilibus fratribus regni Hiberniae Episcopis,

INNOCENTIUS PP. XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Incredibilis plane argumentum tristitiae attulerunt nobis fraternitatum vestrarum literae, quibus rationes, quae vos constantesque catholicos ab Hiberniae regno discedere coegerunt, nec non gravissima incommoda, quae in praesens sustinetis, nostros ob oculos posuistis; adversa enim omnia vestra caritatis quoque, qua vos arcte complectimur, viscera transfigunt. Eidem vero caritati indulgentes, pro viribus in alias etiam christianae reipublicae necessitates distractis, charissimo in Christo filio nostro Iacobo Magnae Britanniae regi subsidium quoddam persolvi mandavimus, quo egestatem, in qua una cum praedictis catholicis constituti estis, aliqua saltem ex parte valeat sublevare. Commendamus interim maiorem in modum inconcussum animorum vestrorum robur, atque ad illud magis magisque confirmandum, fraternitatibus vestris sociisque catholicis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCXCII., pontificatus nostri anno I.

III.

Regis Poloniae studium praedicat in fide apud schismaticos propaganda impensum, qui, reductis iam per Episcopum Winnichi Premisliensibus, adhuc instat in Leopoliensibus et Luceoriensibus reducendis (3).

(1) Ex Reg. Vat. Ep. ad Princ. f. 181. — (2) Ibid. f. 181. — (3) Ibid. f. 232.

Charissimo in Christo filio nostro Ioanni, Poloniae regi illustri,

INNOCENTIUS PP. XII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum catholicae religionis propagatio votorum nostrorum summa sit, explicare satis nequimus verbis, quam exuberanti perfusi fuerimus gaudio intelligentes a dilecto filio religioso viro Petro Carolo Mauritio Vota Societatis Iesu, maiestatem tuam, insignibus avorum, qui se se pro Christo victimas immolarunt, vestigiis insistentem, non solum armis, sed etiam auctoritate, consilio atque industria eiusdem religionis in amplificationem incumbere, schismaticisque Premisliensis provinciae populis, opera inprimis ven. fratris Winnichi, quem magno in pretio habemus, in Ecclesiae catholicae gremium reductis, de Leopoliensibus ac Luceoriensibus, qui a vera fide aberrant, in viam salutis restituendis indesinenter cogitare. Immortalibus autem eximiae pietati maiestatis tuae de zelo, quo flagras, tributis laudibus, non omittemus impense rogare illum, cuius causam indefessis conatibus promovere contendis, constanterque promoturum non dubitamus, ut, reclinatis super te universamque regiam domum tuam inexhaustis beneficentiae suae thesauris, quaesita tibi iam ingentia merita cumulate compenset. Propensos maiorem in modum erga maiestatem tuam praeclarissimis hisce nominibus animi nostri sensus a supramemorato patre Vota, qui commissa sibi negotia omni solertia studioque curavit, quemque nos ob ipsius singulares virtutes ac existimatione dignas plane dotes admodum commendamus, uberius cognosces, charissime in Christo fili noster, cui interim apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. septembris MDCXCII., pontif. nostri anno II.

IV.

Postulat a rege Persarum ut veniam concedat Episcopo Aspahamensi et Carmelitis Discalceatis redeundi ad urbem, a qua pulsi fuerant instante Archiepiscopo Armeno schismatico (1).

Illustri ac potentissimo regi Persarum,

INNOCENTIUS PP. XII.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Inter eximias magnoque rege dignas dotes, quibus insignitur celsitudo tua, principem sibi vindicare locum clementiam, qua catholicae fidei cultores respicis, satis superque notum exploratumque habemus. Quia vero eiusdem fidei propagatio nostrorum summa votorum est, ab ipsamet clementia tua enixe petimus, ut patribus Carmelitis Discalceatis, ac praesertim ven. fratri Eliae Aspahami celeberrimae regiae tuae Episcopo, quem summopere tibi commendamus, liberam facultatem tribuas redeundi ad urbem, uti vocant, Iullam, a qua, instante Archiepiscopo Armeno schismatico, discedere coactos fuisse intelleximus, indicta illis gravi poena si reverterentur. Firmam autem in spem venientes, assensurum te petitioni nostrae, celsitudini tuae cum ad perfectam verae fidei agnitionem, tum ad omnem rerum secundarum faustitatem Dominum dominantium, qui in caelis habitat, et a quo bona cuncta procedunt, propitium faventemque impense precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. ianuarii MDCXCV., pontif. nostri anno IV.

V.

Regnum Tunchini a dioecesi Machaonensi, iuxta modum, separat (2).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Ex comissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere, venerabilium fratrum Episcoporum vicariorum apostolicorum in regno Tunchini ab hac Sancta Sede deputatorum eorumque operariorum quieti, quantum nobis ex alto con-

(1) Ex Reg. Vat. f. 31. — (2) Ex Sac. Congr. Tabulario P. F. vol. II., f. 3.

ceditur, consulere, contentionesque omnes, quae inter ipsos ac venerabilem fratrem modernum seu pro tempore existentem Episcopum Machaonen. eiusque ministros et officiales quoscumque oriri, nec non maximum catholicae fidei christianaeque religionis propagationi impedimentum adferre possent, e medio tollere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, regnum Tunchini praefatum a dioecesi Machaonen. penitus et omnino separatum et independens esse et fore, ac proinde, Episcopum Machaonen. dictum, eiusque ministros et officiales quoslibet nomine nuncupatos, non posse, nec debere sub quovis quaesito, colore, praetextu, causa vel occasione, ullos in eo iurisdictionales actus exercere, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus. Salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Decernentes etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. octobris MDCXCVI., pontif. nostri anno VI.

VI.

Praesules ac fideles Hiberniae multis ob fidem vexationibus actos commiserans, ad perseverantiam hortatur, exemplo etiam eorum patrum, et eis officia spondet ac praesidia pro eorum salute: praesules vero peculiariter alloquitur, ut sedulae populorum curae intendant (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus, Sacerdotibus, ceterisque Christifidelibus regni Hiberniae,

INNOCENTIUS PP. XII.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi acerbum plane paternae nostrae erga vos caritati spectaculum sint tribulationes et angustiae, quae invenerunt vos nimis; gloriamur tamen in patientia vestra et fide in omnibus istis, scientes quod per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei: nam et ipsum salutis vestrae Auctorem, cui parum fuerat sectatores suos hortari verbo nisi firmasset exemplo, oportuit pati et ita introire in sancta aeterna Redemptione inventa. Nolite itaque commoveri propter aerumnas utique graves, quas pro servanda in cordibus vestris catholica veritate perfertis; sed immo, agnoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam, servate propositum vestrum perseverantes in ea unitate, extra quam non est salus: retinete vero confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem; id enim, quod in praesenti est leve et momentaneum tribulationis, aeternum gloriae pondus operatur in nobis, quae quidem mente concipientes et opere perficientes, nemo poterit vos separare a caritate, quae est in Christo; et Deus ipse, qui neminem patitur ultra vires tentari, eruet vos a circumdantibus vos, nec sinet parvulos vestros divelli ab uberibus amantissimae matris Ecclesiae Mementote patrum vestrorum, quomodo salvi facti sunt; neque enim recens est gloriatio vestra in ea fide, quam a pluribus saeculis haustam natio vestra, a qua examina sanctorum prodierunt, magna nominis sui laude, maiori animarum vestrarum lucro intemeratam servavit. Quia vero bonum est cum silentio praestolari salutare Dei, id agite, ut, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habeatis, et nemini detis ullam offensionem. Ad nos quod attinet, communicata nobis tribulatione vestra, coniungimus orationem, qua sine intermissione precamur eum, qui protector est omnium sperantium in se, ut (quod misericorditer praestare solet) mittat vobis auxilium de Sancto, nec vos deserat in tempore malo; deinde vero in hunc ipsum scopum officia etiam nostra apud eos, apud quos eadem proficere posse arbitramur, et omnem paternae nostrae et apostolicae sollicitudinis operam pro salute ac libertate vestra incunctanter impendimus ac semper impendemus. Superest, ut vos, ven. fratres, quos constituit Dominus electi istius gregis pastores, plurimum hortemur atque in Domino obtestemur, ut nunc maxime, quantum in vobis est, impleatis

(1) Ex Reg. Vat. an. 7, f. 97.

ministerium verbi quod accepistis a Domino, ita ut sitis in omnibus forma gregis, et sit vicissim vobis Deus in refugium, et consoletur vos, ut possitis ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. Vobis interim omnibus ac singulis vener. fratribus nec non dilectis filiis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. iunii MDCXCVIII., pontificatus nostri anno VII.

VII.

Confirmat aggregationem congregationis sancti Patritii in Hibernia congregationi canonicorum regularium Lateranensium cum eorumdem constitutionum receptione (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Causa aggregationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii canonici regulares congregationis sancti Patritii in regno Hiberniae, quod alias, ne ipsi diutius dispersi ac sine pastore remanerent, dicta eorum congregatio congregationi Lateranensi canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, de consensu illius superiorum, aggregata fuit cum facultate utendi constitutionibus eiusdem congregationis Lateranensis, servatis tamen, durante praesenti rerum dictique regni statu, nonnullis moderationibus in decreto super aggregatione huiusmodi emanato expressis.

Confirmatio dictae aggregationis sine praeiudicio Ordinariorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes aggregationem praedictam, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, aggregationem praedictae congregationis sancti Patritii congregationi Lateranensi, sicut praemittitur, factam, sine praeiudicio tamen iurium Ordinariis locorum quomodolibet competentium, et cum usu constitutionum ipsius congregationis Lateranensis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationum sancti Patritii et Lateranensis ac Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore perman-

(1) A Clemente X., const. ed. MDCLXXII., die IX. augusti, pontif. III., editae sunt nonnullae constitutiones pro canonicis Lateranensibus, et a Clemente XI. const. ed. MDCCI., die XIX. maii, pontif. X., confirmatur Clementis X. constitutio.

suris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. ianuarii, MDCXCIX., pontif. nostri anno VIII.

VIII.

Confirmatur decretum Congr. Conc. super obligatione parochorum applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis (1).

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Causa huius decreti fuit Episcopus Pistoriensis et Pratensis.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum emanavit, super quodam dubio pro parte venerabilis fratris moderni Episcopi Pistoriensis et Pratensis Congregationi huiusmodi proposito, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Pistoriensis et Pratensis:* Cum parochi ecclesiarum Pistoriensis et Pratensis, inter varias opiniones doctorum involuti, negligant in dies celebrationem et respective applicationem sacrificii pro populo iuxta dispositionem sacrorum canonum et Concilii Tridentini, Episcopus, ad consulendum nedum propriae, verum etiam dictorum parochorum conscientiae, supplicat declarari: ***An parochi teneantur omnibus diebus festis applicare sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non.***

Decretum Congr. MDCXCIX. simile alteri pro Abbate Nonantulano.

« Die XIV. februarii MDCXCIX., sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, dandas esse resolutiones alias hac de re editas, et signanter in nullius Nonantulano eminentissimo Abbati XXX. augusti MDCXCVIII. tenoris ut infra:

« Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe alias sacra Congregatio Concilii censuit parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis sacrificii proposito et respective resoluto sub die X. maii MDCXCII. his praecisis verbis concepto: ***An parochus missam celebrare teneatur et sacrificium applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis, sive habeat congruam sive non?*** Sacra, etc., iuxta alias declarationes, censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere: ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt eminentissimi patres quoad parochos Nonantulanae dioecesis; addentes insuper quod E. V. pro suo pastorali zelo detrectantes parochos compellere non gravetur — I. Cardinalis SACRIPANTES praefectus — F. NUPTIUS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Episcopus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutioni-

(1) In const. edit. MDCXCVII., die XXIII. decembris, pontif. VII., extant plura decreta super celebratione missarum.

bus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. aprilis MDCXCIX., pontificatus nostri anno VIII.

IX.

Pro catholicis Britanniae orat ut subleventur in eorum aerumnis.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis,

INNOCENTIUS PP. XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo loco posita sit, et quam graviter afflicta catholicorum conditio in Magnae Britanniae regno, fraternitates vestras satis superque compertum habere non dubitamus; illorum praesertim, qui ex Hybernia, odio religionis, expulsi, exules et extorres ubique suae constantiae quidem, sed et calamitatis insimul testimonia circumferunt. Quas enim aures non implevit miserorum clamor? Ubi primum ad nos luctuosa delata vox est, paternae caritatis nostrae viscera penetravit, et commiserationis sensus commovit usque adeo, ut dolore cordis nos intrinsecus tacti ingemiscere nunquam destiterimus: illis idcirco qua lacrymis precibusque ad Patrem misericordiarum effusis, indictis etiam publicis supplicationibus, qua officiosa contentione apud Principes, qua denique eleemosynarum largitate, aut opem tulimus aut imploravimus. Verum nec eorum necessitati, nec pietati nostrae erga illos factum satis arbitramur, nisi etiam vestrum omnium animos excitemus; ne tepiditatis nostrae culpa fervor caritatis vestrae tepescat. Postquam itaque venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consistorio congregatis suasores viva voce facti sumus, ad vos verba convertimus, obsecrantes in Domino ac plurimum admonentes, ut veluti patresfamilias amantissimi Ecclesiae filios adeo de nostra religione benemeritos, tot iniuriis oppressos, tanta persecutionis tempestate agitatos et pene submersos, sublevetis, ac membra Christi, iam fame et aerumnis fere mortua, revocetis ad vitam, ea illis subministrando, quae de vestra substantia supersunt. Infelicissimi sane essent ad probrum nostrum, si ideo essent magis calamitosi, quod fuerint in fide tuenda firmiores. Nec id tantum postulat a vobis caritas nostra, sed eadem religionis professio, ipsarum miseriarum eloquium, ac demum sublimis vestri muneris ratio: in vestram dignitatem oculos tendunt ceteri homines eadem vestigia sequuturi. Pudendum plane foret, ac abiectionis extremae, si orthodoxorum pietas esset exemplo haereticorum invitanda, ac forsitan etiam superaretur. Illos audivimus, pro suis, qui e patriis finibus vagantur, pecuniam colligere. Numquid ergo inter filios tenebrarum sola virtutis species magis elucescet, quam solida ac vera virtus beneficentiae inter filios lucis? Absit a vobis hoc dedecus, ut ex mammona iniquitatis profusior sit haereticorum manus, quam ex Christi patrimonio liberalitas catholicorum, quibus datum est thesaurizare thesauros non deficientes in coelis. Nos equidem, quantum per imminutas tot oneribus aerarii vires licuit, usque in praesentem diem exulum praedictorum causam egimus opere et sermone, nec strenue agere in posterum desinemus. Decebat sane sollicitudinis nostrae exemplum praecedere: illud sancta aemulatione decet etiam vobis imitari. Aemulamini itaque, venerabiles fratres, opus perfectum, ea spe freti, quod si beatus est, qui intelligit super egenum et pauperem, quanto magis beatus, qui misereatur illorum, quos pauperes fecerit amor religionis, cuius studium in cordibus vestris augeri desideramus per apostolicam benedictionem, quam vobis interim, venerabiles fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. iunii MDCXCIX., pontificatus nostri anno VIII.

X.

Condolet Regi Britanniae ob saevissimas leges in Angliae catholicos latas, vi quarum vel exilium et iacturam bonorum, vel fidem amittere coguntur: spem tamen in Domino eum collocare docet,

eique simul spondet officia sua apud principes catholicos (1).

Charissimo in Christo filio nostro Iacobo Magnae Britanniae regi illustri,

INNOCENTIUS PP. XII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Iustam sane et parem causae esse intelligimus doloris magnitudinem, qua premitur maiestas tua ob leges noviter latas in Anglia, per quas catholicae religionis sectatores in arcto positi vel de patria, de salute deque fortunis perpetuo amittendis, vel de abdicando a se prorsus vere fidei cultu deliberare coguntur. Quae cum aperte tendant ad eliminandam penitus ab illo regno orthodoxam religionem, merito censendum est, animo tuo, cuius perspecta est eximia pietas, molesta supra modum et supra omnem etiam praeteritae tuae iacturae memoriam accidere. Quam vero haec ipsa paternae nostrae caritatis viscera excrucient, explicare satis non possumus; adduci enim per hoc tot fidelium animas in manifestum aeternae salutis discrimen agnoscimus. Animo tamen non deficimus, sed imo spem maximam in eo constituimus, qui potens est de angustiis eruere sustinentes se, et inimicorum hominum conatus in digito suae virtutis evertere. Interim vero principes omnes, qui filialem erga hanc S. Sedem observantiam profitentur, per venn. fratres Nuncios nostros sedulo ac indesinenter monemus, plurimumque hortamur atque in Domino obtestamur, causam Dei ne deserant, neve afflictis catholicorum in Anglia rebus opem ferre ullo modo praetermittant. Qua quidem in hortatione prosequenda atque iteranda spiritus nos ante quam vox pastoralis destituet. Omnipotentem autem Deum enixis precibus rogare nunquam intermittemus, ut laetis aliquando successibus constantiam ac pietatem, quam retines in adversis, rependat maiestati tuae, cui apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XVIII. maii MDCC., pontificatus nostri anno IX.

---

(1) Ex Reg. Vat. f. 272.

CLEMENS PAPA XI.

An. C. 1704

I.

Episcopum Bugiensem, Vicarium Apostolicum Cocincinae, missionarios et fideles, qui persecutionem in illis partibus patiebantur, paterne consolatur.

Ven. fratri Francisco, Episcopo Bugiensi, Vicario Apostolico Cocincinae,

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apost. benedictionem (1).

Acceptis fraternitatis tuae litteris, vigesima quinta iulii anni secundi supra millesimum septingentesimum ex Cocincina ad nos datis, atque occurrente statim nobis in eis ubertate spiritualis fructus, tua sedulitate atque eorum etiam opera, qui tecum in evangelio laboraverunt, istic relati, intime laetati sumus, sicut qui laetantur in messe, et ad speranda maiora in dies christianae fidei incrementa animum ereximus.

§ 1. Verum quemadmodum gaudium nostrum subinde non leviter imminutum est, percepto ex iisdem litteris gravissimo periculo, quod in praesens imminet fidelibus istis, ac praecipue tibi et iis, qui propagandae fidei dant operam, ob excitatam, faciente inimico homine, adversus christianum nomen tam diram in isto regno persecutionem, spes omnis maioris istic profectus in corde nostro prorsus interiisset, nisi reputatis nobiscum Ecclesiae nascentis exordiis illa eadem cogitatio subiisset: regnum Dei, quod per fidelium olim adversitates atque tribulationes, perque pressuras, et vincula et sanguinis effusionem fuit in terris constitutum, iisdem etiam mediis, quoties res feret, esse amplificandum; ac propterea statuimus nullo modo abiiciendam esse spem constabiliendi divini cultus in remotissimis istis terrarum partibus, neque dolendam esse eorum conditionem, qui aerumnas, utcumque maximas ac etiam extremas, pro Christi nomine istic modo patiuntur; sed imo cum ipsi ad eam sortem vocentur, quam in ipsa evangelii promulgatione fortissimi Christi pugiles subierunt, ad asserendam scilicet suo sanguine evangelii veritatem, debere eos reputari cum ipsis beatis, quos legitimi certaminis corona manet in coelis.

An. C. 1704

§ 2. Hoc te desiderio cum videamus incensum, apostolica caritate complectimur, et quo alacrius arduum missionum Cocincinensium munus perferre valeas, mittimus istuc venerabilem fratrem Episcopum Tilopolitanum, confisi, eius pietatem atque prudentiam nobis perspectam, et longo usu multisque argumentis in rebus ad Dei gloriam et ad animarum salutem pertinentibus istic quoque comprobatam, fore tum magno solatio istis fidelibus, tum grato praesidio tibi ipsi, qui pari fervore flagras, nec ambigentes, quin cunctis studiis atque consiliis, et aemulando invicem charismata meliora, ambulet uterque vestrum in domo Dei cum consensu.

§ 3. Interim vero recreare te summopere debet insignis constantia tum missionariorum, qui inter vincula et carceres mortem ipsam perpeti non timuerunt, ut ministerium suum implerent, tum etiam christianorum istorum, quorum non paucos vitam strenue ac fortiter pro suscepta Christi fide posuisse intelleximus, quorum nomina, tamquam in libro vitae conscripta, sicut gloriosa esse in coelis non ambigimus, ita aequum ac pium esse ducimus, ut in actis Ecclesiae ad perennem eorum laudem, et ad fidelium aedificationem et exemplum recenseantur. Proinde gratissimam rem nobis feceris, si illa ad nos una cum actis, quae huc pertineant, fideli, quantum fieri poterit, testimonio suffultis diligenterque descriptis, perferri curaveris.

§ 4. Ceterum volumus, ut nostro nomine omnibus, qui sub Christi vexillo militare gloriantur, veram solidamque sa-

(1) Clem. XI. Epistolae et brevia selectiora, tomus I., pag. 183.

lutem appreceris, eosdemque horteris, ut memores se tenere manentem substantiam, stabiles sint ac immobiles et abundantes in opere Domini, utque nihil metuant a facie illorum, qui eos prosequuntur, dextera Omnipotentis dubio procul conterendi. Sciant autem, quod benedictio Dei in mercedem iustorum festinat, cuius in auspicium nos fidelibus ipsis, ac in primis fraternitati tuae, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXII. ianuarii MDCCIV., pontificatus nostri anno IV.

II.

Acceptis a rege Aethiopiae litteris, quibus significabatur ipsum regem ad amplectendam cum Romana Ecclesia in cultu christianae fidei unitatem propensum esse, eum enixe adhortatur ad propositum exequendum.

Illustri ac potentissimo regi Aethiopiae,

CLEMENS PP. XI.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae (1).

Omnipotenti Deo, qui fons est et origo bonorum, in humilitate cordis nostri gratias egimus, ubi litteras celsitudinis tuae accepimus a dilecto filio, religioso viro, Iosepho a Hierusalem, Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci strictioris observantiae, eodemque interprete, et multa de te nobis ingente cum laude referente, cognovimus praeclarum desiderium, quod foves, nedum amplectendi veram ac sinceram cum hac Sancta Romana Ecclesia in professione et cultu christianae fidei unitatem, sed ad eam ineundam inducendi exemplo et auctoritate tua amplam istam nationem, hoc ipso nomine olim celebrem, quia haustam ab ipsis primordiis Ecclesiae catholicam veritatem fideliter custodivit. Credere sane par est Deum ipsum auctorem tibi fuisse tam salutaris consilii, ut eo per te alacriter suscepto, fluant super caput tuum coelestis misericordiae divitiae. Monitis itaque supernis obsequi ne differas; decet enim ut, quando in excelso terrenae dignitatis solio constitutus ad multos late populos tui nominis auctoritatem protulisti, conversis in coelum oculis, ad veram atque mansuram felicitatem aspires. Frustra vero tantum bonum assequi contendes, nisi Deo placere satagas consentiendo in his, quae ad aeternam salutem pertinent, cum hac sancta et apostolica ipsius Ecclesia, quae traditum sibi ab eo verae fidei depositum fideliter servavit et servat, fuitque antea, estque modo et erit perpetuo omnium per orbem ecclesiarum vera et unica mater ac magistra.

Cum itaque nos, nullis quidem meritis nostris, sed Dei ipsius ordinatione, regimen eiusdem Ecclesiae obtineamus, et ad obeundum per totum christianum orbem universalis Pastoris munus vocati simus, libenti animo et omni caritate complectimur celsitudinem tuam tam probe inclinatam, hortantes et obsecrantes te, per nomen Domini nostri Iesu Christi, cuius vices in terram gerimus, ut inita praefata unitate eaque ad tuas ditiones ac regna, quantocitius fieri poterit, propagata, properes ad salutem. Curare autem potissimum debes, ut subditi tui documentis fidei christianae recte instituantur, et quae aut per longam annorum seriem de primaeva veritate istic exciderint, aut per quascumque rerum vicissitudines adversus eam inducta fuerint, sublato omni errore ac falsitate, ad puritatem et receptam ab hac veritatis cathedra intelligentiam reducantur.

Quod ut feliciter cum Dei ope perfici possit, iterum istuc mittimus cum nonnullis sociis praefatum religiosum virum Iosephum, ob singularem integritatem ac pietatem nobis admodum gratum atque probatum: qui quidem omnes incensi zelo honoris Dei, pro cuius amore terrena quoque a se abdicarunt, optime autem in praeceptis evangelicae doctrinae versati, satagent populos istos erudire ea lenitate atque mansuetudine, quae publicarum rerum ordinem ac statum nullo modo perturbare possit.

Gratissimum propterea nobis erit, si eundem Iosephum, veluti ablegatum nostrum, aliosque eius socios, non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, nullique lucro, praeterquam animarum, inhiantes benigne exceperis, tamquam eos, quos successor principis Apostolorum, caput

---

(1) Clem. XI. Epistolae et brevia selectiora, tomus I., pag. 191.

Ecclesiae et Christi vicarius, istuc misit ad afferendum tibi ac regno tuo spirituale bonum et ad detergendam omnem maculam, mentibus hominum fortasse inspersam, quae in ipsis candorem fidei inficere quoquomodo potuerit.

Ut autem aliquale pignus amoris nostri ad te perveniat, nonnulla munuscula saepe memorato Iosepho tradidimus, quorum quaedam ad tuendam aut reparandam corporis incolumitatem valde proficere diiudicantur ac pretiosa habentur, ut intelligas nos, dum cordi in primis habemus spiritualem tuae animae salutem, quae profecto longe maximi momenti est, temporalis etiam rationem habere: quaedam vero raritate et industria potius operis, quam suo pretio aestimanda, quae nostro nomine ad te deferentur. Deum interim enixe precari non omittemus, ut tibi sit liberalis eius luminis, per quod ad perfectam catholicae veritatis agnitionem ipse devenias, ac tecum eos, qui tibi subsunt, in gremium amantissimae matris Ecclesiae deducas, et celsitudinem tuam diu laetam et sospitem esse peroptamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII. martii MDCCIV., pontificatus nostri anno IV.

III.

Ad fidei incrementum Annam, Congi reginam viduam, hortatur.

Charissimae in Christo filiae nostrae Annae, Congi reginae illustri viduae,

CLEMENS PP. XI.

salutem et apost. benedictionem (1).

Gratum fore credimus maiestati tuae a dilecto filio, religioso viro, Francisco Ticinensi, ex Ordine fratrum minorum Sancti Francisci, capuccinorum nuncupatorum, percipere audita a nobis nedum libenter, sed cupiter fuisse, quae ille de statu christianae fidei in isto regno nobis enucleate ac diligenter exposuit. Pastoralis enim nostrae sollicitudinis est, mente et animo, quando corporis oculis non possumus, totum, quantum est, dominicum ovile lustrare. Et cum inter cetera nobis explicata necessario acciderit commemoratio tuae pietatis ob opem, quam ipse testatus est sibi ceterisque apostolicis eiusdem Ordinis missionariis a te allatam fuisse, quatenus eorum labores in curanda animarum salute et propagatione divini cultus et christianae fidei felicius progrederentur; exultavit ad haec praeter modum apostolica nostra caritas, quod animus tuus hoc sancto fervore incenderetur; Deumque, omnis boni consilii auctorem, precati sumus, ut tibi spiritum tam rectum servet, et augeat ad hoc, ut alia atque maiora ad ipsius honorem aggredi atque perficere possis. Eidem interim religioso viro istuc reverti paranti iniunximus, ut de paterna caritate, qua te de fide orthodoxa his studiis probe meritam prosequimur, cum te adierit, pluribus admoneat, et in auspicium bonorum omnium tibi deferat apostolicam benedictionem, quam nos, dum has concludimus, maiestati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V. iulii MDCCVII., pontificatus nostri anno VII.

IV.

Mariae, reginae Congi, delata filialis devotionis testimonia, benigno animo excepta esse renuntiat, eamdemque ad fidei incrementa in illis partibus promovenda hortatur.

Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae, Congi reginae illustri,

CLEMENS PP. XI.

salutem et apost. benedictionem (2).

Grata nobis praeter modum acciderunt officia maiestatis tuae per dilectum filium, religiosum virum, Franciscum Ticinensem, ex Ordine fratrum minorum Sancti Francisci, capuccinorum nuncupatorum, tuo nomine ad nos delata in testimonium sincerae ac devotae voluntatis, quam erga nos et Apostolicam Sedem profiteris. Quamvis enim compertum nobis sit, Christi fidem a multo iam tempore in istud regnum,

(1) Bullarium capuccinorum, tom. VII., pag. 206. — (2) Ibid. pag. 206.

Deo propitiante, invectam, eodem miserente, coli istic, et regum ope adhuc magis vigere: cum tamen muneris nostri ratio postulat, ut, qui pastorem agimus, oves agnoscamus, ipsaeque vicissim nos agnoscant, incredibile dictu est, quanto repleamur gaudio, ubi e dissitis terrarum partibus, cuiusmodi istae sunt, eorum voces ad nos deferuntur, qui se inter fideles censeri, esseque de gremio Ecclesiae et ad Christi ovile pertinere gloriantur.

Parati autem omnes, qui huiusmodi sunt, apostolica caritate complecti, effusius sane laetamur, ubi illi, quibus populi multi obsequuntur, sanctam Romanam Ecclesiam et pontificiam nostram auctoritatem reverentur, non quod regum aut principum studio aut cultu oblectemur ac extollamur (infirmitatis enim et humilitatis nostrae conscii, non alio, quam servi servorum Dei titulo gloriamur), sed quia praesidio et auctoritate eorum, qui late dominantur, crediti nobis gregis incrementa facilius parari posse confidimus.

Spem itaque, quam ex tuis officiis concepimus, quod, te missionibus apostolicis favente, augendus sit in istis partibus fidelium numerus, et quod contingere possint maiora in dies animarum lucra, tuum est, o regina, in nobis alere, ac praestanti tua opera favere, ut aliquando uberiora istic spiritualis laetitiae argumenta percipiamus, tibique eadem non levi ex parte debeamus: nec deerit tibi occasio, redeunte isthuc eodem religioso viro, quem pios labores apostolici muneris subire paratum tibi enixe commendamus, et in auspicium verae ac perpetuae in Domino felicitatis, apostolicam benedictionem maiestati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Pisc., die v. iulii MDCCVII., pontificatus nostri anno VII.

V.

Petrum, regem Congi, ob zelum quo fidem ac missionarios fovet, laude prosequitur, eique per fr. Franciscum Ticinensem regiam coronam ac precatoriam coronam, indulgentiis ditatam, dono mittit.

Charissimo in Christo filio nostro Petro, Congi regi illustri,

CLEMENS PP. XI.

salutem et apost. benedictionem (1).

Pontificiam nostram benevolentiam singulari quodam modo studio sibi conciliant reges et principes illi, qui, etsi marium ac terrarum spatio a nobis longe lateque divisi, Sanctae tamen Romanae Ecclesiae caritatis vinculo et fidei unitate coniuncti, ut Deo, misericordiarum Patri et bonorum omnium auctori, grati sint proper insigne beneficium evangelicae lucis, quam a maioribus acceptam custodire meruerunt, ea imbui populos atque nationes, quibus dominantur, eos per viam aeternae salutis deduci gaudent et curant, ac proinde sacros Dei ministros, christianae veritatis praecones, morum institutores, disciplinae magistros, missionarios apostolicos, benigne excipiunt, favores prosequuntur, auctoritate sua fovent ac iuvant.

Maiestati itaque tuae, quam hoc animo esse audivimus, uberes paterni nostri amoris significationes deferri volumus per dilectum filium, religiosum virum, Franciscum Ticinensem ex Ordine fratrum minorum S. Francisci, capuccinorum nuncupatorum, missionum istarum praefectura pridem functum, ac istuc modo revertentem, qui nobis praeter regiae tuae stirpis decora, tuasque ipsius praestantes dotes, hoc ipsum tuum in Christi fidem et Romanam Ecclesiam cultum ac obsequium, et filialem in nos atque Apostolicam Sedem observantiam, peculiare etiam studium ac propensionem, qua sui Ordinis professores, missionarios apostolicos prosequeris, prolixe nobis exposuit.

Tu vero vicissim ab eo ad te redeunte, quem voluntatis animique nostri interpretem apud te constituimus, percipies, quam enixe a Deo postulemus, ut cum salute ac felicitate, suae gratiae incrementa tibi largiatur, incendatque semper magis cor tuum zelo promovendae in istis partibus christianae fidei, ut per haec studia tuum apud eum meritum cumules, amplamque mercedem tibi pares, qua, post emensum huius vitae spatium, perpetuo fruaris.

(1) Bullarium capuccinorum, tom. VII., pag. 205.

Pignus autem qualecumque amoris nostri esse tibi cupimus regium diadema, quod nostro nomine per eundem religiosum virum tibi tradi mandavimus, et cui pretium conciliavimus, pontificia nostra benedictione, in auspicium bonorum omnium, quae tibi a Deo impense precamur. Munus praeterea coronae precatoriae, quod tibi itidem elargimur, cum appenso sacro numismate argenteo, et gratum tibi fore confidimus, utpote ditatum indulgentiis, thesauris scilicet Ecclesiae, custodiae ac dispensationi nostrae desuper demandatis, prout intelliges a praefato religioso viro, quem cum ceteris eiusdem Ordinis missionariis, tibi etiam atque etiam commendatos, intuitu etiam nostro, esse cupimus, iterumque maiestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. iulii MDCCVII., pontificatus nostri anno VII.

VI.

Regem Aethiopiae, ut, genitoris sui praedefuncti salutari proposito inhaerens, catholicam religionem profiteri, sinceramque cum Romana Ecclesia unionem inire velit, et Iosephum a Ierusalem, ad ipsum a Pontifice allegatum, benigne audiat, enixe adhortatur.

Illustri ao potentissimo Dodemanut, regi Aethiopiae,

CLEMENS PP. XI.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae (1).

Reversum istinc Romam elapsis annis cum litteris, quas rex Aethiopiae, genitor celsitudinis tuae, ad nos dederat, dilectum filium religiosum virum Iosephum a Ierusalem, Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci strictioris observantiae, libenti

---

(1) Clem. XI. Epistolae et brevia selectiora, tomus I., pag. 573: pag. vero 573 adsunt quae sequuntur literae, videlicet:

Postulat ab Archiepiscopo Aethiopiae ut Iosephum a Ierusalem humaniter excipiat.

Venerabili fratri Archiepiscopo Aethiopiae.

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et lumen divinae gratiae.

Quoties ad celeberrimam quondam toto orbe Aethiopum nationem mentis nostrae oculos convertimus, toties aestu quodam paternae caritatis abrepti dolemus, amplam istam Dominici gregis partem, lupo dispergente, a vero Pastore aberrasse, et aeternae salutis semitam, neglectis maiorum suorum vestigiis, deseruisse.

§ 1. Cum autem sollicitudo nostra postulet, ut eius exemplo, cuius vices in terris, licet immerentes, gerimus, deperditas oves quaeramus et revocemus, quatenus omnes in unitatem fidei aliquando occurrant, ita ut fiat unum ovile et unus pastor; idcirco muneris nostri esse duximus mittere istuc dilectum filium, religiosum virum Iosephum de Ierusalem, Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci strictioris observantiae, cum aliquot sociis, qui pro sua fide, prudentia ac pietate, veraeque religionis zelo ea omnia, quae conferre possunt ad constabiliendam nationis istius unitatem cum Romana Ecclesia, quae omnium per orbem Ecclesiarum mater est ac magistra, salubriter disponat. Spem interim in Deo, qui est fons et origo salutis, constituimus, quod ubi tu, aspirante Deo, verba vitae et sanam doctrinam docili mente exceperis, non aegre possis ceteris tua auctoritate praeire, ut tecum ad sinum amantissimae matris confugiant, unumque Deum, unam Ecclesiam unumque baptisma profiteantur.

§ 2. Expetimus itaque a fraternitate tua, ut praefatum Iosephum eiusque socios humaniter excipias, libenter audias, eisque adsis in omnibus, quae pro adimplendo apostolico ministerio ipsis expedire, et opportuna esse dignosceris. Nos interim Patrem misericordiarum enixe precabimur, ut mentem tuam, superna luce perfusam, donis coelestis suae gratiae repleat, quibus via tibi pateat ad aeternam salutem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. septembris MDCCIX., pontificatus nostri anno IX.

Idem argumentum.

Dilecto filio Abbati generali monach. Aethiopum Ordinis Sancti Antonii.

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili, salutem et lumen divinae gratiae.

Cum praecipuum sit pontificiae sollicitudinis munus nil intentatum relinquere, quod animarum salutem et divini cultus amplificationem maxime respiciat, cogitationes nostras in hoc unum convertimus, ut Ecclesiae vineam, quam de manu Domini, nullis licet suffragantibus meritis nostris, custodiendam suscepimus, non solum omnium errorum vepribus expurgatam, sed uberioris fructus maturitate redundantem, eidem Domino servemus, qui bonos operarios pro apportato lucro remunerat, a bono autem opere torpentes damnat. Quapropter huic proposito dum tota animi contentione incumbimus, paternae nostrae caritati tu atque istius instituti, cui praees, professores, non ultimi occurrunt, a quibus scilicet et quorum ope expectamus, ut eadem vinea electa in istis partibus effloreat, et fructum det in tempore suo. Quid enim vobis proderit saeculi huius illecebris aures occlusisse, qui vocem Domini filios suos de longinquo congregantis non auditis? Ad quid in claustri septa vos recepistis, qui fidei unitatem declinantes, viam elegistis, cuius novissima ducunt ad mortem? Una profecto est aeternae salutis semita, ipso summo angulari lapide Christo Iesu mystice signata, a qua

animo excepimus, quandoquidem tum ex eisdem regiis litteris, tum ex viva voce eiusdem religiosi viri, cognovimus desiderium, quo res tenebatur agnoscendae catholicae veritatis et quaerendae aeternae salutis, ut propterea optaret se devovere Romanae Ecclesiae, et secum populos sibi subiectos ad ineundam cum ea unitatem suo exemplo perducere. Qui bus auditis, incredibile dictu est, quam exultaverit paterna nostra caritas, erecta in spem tanti boni, ad quod quidem parandum non multo post ablegavimus eumdem Josephum a Ierusalem in istas partes, tum ut mutua officia regi deferret, tum ut curaret expedire opportuna media, quibus salutare regis propositum perficeretur.

§ 1. Instituta est itaque, mandantibus nobis, magna alacritate ea profectio, de cuius tamen progressu et exitu nihil subinde nobis, vel propter locorum intervalla et temporum itinerumque difficultates, sive potius ob rerum istarum vicissitudines, contigit audire, donec tandem affuerunt ante aliquot dies litterae eiusdem religiosi viri, die septima aprilis anni proxime elapsi datae ex partibus regno isti finitimis, quibus ille litteris afferebat causas multiplicesque eventus, ob quos sibi hactenus non licuerat istuc pertingere, ac interim nunciabat obitum regis genitoris tui, quem nos certe doluimus e vita excessisse, antequam voti sui de complectenda unitate compos efficeretur.

§ 2. Sed hanc molestiam nostram non levi ex parte abstersit subinde laeta significatio tuae inaugurationis ad regnum; spem enim concepimus celsitudinem tuam, quam aequo praestantique animo esse persensimus, bene intellecturam esse quanti tua intersit ad tuendam amplissimam dignitatem, quam esse assecutus, praesidium coelestis gratiae promereri. Quod cum nemo unquam sperare possit, nisi verum Deum per verum cultum adoret ac revereatur, cumque unica veritatis mater ac magistra sit Romana Ecclesia, cuius nos supremum regimen, nullis licet meritis, in terris gerimus, muneris nostri esse duximus iniungere eidem religioso viro Iosepho a Ierusalem, quem fide, prudentia ac pietate, catholicaeque religionis zelo praestare novimus, ut te nostro nomine adeat, ac post uberrimam gratulationem regni per te adepti, necnon disertam nostrae in te voluntatis significationem, ea tibi denunciet, quae christiano homini necessaria sunt ad aeternam salutem, sine qua ut brevia, ita vana, nulliusque ponderis sunt omnia, quae habentur in terris.

§ 3. Nec irritam fore sollicitudinem hanc nostram eiusque laborem speramus, sed imo nobis cum Dei ope pollicemur te, serio expensa veritate tibi proposita et arrepta oblata occasione conciliandi tibi divinam opem, daturum esse operam, ut vera religio iamdudum a regibus populisque Aethiopiae recepta ac mirifice exculta, nunc tandem ab omni labe ac superstitione longo temporum decursu forte inducta, studio ac opera praefati religiosi viri tuaque auctoritate expurgetur, et per debitam Romanae Ecclesiae obedientiam pristino splendori in istis partibus restituatur. Plura ab eodem religioso viro, cui cupimus, ut fidem adhibeas in his, quae nostro nomine tibi significabit, percipiet celsitudo tua, cui diuturnam incolumitatem, solidam felicitatem, et, quod praecipuum est, lumen divinae gratiae ad cognoscendam viam veritatis, ab omnipotenti Deo, bonorum omnium auctore, ex animo precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. sept. MDCCIX., pontificatus nostri anno IX.

VII.

Cassationem indicit canonis, cum dismembratione consentiente Cardinali Ottho-

si quis vel minimum aberraverit, spem vocationis suae, quae credentibus in unitate spiritus data est, procul dubio amiserit. Cuius veritatis ratio maioribus vestris utique perspecta fuit, dum Christo et eius in hac Romana Sede Vicario libenti animo se submiserunt, rati non aliunde verae fidei documenta hauriri posse, quam ab hac ipsa Romana Ecclesia, omnium orbis Ecclesiarum matre et magistra. Proinde nos spem maximam in Deo, qui est via, veritas et vita, merito ponentes, ac de prudentia ac docilitate vestra plurimum sperantes, istuc mittimus dilectum filium, religiosum virum Iosephum a Ierusalem, Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci strictioris observantiae, pietatis, doctrinae ac religionis zelo commendatum, qui sinceram atque inconcussam veritatem, quam tenet ac docet Romana Sedes, Christi Redemptoris nostri oraculis, sanctorum patrum testimonio, sacrorumque Conciliorum auctoritati innixa, vobis aperiat, et ad amantissimae matris sinum vos invitet ac revocet. Deus interim, Domini nostri Iesu Christi pater, rex gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius, ac illuminet oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. septembris MDCCIX., pontificatus nostri anno IX.

bono, Abbate commendatario sancti Laurentii extra muros, eidem suisque successoribus commendatariis reservati, super vinea in loco, Pariolo nuncupato, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide alias concessa (1).

In nomine Domini, amen.

Cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo nono, indictione undecima, die vero vigesima quarta septembris, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Clementis divina providentia Papae undecimi anno eius nono, ego notarius publicus infrascriptus vidi et legi cedulam motus proprii, manu eiusdem sanctissimi Domini nostri signatam, tenoris sequentis, videlicet (In calce): Cassatio cum dismembratione (In medio vero):

CLEMENS PP. XI.

URBIS.

Motus proprius Sanctissimi. Et narrativa concessionis vineae alias factae S. Congregationi cum reservatione canonis scut. 100 et aliis conditionibus.

Motu proprio etc. Cum nos nuper, ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, et ad consulendum bonae valetudini et conservationi alumnorum pro tempore degentium in collegio seu seminario apostolico pontificio, Urbano nuncupato, in alma urbe nostra, sub regimine et protectione Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Propagandae Fidei praepositorum, erecto et fundato, quandam vineam in contrada Parioli, in eminentiori situ extra muros praedictae urbis positam, ad infrascriptum monasterium spectantem et pertinentem, quam dilectus filius noster Petrus, Sancti Laurentii in Damaso nuncupati, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus Cardinalis Otthobonus nuncupatus, praedictaeque Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, de numero dictae Congregationis existens, uti Abbas seu perpetuus commendatarius monasterii, Abbatiae nuncupatae, Sancti Laurentii extra muros praedictae urbis, Sancti Augustini canonicorum regularium, seu alterius Ordinis, in manibus nostris cum palatio et aliis dictae vineae iuribus et pertinentiis, sponte et libere tunc oretenus dimiserat, ad effectum tamen, ut nos praedictam vineam et alia desuper expressa, dictae Congregationi, pro usu et conservatione Alumnorum praedictorum, cum reservatione tamen perpetui canonis, seu annuae responsionis, favore eiusdem monasterii, et cum aliis conditionibus, nobis benevisis eidemque monasterio utilibus, perpetuo concederemus, et cum aliis eiusdem Congregationis bonis uniremus, una cum palatio praedicto, tinello, ceterisque mansionibus et aedificiis, in quacumque illius parte positis, ac ipsammet vineam, totam quanta illa erat, intra suos notissimos fines, quos una cum praemissorum valore, tam in proprietate, quam in annuis redditibus, omnibusque et singulis aliis membris, iuribus et pertinentiis dictae vineae, in infrascripta schedula pro singillatim expressis haberi voluimus, ita ut specialitas illorum generalitati non derogaret, motu pari etc., sub reservatione etiam novi consensus, tunc praestandi per dictum Petrum Cardinalem, uti praedicti monasterii Abbatem seu perpetuum commendatarium, eidem Congregationi, ad effectum praemissum, perpetuo concesserimus, illiusque fructus, detracto infradicendo canone, seu infradicenda annua responsione, aliis bonis dictae Congregationis, et ad illius commodum, univerimus et incorporaverimus, eandemque Congregationem de praedicta vinea investiverimus; canonem vero annuum et perpetuum, seu annuam et perpetuam responsionem, eidem Petro Cardinali, quoad viveret et monasterium eiusmodi obtineret, et cuicumque alteri eiusdem monasterii Abbati seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, ratione concessionis, unionis, annexionis et incorporationis praedictarum, annuatim, duabus aequalibus solutionibus, pro una videlicet in Domini Nostri Iesu Christi, tunc a proxime ventura incipiendo, et altera medietatibus canonis, seu responsionis huiusmodi, in Sancti Ioannis Baptistae, etiam tunc immediate sequenti, nativitatum festivitatibus, et sic deinceps perpetuis futuris temporibus, de anno in annum, ac termino in terminum, per Congregationem praedictam persolvendum seu persolvendam, in annuis scutis centum monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi, moto simili etc. apostolica auctoritate taxaveri-

(1) Ex Tabul. Congr. de Prop. Fide verbum ad verbum transcriptum collatumque.

mus et reservaverimus, ac taxatum et reservatum seu taxatam et reservatam esse voluerimus et decreverimus, aliasque de praemissis sub certis modo et forma, ac cum clausulis et decretis tunc expressis, disposuerimus, prout in schedula nostri motus proprii desuper manu nostra, sub datum videlicet Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, undecimo kalendas iulii, pontificatus nostri an. octavo, signata et expedita, cuius etiam solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, regula quacumque contraria non obstante, voluimus, plenius continetur; subinde vero idem Petrus Cardinalis, uti praedicti monasterii Abbas seu perpetuus commendatarius, servato themate dictae nostrae schedulae, et in illius sequelam mediante instrumento die vigesima septima mensis iunii anni Domini millesimi septingentesimi octavi, per acta dilecti filii Antonii Petrucci, Camerae nostrae Apost. secretarii, rogato, concessioni, unioni, annexioni et incorporationi praedictis novum consensum praestiterit, ac omnia et singula in praedicta schedula contenta ratificaverit et approbaverit, sicut nobis innotuit; cumque idem Petrus Cardinalis, adhuc dicti monasterii Abbas seu perpetuus commendatarius existens, exponi nobis nuper fecerit, quod ipse haud suo desiderio in hac re, quae in causam tam privilegiatam, scilicet propagationis fidei catholicae, tendere dignoscitur, fecisse credat satis, nisi novum eius, nedum benevolentiae erga praedicti collegii seu seminarii alumnos, verum etiam obsequii erga ipsam Congregationem, argumentum ostendat, suum videlicet consensum exhibendo, et sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito praestando pro cassatione et abolitione praedicti canonis seu praedictae responsionis super dicta vinea, favore eiusdem monasterii, per nos, ut supra, reservati seu reservatae, ut praefertur, necnon pro liberatione et exemptione eiusdem vineae et aliorum per nos praedictae Congregationi concessorum, ab omni vinculo proprietatis, subiectionis, obligationis et solutionis canonis seu responsionis centum scutorum monetae huiusmodi et aliorum iurium, forsan ex praenarrata schedula, sive ex proprietate, seu alias undecumque procedentium ad dicti monasterii favorem; pro huiusmodi igitur cassationis, abolitionis, exemptionis et liberationis effectu, idem Petrus Cardinalis, sub die decima mensis iulii proxime praeteriti, praevia eius epistola, dilecto filio magistro Silvio de Cavaleriis, in utraque signatura nostra referendario eiusdemque Congregationis secretario, directa, obtulerit Congregationi praedictae et re ipsa suum consensum praestiterit, ac propterea tam ipse Petrus, quam alii dictae Congregationis Cardinales, efficaciter exoptantes, eorum Congregationem praedictam, etiam pro maiori sublevamine, augmento et conservatione alumnorum dicti collegii seu seminarii, ut ipsi alacriori animo studiis aliisque spiritualibus exercitiis vacare possint, ab onere solutionis canonis seu responsionis praedictae posthac eximi et liberari, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum votis, hac in parte, annuere, et ut infra opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur, qui nihil tam aeque cupimus, quam ut collegiorum et locorum piorum in urbe erectorum pro fide orthodoxa amplianda et propaganda indemnitati consulatur, illorum praesertim, in quibus ea viget bonarum artium disciplina, quae inibi degentes non solum ad bene beateque vivendum impellat, verum etiam ita in mandatis Domini firmos reddat et constantes, ut et vitia vitare et haeresibus, quae in diversis orbis partibus impune grassantur, pro viribus resistere valeant, animadvertentes, quod si pium hoc et laudabile praedicti Petri Cardinalis propositum exequutioni demandaretur, facile foret, ut exinde dicta Congregatio, tot tantisque expensis missionum praegravata, saltem in aliquo sublevetur et uberiores in vinea Domini fructus per dicti collegii seu seminarii alumnos reportentur, ac propterea dicti Petri Cardinalis zelum et ecclesiasticam sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, eiusque et aliorum praedictae Congregationis Cardinalium precibus, utpote ad divinum cultum in dicto collegio seu seminario promovendum et adaugendum apprime tendentibus, attenta tam necessaria et utili causa, benigne annuentes, et in praemissis opportune providere, ac dictae Congregationis Cardinales ac praedicti collegii seu seminarii alumnos amplioris gratiae favore prosequi volentes, consensum ipsum a dicto Petro Cardinali super praemissis omnibus per eamdem epistolam sic, ut praefertur, praestitum, ad hoc, ut cassatio, abolitio, exemptio et

[Margin notes:]

...alis Ot...us exhi... praestat ...sum pro ...ione et a...tione dicti ...

Idem Cardinalis Otthobonus, aliique S. Congregat. Cardinales supplicant Sanctissimo, eamdem Congregat. eximi et liberari ab onere dicti canonis seu responsionis.

Sanctitas Sua admittit consensum.

liberatio, aliaque per nos, ut infra, facienda, suum plenarium et integrum effectum sortiri valeant, et ne de illorum validitate et subsistentia ullo unquam tempore, ullo iure, ullove modo, via seu praetextu dubitari possit seu contingat, omnes et quoscumque defectus, etiam quantumvis substantiales, contra validitatem dicti consensus et illius admissionis per nos, ut infra, faciendae, tam ex nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, quam alias undecumque et quomodolibet provenientes et resultantes, motu, scientia et potestatis plenitudine, tenore praesentium, sanantes et supplentes, et praedictis regulis aliisque contrariis quibuscumque opportune derogantes, tenore praesentium, motu pari etc. admittimus, et in Cancellaria seu Camera nostra Apostolica praedicta, praevia huiusmodi epistola inibi exhibenda, admittendum fore et esse decernimus et mandamus, dictamque eiusdem Petri Cardinalis epistolam pro aequivalenti valido et sufficienti consensu haberi volumus ac declaramus; ac praeterea pro maiori eiusdem Congregationis sublevamine et praedicti collegii seu seminarii alumnorum conservatione et commoditate, vineam praedictam, una cum palatio, tinello ceterisque mansionibus et aedificiis, in quacumque illius parte positis, ac eandem vineam totam, quanta illa est intra suos notissimos fines, quos eisdem praesentibus, una cum illorum valore in proprietate et annuis fructibus et redditibus universis, aliisque membris, iuribus et pertinentiis quibuscumque, ac etiam praedictae nostrae primae concessionis in praedicta schedula nostri motus proprii contentae, tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus pro expressis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, a canone seu responsione centum scutorum monetae huiusmodi, eidem Petro Cardinali et Abbati ac perpetuo commendatario dicti monasterii, aliisque in dicto monasterio successoribus, modo quo supra, persolvendo seu persolvenda, aliisque oneribus, super eadem vinea, et annexis membris huiusmodi, ad dicti monasterii favorem concessis, et etiam a directo dominio, quod super vinea illiusque membris praedictis praedictum monasterium ad praesens habet, ita ut illud in posterum omnino abdicatum, separatum et amotum sit a praedicto monasterio eiusque pro tempore Abbate seu perpetuo commendatario, ac sit perpetuo translatum in Congregationem huiusmodi, necnon una cum dominio utili ad eiusdem Congregationis favorem consolidatum remaneat, necnon eamdem Congregationem a solutione canonis seu responsionis huiusmodi eidem Petro Cardinali et Abbati seu perpetuo commendatario dicti monasterii eiusque in monasterio praedicto successoribus in posterum facienda, aliisque oneribus praedictis, in omnibus et per omnia penitus et omnino perpetuis futuris temporibus eximimus, absolvimus et liberamus, ac canonem seu responsionem et directum dominium huiusmodi aliaque dicti monasterii iura ei ex praenarrata schedula spectanctia et pertinentia, a dicto monasterio et illius bonis, iuribus et proprietate etiam perpetuo separamus, segregamus et dismembramus, et in eandem Congregationem, quatenus opus sit, perpetuo transferimus, et directum cum utili dominio ad eiusdem Congregationis favorem consolidamus, et insuper canonem seu responsionem centum scutorum monetae huiusmodi, illiusque reservationem praedictam cum aliis iuribus quibuscumque, exinde ad monasterii praedicti et illius Abbatis seu perpetui commendatarii pro tempore existentis favorem resultantibus, motu simili etc., perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, irritamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino evacuamus, perinde ac si canon seu responsio huiusmodi nunquam reservatus seu reservata fuisset, et vinea praedicta de iuribus et pertinentiis dicti monasterii non extitisset, necnon canonis seu responsionis aliorumque iurium huiusmodi reservationem eidem Petro Cardinali et Abbati seu perpetuo commendatario, eiusque in dicto monasterio successoribus, de cetero minime suffragari posse volumus, omneque ius et omnem actionem, quod seu quam quicumque dicti monasterii pro tempore Abbas seu perpetuus commendatarius super canonis seu responsionis aliorumque iurium huiusmodi perceptione, etiam attenta possessione, seu quasi, perceptionis huiusmodi, in qua dictus Petrus Cardinalis ad praesens reperitur, ab eodem Abbate seu perpetuo commendatario, pro tempore existente, dicta auctoritate auferimus, et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, eamdem vineam et alia, ut

Sanat et supplet quoscumque defectus.

Liberat Sacram Congregationem a solutione canonis.

Amovet directum dominium a monasterio S. Laurentii extra muros, ab eiusque pro tempore Abbate seu commendatario, illudque transfert in Sacram Congregationem cum dominio utili.

supra, concessa, et sic, ut praefertur, separata, dismembrata et segregata, et tamquam si de iuribus, pertinentiis et proprietate dicti monasterii non fuissent, cum utili et directo illius dominio consolidata, eidem Congregationi de Propaganda Fide motu pari de novo concedimus, perinde ac si omnia a principio a dicto monasterio dismembrata et libere eidem Congregationi concessa fuissent, et canon seu responsio centum scutorum praedictorum reservatus seu reservata minime extitisset, et de dicta vinea aliisque membris praedictis, ut supra concessis, ipsam Congregationem investimus, illamque et illa, cum aliis eiusdem Congregationis bonis unimus, annectimus et incorporamus, absque ullo prorsus vinculo, onere seu obligatione solvendi laudemium seu entraturam aut capisoldum, nec minus quindennia tam dicti monasterii Abbati seu commendatario, pro tempore existenti, quam aliis quibusvis personis seu collegiis Romanae Curiae, etiamsi speciali nota dignae sint, prout in dicta schedula expressum fuit: quam exemptionem a quacumque huiusmodi solutione, in praecedenti concessione, ad dictae Congregationis favorem per nos, ut praefertur, factam, etiam in hac locum habere volumus. Declarantes ulterius, monasterium praedictum eiusque pro tempore existentem Abbatem seu perpetuum commendatarium, super vinea aliisque membris praedictis, ac canone seu responsione huiusmodi, nihil praetendere posse, neque eis licere super praemissis dictam Congregationem, ullo modo, ullove tempore, sub quovis titulo seu praetextu, etiam excogitato, etiam in corpore iuris clauso, molestare seu molestari facere, immo ex nunc omnes molestias, eidem Congregationi super praemissis inferendas, nullas et irritas declaramus, et tam dicti monasterii Abbati seu perpetuo commendatario pro tempore existenti, quam quibuscumque aliis superioribus et personis, etiam in praemissis, et circa ea quomodolibet interesse habentibus seu habere praetendentibus, ne dictam Congregationem propterea, quovis praetextu, vel quavis causa, inquietare, perturbare ac molestare audeant seu praesumant, districtius inhibemus. Volentes insuper commodo et indemnitati dictae Congregationis ac collegii seu seminarii praedicti iterum atque iterum consulere, Congregationi praedictae, ut ipsa ratione

(Margin: ...xemit Sa- ...congr. a ...ae Lau- ...et alio- quorum- ...e, ac et- ...m len- ...rum.)

unionis et concessionis vineae a dicto monasterio dismembratae et separatae praedicta, una cum suis membris quibuscumque, in priori nostra concessione (quam in iis omnibus, quae ad praedictae Congregationis et collegii seu seminarii huiusmodi favorem tendere dignoscuntur, firmam, salvam et illaesam esse volumus) contentis et expressis, ad solutionem communis, sive annatae et quindenniorum aliorumque iurium Camerae Nostrae et Cancellariae praedictis, ac venerabilium fratrum nostrorum eiusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegio, singulis quindecim annis respective debitorum, iuxta quamplures diversorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, et signanter Clementis Papae Decimi etiam praedecessoris nostri, constitutiones emanatas super solutione quindenniorum et iurium huiusmodi per omnia et singula seminaria, collegia ac loca pia et Congregationes, ex quibusvis dismembrationibus et separationibus fructuum beneficiorum ecclesiasticorum et illorum concessionibus, unionibus et aggregationibus, ad eorum respective favorem suum effectum sortitis, facienda, eidem Camerae, Cancellariae et secundo dicto Collegio minime teneatur, nec obligata sit, immo a solutione praedicta omnino libera et exempta existat, prout nos Congregationem praedictam et, quatenus opus sit, etiam primodictum collegium seu seminarium praedictum, tenore earumdem praesentium, in perpetuum eximimus et liberamus, ita ut a Congregatione praedicta, nec a primodicto collegio seu seminario praedicto, nullo unquam tempore, quidquam peti aut praetendi possit, nec illa et illud desuper a quoquam quavis auctoritate perturbari, molestari aut inquietari queant, etiam motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus concedimus et indulgemus: decernentes easdem praesentes, ac desuper, si videbitur, conficiendas literas, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quopiam defectu notari, argui, aut in controversiam ad quorumvis instantiam adduci, seu via restitutionis in integrum, vel reductionis ad terminos iuris, aut alias quomodolibet revocari impugnarive posse, nec ex eo quod praemissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, ad id vocati et

(Margin: Clausulae derogatoriae.)

auditi non fuerint, easdem literas per subreptionem obtentas censeri et propterea viribus carere, neque Congregationem praedictam illiusque ministros ad verificandum praemissa compelli et teneri, neque ob id nullas et irritas, ac nullius momenti esse et fore censeri; sicque per quoscumque iudices etc., etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etc., sublata etc., iudicari debere etc., irritumque etc., attentari etc., non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae praedictae regulis de exprimendo vero annuo valore in unionibus, ac de praestando consensu et de iure quaesito non tollendo, ac nostra praedictae prioris concessionis schedula, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, concessiones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, necnon recolendae memoriae Symmachi Pauli Secundi, Pauli Quarti et aliorum Romanorum Ponticum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Pii Quarti de gratiis Camerae Apostolicae interesse quomodolibet concernentibus, in dicta Camera intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes in ea praesentari et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, ac beati Pii Quinti, Sixti Quinti et Urbani Octavi, necnon Clementis Decimi et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum et quindenniorum, quomodolibet editis, necnon aliis quibuscumque apostolicis etiam in generalibus Conciliis editis et edendis constitutionibus et ordinationibus, dictique monasterii et Ordinis praedicti, etiam iuramento etc., roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis monasterio praedicto, illiusque Abbati et monachis, seu canonicis regularibus, eidemque Congregationi, ac primodicto collegio seu praedicto seminario, illiusque superioribus et personis et aliis quibuscumque in genere vel in specie, aut alias in contrarium, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et etiam nos, etiam motu proprio etc., concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus etc., etiamsi de illis etc., eorum tenores etc., illis alias etc., permansuris, ad praemissorum validissimum effectum, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse, hac vice dumtaxat, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

Fiat motu proprio I. F.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et quod dictae Congregationis seu primodicti collegii vel seminarii huiusmodi aliae concessiones, applicationes et gratiae, ei illiusque alumnis quomodolibet concessae, ac primodictae schedulae nostri motus proprii tenores etiam veriores, ac data habeantur pro expressis seu in toto vel in parte exprimi possint in literis, et de perpetuis exemptione, absolutione et liberatione eiusdem vineae, ac etiam praedictae Congregationis a canonis seu responsionis huiusmodi solutione, illiusque ac directi dominii super eadem vinea separatione, segregatione ac dismembratione a praedicto monasterio et in eamdem Congregationem translatione, necnon etiam illius cassatione, revocatione, abolitione, ablatione, irritatione, viribusque et effectu evacuatione, eiusdemque vineae nova concessione, unione, annexione et incorporatione cum bonis praedictae Congregationis cum derogationibus, decreto, aliisque praemissis, ut supra, in literis latissime extendendis, et quod praemissorum omnium et singulorum, etiam denominationes, qualitates, nuncupationes, situationes aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in literis, in forma gratiosa et cum clausula, perpetuo et ad perpetuam rei memoriam, et etiam per viam de curia, ut vocant, seu per viam secretam, absque alio signo vel contrasigno, si videbitur, expediendis, seu si etiam videbitur, volumus, quod sola praesentis nostri motus proprii signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante. Volumus etiam, quod praetextu totalis segregationis, separationis et dismembrationis dictae vineae a praedicto monasterio, cuius fructus in libris Camerae Apostolicae ad florenos tercentum triginta sex cum duobus tertiis alterius floreni similis taxati reperiuntur, illiusque novae unionis, annexionis et incorporationis cum bonis praedictae Congregationis, nulla reductio taxae per Abbates seu perpetuos commendatarios eiusdem monasterii pro tempore existentes praetendi

queat, ex eo quod residui fructus ipsiusmet monasterii ad substinendam illius antiquam taxam, satis superque sufficiunt, prout accepimus, quodque praesentium transumptis, etiam impressis et manu datarii seu prodatarii, pro tempore existentis, subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptis eadem fides adhibenda, ac praesentibus

Fiat I. F.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, pridie idus septembris anno nono.

Data motus proprii.

Nihil quia factum Principis.

Nuper Sanctitas Vestra ad consulendum bonae valetudini alumnorum collegii de Propaganda Fide, motu proprio acceptavit dimissionem cuiusdam vineae, ad monasterium Sancti Laurentii spectantem, ab Eminentissimo Otthobono eiusdem monasterii Abbate, sub canone per Sanctitatem Vestram praefiniendo, oretenus factam, eamdemque vineam in perpetuum concessit Congregationi de Propaganda Fide, sub cuius directione et protectione extat dictum collegium, sub reservatione tamen novi consensus dicti Cardinalis et iniuncto onere eidem Congregationi solutionis canonis scutorum centum favore Abbatis pro tempore dicti monasterii, eximendo insuper, ratione huiusmodi concessionis factae ex causa propagationis Sanctae Fidei, dictam Congregationem ab onere solutionis laudemii quocumque nomine nuncupati, et etiam quindennii quomodolibet debiti, etiam Cancellariae officialibus, et alia ad eiusdem Congregationis favorem disposuit; quibus omnibus dictus Cardinalis novum praestitit consensum, servato dicti motus proprii themate; nunc vero pro maiori divini cultus incremento, in dicto collegio, ac etiam pro aliquo dictae Congregationis tot oneribus missionum praegravatae sublevamine, accedentibus etiam precibus Cardinalium Congregationis huiusmodi, cui idem Eminentissimus Otthobonus, praevia sua epistola secretario directa, obtulit consensum pro infrascripta cassatione, eadem Sanctitas Vestra, ad validissimum effectum praesentis gratiae, motu simili consensum, sic praestitum per epistolam, admittit, omnes defectus, si qui in illo intervenerint, sanando, cum opportuna derogatione regularum Cancellariae aliorumque contrariorum; ac dictam vineam, necnon huiusmodi Congregationem a canonis praedicti solutione in perpetuum liberat, illum cum dominio directo super eadem vinea a monasterio abdicando, dictumque dominium transferendo in Congregationem praedictam, ad cuius favorem hoc cum utili dominio consolidatum erit, et, quatenus opus sit, canonem et alia iura in primaeva concessione monasterio reservata, revocat, cassat et annullat, dictamque vineam eidem Congregationi de novo absque ullo prorsus onere, concedit, illam respectu huius novae concessionis eximendo a quindennio aliunde debito Collegio Cardinalium, Camerae et Cancellariae, cum derogationibus amplissimis et aliis gratiis latius in hoc motu proprio contentis, et sine praeiudicio primae concessionis, quam salvam esse vult, tantum in favorabilibus pro Congregatione et Collegio primodicto, et firma remanente antiqua taxa monasterii praedicti, quia ad illam substinendam reliqui fructus sufficiunt; et cum decreto solius signaturae seu etiam expeditionis literarum per viam secretam, aut de Curia, et quod transumptis manu datarii seu prodatarii subscriptis fides habeatur. A. Subdatarius.

Summarium motus proprii.

Registrata libro decimo octavo secretorum, folio quadragesimo octavo. A. de Laurentiis. F. Petrus. Gratis: vigesima quarta septembris. Maximilianus Uflenghus.

Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nono, die vero duodecima septembris, eminentissimus et reverendissimus Dominus Petrus Cardinalis Otthoboni per suam epistolam retroscriptae cassationi solutionis retroscripti canonis ac literarum expeditioni consensit etc. M. Gaspar Staffart deputatus. —

Qua quidem caedula motus proprii Sanctissimi Domini nostri inspecta, praesens transumpti instrumentum confeci, ut illi fides habeatur, perinde ac suo originali. Actum ut supra, praesentibus dominis Antonio Giorgetto et Ioanne Baptista Mazzucchello testibus etc. Praeinserta schedula motus proprii Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae Undecimi cum decreto solius signaturae, cum sua supplicatione originali revisa concordat.

VIII.

Cardinalem de Tournon durius in Sinis habitum amantissime consolatur, cer-

tioremque facit de mediis, quibus pristinam illi securitatem ac libertatem restituere enixe contendit.

Dilecto filio nostro Carolo Thomae, S. R. E. presbytero Cardinali de Tournon,

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Non deessent tibi profecto assidua pontificiae nostrae benevolentiae testimonia, neque inter angustias, quas perfers, ea solatia, quae a caritate nostra eximiae ac invictae tuae virtuti omni iure debentur, si quoties cogitationes curasque nostras ad te convertimus, toties eas tibi per litteras significandi modus ac occasio nobis suppeteret: adeo constans ac firma est in animo nostro sollicitudo, qua pro te afficimur, perpendentes quam dura et ardua et quam ob causam tibi nil tale merito sint hoc tempore perferenda: quoniam vero immanis, qua ab invicem disiungimur, locorum distantia in causa est, ut animi nostri sensus raro nimis tibi enunciare valeamus, malumus uti in praesens hac qualicumque oblata nobis opportunitate scribendi, quam eam irritam dimittere, ut hoc saltem amoris nostri indicio, si has nostras ad te perferri contigerit, recreeris.

§ 1. Quamquam ea est nedum apud nos, sed apud universam Ecclesiam, tuorum meritorum praestantia, ut nullo modo ambigere possis, quin nos praecipua dilectione te, pro Dei causa tam strenue laborantem, complectamur. Et sane auspicatissimi illi nobis dies sunt, quibus de te aliquid ad nos ex istis remotissimis partibus affertur, ubi praesertim te sospitem esse, quo maxime optamus, audimus; tum vero cumulus accedit laetitiae nostrae, cum intelligimus te inter tot tribulationum aestus animo nihil commotum eodem quaerendae Dei gloriae et asserendae veritatis desiderio, quo plenum istud difficultatis ac periculi, sed ingentis meriti, opus ab initio suscepisti, adhuc magis intime incendi, ac fretum ope coelestis praesidii nullis incommodis, utcumque gravissimis, absterreri, quominus ministerium tuum impleas, ut assequaris coronam, quae legitime certantibus promittitur.

§ 2. Neque tamen existimes caritatem erga te nostram iis terminis circumscribi, ut quodam tantum animi consensu participes eorum efficiamur, quae agis ac perfers, nec curas interim nostras ulterius provehamus: non enim ullo modo praetermittimus adhibere congrua media et sedula officia ac monita, quae ad parandam ac reddendam tibi quantocitius securitatem ac libertatem profutura esse arbitramur; videmus enim quanti nostra intersit, ne pontificii nominis et Apostolicae Sedis dignitas et auctoritas in te contemnatur, et ne pro zelo, quo ad promovendam cum animarum salute integritatem ac puritatem christianae fidei, debitaeque executioni demandanda Apostolicae Sedis decreta, extremas usque orbis partes adire non dubitasti, tam indignam tibi illi homines, qui minime omnium deberent, mercedem rependant. Deus qui sustinentes se non destituit, confirmet ac adaugeat in te spiritum fortitudinis, teque sua gratia et ope communiat; quod nos ab eo iunctis nobiscum fidelium precibus indesinenter exposcimus. Et tibi, dilecte fili noster, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXVIII. februarii MDCCX, pontificatus nostri anno X.

IX.

Philibertum le Blanc, Vicarium Apostolicum in imperio Sinarum, ibidem acerbe vexatum, amanter consolatur.

Dilecto filio Philiberto le Blanc, Vic. Ap. prov. Junaniae in regno Sinarum,

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili, salutem et apost. benedictionem (1).

Ubi primum renunciata nobis fuit persecutionis acerbitas in istis partibus adversus apostolicos missionarios exortae, eum doloris sensum inde suscepimus, quem paterna caritas debebat calamitati filiorum; maiorem tamen in modum com-

(1) Appendix ad Bullarium pontificium Sac. Congr. etc., tomus I., pag. 429.

moti fuimus ex vexationibus et molestiis, quas ea occasione illatas tibi fuisse et adhuc inferri cognovimus, cum ob ea, quae dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis de Tournon de tua pietate, orthodoxae religionis zelo, summoque atque imperterrito in ipsum studio ad nos perscripsit, te singulari quadam benevolentia complectamur. Paterni itaque animi in te nostri argumentum aliquod tibi extare cupientes, primum constantiam tuam gratam admodum nobis accidisse tibi significamus, eamque meritis in Domino prosequimur laudibus: deinde vero te magnopere hortamur ac admonemus, ut in suscepto consilio persistas, et angustias, in quibus positus es, alacri strenuoque animo sustinere pergas. Neque enim conqueri sed gloriari cum apostolo debemus in tribulationibus nostris: « scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit ». Quae quidem spes omnino certa ac firma tibi, qui persecutionem pateris propter iustitiam, reponenda in Domino est. Non enim in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur, sed faciens misericordiam et iudicium iniuriam patienti, mittet tibi, cum sibi placuerit, auxilium de sancto et de Sion tuebitur te. Ceterum ad nos quod pertinet, omne a pontificia auctoritate et paterna caritate nostra praesidium polliceri tibi perpetuo debes, dilecte fili, cui interim apostolicam benedictionem amanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCXI., pontificatus nostri anno XI.

X.

Ludovicum Appiani, in carcere detentum, consolatur.

Dilecto filio Ludovico Appiani, sacerdoti congregationis missionis, et missionario apostolico in regno Sinarum,

CLEMENS PP. XI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Multorum, qui ex istis partibus huc remigrarunt, sermone praesertim vero dilecti filii nostri Caroli Thomae S. R. E. Cardinalis de Tournon, gravissimo testimonio, certiores abunde facti sumus, te magnam partem subiisse procellae in ipsum Cardinalem suscitatae, et post plurimas vexationes adhuc istic et aspera custodia et carcere detineri.

Non secus profecto, ac debuimus, animo commoti vehementer tuis aerumnis ac doloribus condoluimus; sed cum compertum habeamus te propter iustitiam in eas, quas pateris, angustias incidisse, non mediocriter dolorem nostrum ea consolatio levavit, quod te, quem Redemptor noster beatum appellat, nos miserum agnoscere aut nominare non possumus. Quomodo enim dicendus es miser, qui pro omnipotentis Dei cultu in amplissimis istis regionibus propagando tot labores suscipere, tot adire pericula non dubitasti? qui propter religionis catholicae singulare studium tot molestias et calamitates perpessus es? qui demum ob praestitam praedicto Cardinali, ac in eius persona nobis ipsis et huic Sanctae Sedi, debitam obedientiam ac fidem, durum carcerem et vincula tamdiu sustinuisti et adhuc sustines? Quae quamvis tristia, difficilia atque horrida sensus ipse noster humanus experiatur, tamen haec omnia divini honoris amor, qui supra omnia dulcis est, dulcia reddere potest. Id porro tibi ipsi contingere certo credimus, dum, ut allatum ad nos est, in tribulationibus gloriaris, exultas, quod dignum habitus sis pro Christi causa contumeliam pati, ac impavido fortique animo illam perferens, summopere gratum atque iucundum Deo et hominibus spectaculum exhibes. Ut eiusmodi sensus sacerdotali pectore ac instituto, quod profiteris, plane dignissimos constanter tueri, certamque ac firmam fiduciam in Domino, qui in se sperantes confundi non patitur, habere pergens, te vehementer hortamur.

Nos quidem, quantum situm in nobis erit, nullo modo deerimus virtuti tuae, quamquam etsi deessent omnes, pro explorato tamen habemus, Deum optimum maximum causae suae, constanti tuae in ipsum fidei, assiduis accuratisque precibus nostris, bonorum denique omnium votis minime defuturum. Cuius rei in auspicium tibi, dil. fili, apostolicam benedictionem, paternae etiam, qua te complectimur, benevolentiae testem, amanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCXI., pontificatus nostri anno XI.

XI.

Obitum piae recordationis Caroli Thomae Cardinalis de Tournon, Macai in Sinarum imperio die* VIII. *iunii* MDCCX. *secutum, Cardinalibus communicat, eiusque praeclaris in Ecclesiam, Apostolicam Sedem catholicamque religionem meritis fuse commemoratis, exequias pro suffragio eius animae, in pontificio sacello solemniter celebrandas, indicit.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XIV. OCT. MDCCXI. (1).

Venerabiles fratres.

Saepius nos ex hoc loco publica mala deflevimus: domesticam hodie nostram ac vestram itidem iacturam dolemus, nisi tamen et publica dici illa mereatur, quae cum nostra et vestra sit, censeri etiam debet universae Ecclesiae calamitas.

Bene iam intelligitis de acerbo nos obitu Caroli Thomae Cardinalis de Tournon verba facturos. Amisimus, venerabiles fratres, amisimus orthodoxae religionis zelatorem maximum, pontificiae auctoritatis intrepidum defensorem, ecclesiasticae disciplinae assertorem fortissimum, magnum Ordinis vestri lumen et ornamentum. Amisimus filium nostrum, fratrem vestrum, plurimis, quos pro Christi causa suscepit, laboribus attritum; diuturnis, quas pertulit, aerumnis confectum; contumeliis, quas forti magnoque animo sustinuit, innumeris, velut aurum in fornace, probatum. Haec tamen si recte perpendantur, tantum abest, ut ad cumulandum luctum nostrum sint apta, ut potius omnem doloris sensum ab animis nostris abstergant. Neque enim, iuxta monitum Apostoli, con-

(1) Pro historia et contra denigrantes Societatem Iesu ex Bullario Patronatus Portugalliae vol. III., pag. 273 et ex Bull. Clementis XI. Romae edito an. MDCCXXV, pag. 517, transcribimus declarationem Praepositi Gen. Societatis Iesu super ritibus sinensibus.

DECLARATIO

DIE XX. NOVEMBRIS MDCCXI.

Reverendis. pater Michaël Angelus Tamburinus, Praepositus Generalis Societatis Iesu, provolutus ad pedes sanctissimi domini nostri, domini Clementis, divina providentia, Papae XI., in palatio Quirinali, una cum PP. assistentibus nationum ac procuratoribus singularum provinciarum dictae Societatis, obtulit Sanctitati Suae per modum supplicis libelli scripturam tenoris, qui sequitur, videlicet:

Foris:
Sanctissimo D. nostro Clementi Papae XI.
Pro Praeposito Generali Societatis Iesu.

Intus vero:
Inter postulata, quae patres procuratores missi Romam e singulis Societatis Iesu provinciis ad consuetam congregationem procuratorum, indictam in hunc mensem novembrem anni MDCCXI., proposuere, unum fuit prae ceteris summa oblatum contentione, et acerrimis omnium studiis votisque commendatum, tamquam longe maximi ad suarum provinciarum pacem et existimationem momenti.

In hoc postulato significant Praeposito Generali lacerari Societatis universae nomen indignissima accusatione, quae illi maiorem inurit dolorem, quam innumerabiles aliae accusationes, obtrectationes et calumniae contra eamdem fabricari et disseminari solitae, et qua se fatetur ad vivum vulnerari, et pupillam oculi sui tangi.

Accusationem hanc vehementiores adversarii his verbis informant: « Erga decreta pontificia prae ceteris exactam submissionem caecamque obedientiam buccinant Iesuitae; ab ea tamen prae ceteris deficiunt, dum ad salivam decreta non sunt... Religiosos Societatis prae ceteris inobedientes esse constitutionibus apostolicis ».

Eam ob rem praedicti patres procuratores, ad refellendam omni ope tam probrosam quam e veritate alienam accusationem, simulque ad declarandum Societatis dolorem, cum se tam gravi, tam acerbo vulnere petitam sensit, una voce postularunt, ac faciendum iudicarunt, ut solemni et legitima quadam actione, quae vim et locum obtineret cuiuscumque apologiae, Praepositus Generalis Societatis nomine totius Ordinis confirmaret, contestaretur ac declararet, provolutus ad Sanctitatis Suae pedes, et coram Ecclesia universa, constantissimam, immutabilem, invictam totius Societatis Iesu fidem in amplectendis, obeundis et ad ultimum usque spiritum exequendis, quaecumque fuerint a Sede Apostolica praescripta, constituta et imperata, et nominatim quod spectat ad decreta per Suam Sanctitatem edita de ritibus sinensibus tum anno MDCCIV. die XX. novembris, tum anno MDCCX. die XXV. septembris: quae quidem decreta, etiam prout a Sanctitate Sua explicata et exposita fuerunt in litteris eius nomine scriptis ab illustrissimo et reverendissimo domino assessore sancti Officii ad reverendum admodum patrem Praepositum Generalem Societatis sub die XI. mensis octobris anno MDCCX., inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis ibidem expressis, sine ulla contradictione, tergiversatione aut cunctatione, quovis contrafaciendi quaesito colore aut praetextu penitus sublato, sibi adamussim observanda et exequenda, sponte et ultro admittit et amplectitur Societas universa: atque ita obloquentium ora obstructum iri confidit.

Huic postulato, una cum patribus assistentibus, iidem patres procuratores Romae convocati propria manu subscripsere.

Michaël Dias, assistens Lusitaniae
Andreas Waibl, assistens Germaniae.
Io. Vincentius Imperialis, assistens Italiae.
Guillelmus Daubenton, assistens Franciae
Ludovicus de Montesdoca, assistens Hispaniae.
Matthias Karski, procurator Lituaniae.
Richardus Plovuden, procurator Angliae.
Stephanus Sczainecki, procurator Poloniae.
Ioseph Vicecomes, procurator provinciae Mediolanensis.
Carolus Franciscus Demachault, procurator Campaniae.

tristari de dormientibus debemus, sicut et ceteri, qui spem non habent. Pretiosam in conspectu Domini piissimi Cardinalis mortem fuisse iuste sperare nos iubet eximius illae catholicae fidei propagandae zelus, quo ubi plurimum ad apostolicum ministerium a Deo vocatus per nos fuit, illico humiliter obtemperans, aulam, urbem, parentes, consanguineos, amicos eaque omnia, quae natura cuique gratissima facit, alacri, sicut nostis, animo dereliquit, longissimoque itineri ac periculorum pleno se committere non dubitavit. Sperare nos iubet ardens illa caritas, qua tot remotissimis terrarum mariumque spatiis peragratis, numquam fecit animam suam pretiosiorem, quam se; ac, foras misso timore, locutus fuit de testimoniis Domini in conspectu regum, et non fuit confusus: semperque in tribulationibus gaudens, pergratum Deo et angelis eius spectaculum exhibuit. Sperare nos iubet excelsus ille humanarum rerum contemptus, quo amplissimam dignitatem, ad quam, suis ita abunde exigentibus meritis, a nobis evectus fuerat, et a qua nihil aliud, quam pro Ecclesia et pro Christo, usque ad sanguinis effusionem inclusive, imperterrite decertandi onus ac monitum acceperat, dimissurum se potius, quam in Europam, missionibus sinicis derelictis, remigraturum serio ad nos scripsit, et palam professus fuit. Sperare nos iubet singularis illa pietas, qua in supremis suis tabulis, relicta pauperibus pecunia, consanguineis legata cruce, propagandae fidei opus vere sanctissimum ex asse scripsit heredem: illustre nobis documentum relinquens, quae et qualia esse debeant eorum testamenta, qui de altari vixerunt, et Ecclesiae ministeriis se addixerunt. Sperare nos demum iubet invicta illa sacerdotalis roboris constantia, qua vir vere apostolicus, tametsi sustentaretur pane tribulationis et aqua angustiae, officium tamen suum numquam dimisit; ac non minus diuturnae custodiae iniuriis, quam aliis gravissimis vexationibus ad supremum usque vitae

---

Carolus Dauchez, procurator Franciae.

Iosephus Preiss, procurator Germaniae superioris.

Io. Baptista Spinula, procurator provinciae Romanae.

Antonius Milesius, procurator provinciae Venetae,

Andreas Dehmaz, procurator Rheni superioris.

Ioannes Petrus du Foruel, procurator provinciae Tolosanae.

Gaspar Buhon, procurator provinciae Lugdunensis.

Balthasar Weiman, Rheni inferioris procurator.

Gavinus Silvester Lecca, procurator Sardiniae.

Ioannes de Bruyn, procurator Flandrobelgii.

Franciscus Rescalli, procurator Austriae.

Ioannes Capeta, procurator Bohemiae.

Dominicus Viva, procurator Neapolitanae.

Ioannes Baptista de Fourmestraux, procurator Gallobelgicae

Antonius Franciscus Ioseph Provana, procurator Sinensis.

Beatissime Pater

Tam iustis, tam gravibus ac necessariis PP. procuratorum postulatis obsecundans, Praepositus Generalis Societatis Iesu ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolutus, quocumque optimo ac certissimo modo potest, cum omni asseveratione ac sinceritate, suo ac totius Societatis nomine, profitetur ac declarat Sanctitati Vestrae et Sanctae Sedi Apostolicae constantissimum obsequium, reverentissimam submissionem et obedientiam caecam, in amplectendis et exequendis quaecumque per eamdem Sanctam Sedem decreta fuerint et imperata; iisque potissimum, quae circa sinicos ritus edita sunt, tum anno MDCCIV. die XX. novembris, tum anno MDCCX. die XXV. septembris. Quae quidem decreta, etiam prout a Sanctitate Vestra explicata et exposita fuerunt in litteris Sanctitatis Vestrae nomine eidem Praeposito Generali scriptis ab illustrissimo et reverendissimo domino assessore S. Officii sub die XI. octobris anno MDCCX., inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis ibidem expressis, sine ulla contradictione, tergiversatione aut cunctatione, quovis contrafaciendi quaesito colore aut praetextu penitus sublato, sibi adamussim observanda et exequenda, sponte et ultro admittit et amplectitur Societas universa. Testatur autem idem Praepositus Generalis hanc esse vocem, hoc votum, hunc spiritum Societatis universae: hunc et futurum esse: sicut proculdubio semper fuit.

Quod si quis nihilominus e nostris esset ubicumque terrarum (quod avertant superi), qui aliter sentiret et loqueretur aut locuturus esset (nam id omnino praevenire aut impedire nulla satis potest humana prudentia, in tanta subditorum multitudine), declarat, asserit ac profitetur Praepositus Generalis, nomine totius Societatis, se iam nunc illum reprobare, repudiare, ac merita castigandum poena, neque agnoscendum pro vero et genuino filio Societatis, illum tamquam degenerem, et non suum, habebit, uti tales semper habuit et modo habet Societas, et, quantum poterit, semper compescet, comprimet et conteret.

Ea mens, hoc propositum, ea contestatio Societatis est, quam eius totius nomine deponit ad sanctissimos pedes Beatitudinis Vestrae Praepositus ipsius Generalis; ut inde per universam disseminetur ac spargatur Ecclesiam. Quod si ad exprimendam efficacius Societatis in hac protestatione mentem inveniri verba possent clariora et magis significantia, aut formulae magis distinctae disertaeque ad obstruendum omnem cavillationibus et sinistris interpretationibus aditum; intendit, optat, vult Praepositus Generalis, ut ea, quae in hoc scripto adhibet, verba vim omnem aliorum quorumcumque magis idoneorum habeant; fateturque sibi non occurrisse ulla meliora et apertiora, quibus veram et sinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex domo professa Romana, die XX. novembris MDCCXI.

Ita fatetur et protestatur

Michaël Angelus Tamburinus
Praepositus Generalis.

spiritum fortiter toleratis, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Quid ergo reliquum est, nisi quod et merito etiam speremus repositam ei fuisse coronam iustitiae? Ita sane et iuste sperare nos convenit. Verum, quia id facit humana fragilitas, ut de mundano pulvere etiam religiosa corda saepe sordescant, nostra pro defuncti Cardinalis anima ad Deum preces atque suffragia deesse, christianae caritatis ratio non patitur. Id et privatim hactenus nos ipsi saepius agere non omisimus, ac, ut aliquid praeter morem erga insuetae virtutis viri memoriam peragamus, publicis insuper in pontificio nostro sacello exequiis, stata die vobis indicenda, solemni ritu praestabimus. Firmam interim in spem adducimur fore, ut Cardinalis de Tournon sinensem missionem, quam vivens dilexit, etiam e coelesti statione benigno vultu respicere non dedignetur, suaque ope id in primis efficiat, ut quod ipse anxiis adeo votis exoptavit, avulsis tandem ex illo agro, quae inimicus homo superseminavit, zizaniis, catholicae fidei seges illic reflorescat, et ad maiorem divini nominis gloriam uberius in dies multiplicetur.

XII.

Novo Aethiopiae regi explicat desiderium, quod illius praedecessor defunctus ostenderat, amplectendi catholicam fidem ac unionem cum S. R. E. De eiusmodi negotio fuse disserit, ipsumque regem, ut pertractatam unionem perficiat, enixe hortatur.

Illustri ac potentissimo regi Aethiopiae,

CLEMENS PP. XI.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Uberem plane solatii et gaudii materiem superioribus annis nobis attulit quondam Iosephus ab Hierusalem, Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci strictioris observantiae, dum viveret, professor, cum a rege, tunc temporis Aethiopiam obtinente, ad nos allegatus plura nobis regio nomine coram exposuit de ingenti, quo idem rex tenebatur, desiderio, nedum veram ac sinceram cum hac Romana Ecclesia in professione cultuque christianae fidei unitatem amplectendi, sed etiam exemplo et auctoritate sua efficiendi, ut ad eam ineundam adduceretur ampla ista natio, hoc ipso nomine olim celebris, quod haustam ab ipsis Ecclesiae primordiis catholicam veritatem diu fideliter custodiverit, ac regias praeterea litteras idem Iosephus nobis reddidit prolixe et luculenter idipsum comprobantes.

§ 1. His enim auditis, magnam profecto in spem erecti fuimus tanti boni, ad quod pro virili parte promovendum, postquam omnipotenti Deo, qui fons est et origo bonorum omnium, in humilitate cordis nostri gratias egimus, eumdem religiosum virum in Aethiopiam remisimus, tum ut mutua paternae nostrae caritatis officia regi deferret, tum etiam, ut expedienda curaret opportuna media, quibus pium ac salutare illius propositum perficeretur, eumque in scopum praedicto Iosepho ab Hierusalem congruum missionariorum numerum, pietate et doctrina praestantium, qui tam arduum et periculosum iter pro divini nominis gloria libenti promptoque animo susceperunt, adiunximus.

§ 2. Instituta proinde fuit anno MDCCIV., mandantibus nobis, summa cum alacritate ea profectio, de qua magnum divini honoris proventum, magnum itidem spirituale istorum populorum emolumentum nobis merito pollicebamur; verum eo, cuius inscrutabilia iudicia et ininvestigabiles viae sunt, ita disponente, optatum ad exitum perducta non fuit; nam eidem religioso viro eiusque sociis, sive ob temporum itinerumque difficultates, sive potius ob istarum rerum tumultus ac vicissitudines, in Aethiopiam pedes inferre non licuit; ac interea tum rex antedictus, tum etiam eius natus, qui in illo regno successerat, vita demigrarunt: novissime vero ipse quoque Iosephus, missionariorum praefectus, viam universae carnis, ut accepimus, ingressus est: quae quidem omnia quantum amaritudinis ac molestiae nobis attulerint, exprimere satis non possumus.

§ 3. Verumtamen moerorem hunc nostrum haud levi ex parte detersit allatum non ita pridem ad nos iucundum nuncium, quod celsitudo tua ad Aethiopiae regnum feliciter evecta fuerit; spem enim non modicam inde suscepimus, te, quem

aequo praestantique animo esse persensimus, probe intellecturum esse, quanti tua intersit ad tuendam, quam assecutus es, amplissimam dignitatem, praesidium coelestis gratiae promereri. Quod cum nemo unquam sperare possit, nisi verum Deum per verum cultum adoret ac veneretur; cumque unica veritatis magistra ac mater sit Romana Ecclesia, cuius nos supremum regimen, nullis licet meritis, in terris gerimus: muneris nostri esse duximus memoratis religiosis viris missionariis superstitibus et pluribus aliis, quos istuc nuper allegavimus, iniungere, ut te nostro nomine adeant quamprimum, ac post uberrimam regni tibi delati gratulationem, necnon disertam voluntatis in te nostrae significationem, ea tibi diligenter explicent, quae christiano homini necessaria sunt ad aeternam salutem, sine qua, ut fluxa atque caduca, ita plane vana nulliusque ponderis ea omnia sunt, quae habentur in terris. « Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » Nec irritam fore sollicitudinem hanc nostram eorumque labores confidimus, sed imo nobis cum Dei ope pollicemur, te, serio expensa veritate tibi proposita et accepta tam propitia occasione rationibus tuis magis magisque conciliandi coeleste praesidium, strenuam daturum esse operam, ut vera religio iamdudum a regibus populisque Aethiopiae recepta ac mirifice exculta, nunc tandem ab omni labe et superititione, longo annorum decursu, forte invectis, studio ac opera praedictorum religiosorum virorum, tuaque in primis auctoritate, expurgetur, ac per debitam Romanae Ecclesiae obedientiam primaevo splendori in istis partibus restituatur.

§ 4. Plura de eodem argumento ab ipsis missionariis intelliges, quos ut benigne excipias et audias, piaque eorum consilia praevalido patrocinio tuo fovere ac provehere velis, quo maiori possumus studio, a te petimus, dum nos gratum memoremque animum beneficiorum omnium, quae in eos conferre dignaberis, tibi ample pollicentes, a Deo optimo maximo, per quem reges regnant, diuturnam incolumitatem cum assidua solidaque felicitate coniunctam, et, quod caput est, lumen divinae gratiae ad agnoscendam suscipiendamque catholicam veritatem celsitudini tuae ex corde precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCXII., pontificatus nostri anno XII.

XIII.

De natione Aethiopum ad catholicae Ecclesiae sinum ac unitate revocanda sollicitus, eiusdem nationis Archiepiscopum requirit, ut apostolicos missionarios, quos illuc allegare constituerat, humaniter excipere, audire, suoque patrocinio fovere velit.

Ven. fratri Archiepiscopo Aethiopiae,

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et lumen divinae gratiae (1).

Quoties ad celeberrimam olim toto terrarum orbe Aethiopum nationem mentis nostrae oculos convertimus, toties aestu quodam paternae caritatis abrepti dolemus potissimam istam evangelici gregis partem, lupo dispergente, a vero Pastore aberrasse, ac aeternae salutis semitam, neglectis maiorum suorum vestigiis, deseruisse.

Cum autem officii nostri ratio postulet, ut eius exemplo, cuius vices in terris, licet immerentes, gerimus, deperditas oves quaeramus, et ad dominicam caulam reducere satagamus, quatenus omnes in unitate fidei coniungantur, et fiat unum ovile et unus Pastor: idcirco istas in partes, quas licet a nobis tanto locorum intervallo disiunctas, pastoralis tamen sollicitudo nostra veluti proximas, quin etiam tamquam praesentes, respicit, mittere constituimus religiosos aliquot viros, singulari pietate et doctrina instructos, ac zelo in primis honoris Dei, pro cuius amore terrenis omnibus se abdicarunt, incensos, qui non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, nullique lucro, praeterquam animarum, inhiantes, populos istos catholicae religionis veritatem edoceant, ac ea omnia, quae conducere possunt ad constabiliendam istius nationis unitatem cum Romana Ecclesia, quae omnium per orbem Eccle-

---

(1) Clem. XI. Epistolae et brevia selectiora, tomus II., pag. 135.

siarum mater est ac magistra, recte ac salubriter disponant. Spem interim in Deo, qui est fons et origo salutis, repositam habemus, quod ubi tu, divina aspirante gratia, verba vitae et sanam doctrinam docili mente exceperis, non aegre possis reliquis tuo exemplo ac auctoritate praeire, ut tecum ad sinum amantissimae Matris confugiant, unumque Deum, unam Ecclesiam, unum baptisma corde ac voce unanimi profiteantur.

Enixe itaque a fraternitate tua expetimus, ut praefatos religiosos viros missionarios humaniter excipias, libenter audias, eisque faveas in omnibus, quae pro adimplendo apostolico ministerio ipsis expedire et opportuna esse cognoveris. Nos interim Patrem misericordiarum sedulo precari non desinemus, ut mentem tuam, superna luce perfusam, donis coelestis suae gratiae cumulet, quibus via tibi pandatur ad aeternam salutem.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv. martii MDCCXII., pontificatus nostri anno XII.

XIV.

Idem argumentum.

Dilecto filio abbati generali monachorum aethiopum Ordinis Sancti Antonii,

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili, salutem et lumen divinae gratiae (1).

Praecipuum pontificiae sollicitudinis munus esse intelligentes nil intentatum relinquere, quod ad animarum salutem divinique cultus amplificationem promovendam pertinere possit, cogitationes curasque nostras eo assidue dirigimus, ut Ecclesiae vineam, quam de manu Domini, nullis licet suffragantibus meritis nostris, custodiendam suscepimus, non solum omnium errorum vepribus expurgatam, sed uberioris etiam fructus maturitate redundantem, eidem Domino servemus, qui bonos operarios pro apportato lucro remunerat, a bono autem opere torpentes damnat.

§ 1. Huic itaque proposito dum tota animi contentione incumbimus, paternae nostrae caritati, quae non unius Europae finibus concludi se sinit, sed ad omnes etiam remotissimas regiones sedulo se extendit, tu atque istius instituti, cui praees, professores, non ultimi occurritis, a quibus scilicet et quorum ope expectamus, ut eadem vinea in istis partibus reflorescat, et fructum det in tempore suo. Quid enim vobis proderit saeculi huius illecebris aures occlusisse, qui a divinarum iustificationum semita aberratis? Ad quid in claustri septa vos recepistis, qui fidei unitatem declinantes, viam elegistis, cuius novissima ducunt ad mortem? Una profecto est aeternae salutis semita, ipso summo angulari lapide Christo Iesu mystice signata, a qua si quis vel minimum deflexerit, spem vocationis suae, quae credentibus in unitate spiritus data est, procul dubio amiserit; cuius veritatis ratio maioribus vestris utique perspecta fuit, dum Christo ac eius in hac Romana Sede vicario libenti animo se submiserunt, rati non aliunde verae fidei regulam et documenta hauriri posse, quam ab hac ipsa Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra.

§ 2. Proinde nos spem maximam in Deo, qui est via, veritas et vita, merito constituentes, ac de prudentia et docilitate vestra plurimum nobis pollicentes, istuc misimus nonnullos religiosos viros missionarios, pietatis doctrinaeque laudibus ac religionis in primis zelo commendatos, qui sinceram atque inconcussam veritatem, quam tenet ac docet eadem Romana Sedes, Christi redemptoris nostri oraculis, Apostolorum traditionibus, veterum Patrum testimonio sacrorumque Conciliorum auctoritati innixa, vobis aperiant, et ad amantissimae Matris sinum vos invitent et revocent. Eosdem itaque missionarios, ut pronis auribus libentique animo audire velis, magnopere a te petimus, tibique eos etiam atque etiam commendamus.

§ 3. Patrem interim misericordiarum enixis precibus exorare non desinemus, ut emittat lucem suam, tribuatque tibi tuisque monachis spiritum sapientiae et intellectus, quatenus, veterum errorum depulsa caligine, quae ad animarum vestrarum salutem in tuto ponendam neces-

(1) Clement. XI. Epistolae et brevia selectiora, tom. II., pag. 136.

saria vobis sunt, intelligatis, eaque, divina opitulante gratia, perficiatis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv. martii MDCCXII., pontificatus nostri anno XII.

XV.

Toti Maronitarum nationi denunciat, re mature discussa, depositionem Patriarchae ut nullam et iniustam iudicatam fuisse, nullam pariter abdicationem Patriarchae; hunc proinde restitutum esse in pristinam dignitatem: omnesque hortatur, ut pontificio decreto se subiiciant ac Patriarchae obedientiam exhibeant (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, necnon dilectis filiis Clero, Principibus et Populo universo nationis Maronitarum,

CLEMENS PP. XI.

Venn. fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Nationem vestram, etsi magno locorum intervallo a nobis dissitam, vinculo tamen caritatis nobis in Christo coniunctam, et pastorali, quam omnium Ecclesiarum ac omnium quotquot in orbe terrarum sunt ovium gerimus, sollicitudini assidue praesentem, singulari intimoque paternae dilectionis affectu complectimur. Et sane eximia vestra pietas ac in orthodoxa religione constantia, tum etiam praecipua et antiquissima erga S. hanc Sedem fides atque devotio promerentur, ut vos veluti filios carissimos in corde ac in visceribus Christi Iesu habeamus. Hinc porro, quemadmodum arbitramur, abunde coniicietis quam molestae et plane acerbae nobis acciderint contentiones atque dissidia postremis hisce temporibus quorumdam turbulentorum hominum instigatione inter vos excitata, quorum aestu abrepti et ad consilia a veteri aequitate prudentiaque vestra nimium aliena prolapsi, ven. fratrem Iacobum Patriarcham vestrum a patriarchali sede deiecistis. Nos quidem, statim ac de praetensa huiusmodi depositione relatum ad nos fuit, scandalis et malis plurimis quae inde oritura fore prospiciebamus, pro pontificii muneris nostri debito occurrere cupientes, tanti momenti negotium Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae diligenter discutiendum commisimus: quae, tota facti serie ac omnibus ab utraque parte deductis sedulo maturoque, ut par erat, examine perpensis, primo quidem praefati Iacobi Patriarchae depositionem iniustam et omnino nullam, postmodum vero etiam patriarchatus renunciationem seu dimissionem ab eo subinde factam similiter nullam inanem ac irritam declaravit, adeoque ipsum Patriarcham pristinae bonae famae et personali existimationi restituit, et ad possessionem vel quasi possessionem patriarchatus eiusque sedis, a qua per summam iniuriam ac violentiam deturbatus fuit, nec non plenariae suae iurisdictionis omniumque iurium patriarchalium, amoto exinde quovis illicito detentore, amplissime redintegravit. Cumque his ita constitutis ad Urbem nuperrime venerit dilectus filius Andreas Scandar Simonucci sacerdos Maronita, a ven. fratre Archiepiscopo Raifunensi allegatus, ac plures exhibuerit literas et documenta contra praefatum Iacobum Patriarcham, iis etiam novis iuribus in Congregatione habita die XIX. labentis mensis iunii mature discussis et expensis, ea nullius ponderis vel momenti esse existimavit, adeoque in priori sententia permansit, quemadmodum ex litteris ab eadem Congregatione ad vos perscriptis pluribusque decretis ea de re editis ac a nobis usquequaque probatis, quorum authentica exempla cum praedictis literis ad vos afferentur, uberius percipietis. Cum itaque causa finita sit, vestrum modo est, ven. fratres dilecti filii, nostris ac eiusdem S. Sedis definitionibus prompto libentique animo morem gerere et acquiescere, praedictum Iacobum Patriarcham ut verum et legitimum Antistitem vestrum animarumque vestrarum pastorem agnoscere, illi debitam obedientiam, subiectionem et reverentiam praestare, ac cetera demum omnia incunctanter exequi, quae in memoratis decretis ad illius favorem constituta fuisse perspicietis. Id autem nos non tam enixe a vobis petimus, quam speramus; certi

(1) Epist. et Brev. select. tom. II., pag. 320.

enim sumus vos nullo modo commissuros esse, ut egregium ac tot tantisque olim documentis testatum vestrum in Apostolicam Sedem obsequium, quod prae omnibus orientalibus nationibus incorruptum hactenus et inviolatum, non sine praecipua nominis vestri gloria, custodistis, hac potissimum occasione desideretur, qua, si unquam alias, palam a vobis ac luculenter exhiberi non modo aequum, sed etiam necessarium, est; ut scilicet sublatis, quae inimicus homo superseminavit zizaniis, quaeque posuerunt vos opprobrium vicinis vestris, subsannationem et derisum his qui in circuitu vestro sunt, optata tandem vobis tranquillitas restituatur, animique vestri pristino mutuae caritatis glutino coniungantur. Quod ubi contingat, nedum ingentem vobis ipsis apud posteros quoque laudem, verum etiam gravi, quam ea de re merito suscepimus, sollicitudini solatium plane maximum comparabitis, pontificiamque voluntatem arctius etiam vobis obstringetis, ven. fratres, dilecti filii, quibus interim eiusdem paternae nostrae benevolentiae testem apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX. iunii MDCCXIII., pontificatus nostri anno XIII.

XVI.

Concedit omnia privilegia Congregationum Ordinis Sancti Benedicti Congregationi monachorum Bohemiae illiusque membris in Moravia et Silesia (1).

CLEMENS PP. XI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, religiosos viros sub suavi monasticae vitae iugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentes, ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Petitio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Otthmarus, abbas monasterii Bizeunoviensis, Ordinis sancti Benedicti, in regno Bohemiae, Sedi Apostolicae (ut asseritur) immediate subiecti, quod ipse (qui, ut asserit, inter alias praerogativas quibus ex privilegio apostolico gaudet, caput et magister in correctione et reformatione regularis disciplinae super omnia claustra dicti Ordinis in praedicto regno existentia existit) tam sibi eiusque successoribus, quam toti Congregationi, monasteriis et locis praedicti regni eiusdem Ordinis eius correctioni et reformationi subiectis, ut praefertur, necnon filiabus praeposituris, prioratibus seu monasteriis eidem monasterio Bizeunoviensi in eadem Bohemia ac Kan-Gradensi in Moravia et Waldstediensi in Silesia existentibus, aliisque praedictae Congregationi in futurum uniendis, illorumque praesidentibus, visitatoribus, abbatibus, monachis et personis praesentibus et futuris, omnes et singulas gratias, tam spirituales quam temporales, variis congregationibus et monasteriis concessas, omniaque et singula alia privilegia, quibus Congregatio Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, eiusque praesidentes, visitatores, abbates, superiores et monachi ac personae quaecumque fruuntur et gaudent, nullo prorsus excepto privilegio, etiamsi specialem requireret mentionem, firmisque remanentibus reliquis iuribus et privilegiis a praedicto capite Bizeunoviensis monasterii in dicta Congregatione Bohemiae eiusque monasteriis ab immemorabili tempore possessis, a nobis communicari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio praedicta sine praeiudicio propriorum privilegiorum dictae Congregat.

§ 2. Nos igitur, Congregationem primodictam, quam peculiari paternae caritatis affectu prosequimur, ipsumque Otthmarum abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum

---

(1) Innocentii XII. const. ed. MDCXCIX., die XXIV. septembris, pontificatus IX., Benedictinis in Austria concessae fuere gratiae spirituales Congregationis Cassinensis; eaedem conceduntur Congregationi Augustanae a Benedicto XIII. const. ed. MDCCXXV., die IV. maii, pontificatus I., et Congregationi in Bohemia, const. ed. MDCCXXVIII., die VII. octobris, pontificatus V.

praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem dictae Congregationis Cassinensis super praemissis audiverunt, consilio, memoratae Congregationi Bohemiae monachorum Ordinis sancti Benedicti, eiusque abbati praesidenti, aliisque abbatibus, monasteriis, monachis ceterisque personis dictae Congregationis illiusque membris, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, indultis aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus potiuntur et gaudent Congregationes Cassinensis et aliae dicti Ordinis Sancti Benedicti, potiri et gaudere possint, sine praeiudicio tamen aliorum privilegiorum eidem Congregationi Bohemiae a Sede Apostolica, sicut praemittitur, alias concessorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, iuxta petita, concedimus et indulgemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bohemiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personaè in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. octobris MDCCXIV., pontificatus nostri an. XIV.

XVII.

Mentione facta de Ablegati sui missione, Patriarchae Maronitarum facultatem concedit indicendi synodum provincialem, si Ablegatus concordiam inducere nequiverit, in qua synodo controversia inter duos Praesules orta expendatur, his tamen reservata appellatione etiam in suspensivo ad Sedem Apostolicam (1).

Venerabili fratri Petro Iacobo, Patriarchae Maronitarum,

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod pastoralis officii ratio nos admonet, et paternae insuper nostrae erga istam rationem caritatis magnitudo a nobis postulat, maxime anxii atque solliciti sumus, ut perniciosa inter illius clerum et populum exorta dissidia quantocius componantur, ac prorsus e medio tollantur. Hoc itaque consilio istuc mittimus dilectum filium religiosum virum Gabrielem Eva monachum congregationis Reformatae S. Antonii Abbatis expresse professum, cuius perspecto zelo, prudentia, integritate rerumque vestrarum usu factum iri confidimus, ut dissidentes animi

(1) Epist. et Brev. select. tom. II., pag. 789.

ad exoptatam ac tantopere necessariam concordiam adducantur. Ubi vero secus acciderit et nos concepta spe frustraremur, expedire censemus, ut de tota re in provinciali synodo decernatur. Quapropter apostolica auctoritate per has nostras litteras fraternitati tuae amplam tribuimus facultatem desuper indicendi et congregandi synodum omnium et singulorum istius nationis Archiepiscoporum et Episcoporum, eidemque synodo etiam antedictum Allegatum nostrum et nonnullos alios religiosos viros ab ipso iuxta mentem nostram nominandos interesse et suffragari volumus. Hac porro in synodo, cui Fraternitas tua, ut par est, praesidere debebit, potissimam discordiae causam et originem, controversias nimirum inter ven. fratrem Simonem Episcopum Damascenum ex una, et ven. pariter fratrem Abdallam Episcopum Berytensem ex altera partibus excitatas proponi, rite ac ordine discuti, libratisque rationum momentis, quemadmodum iuris fuerit, definiri ac terminari mandamus. Illi tamen parti, quae synodi iudicio succubuerit, ad hanc S. ac supremam Apostolicam Sedem provocandi et appellandi, si velit ad utrumque effectum, suspensivum scilicet ac devolutivum, facultatem expresse reservamus ac reservatam esse decernimus et declaramus. Tuae igitur filialis devotionis erit curare atque efficere, ut nostra in eiusmodi re voluntas debitae executioni demandetur, dum nos pontificiae benevolentiae pignus apostolicam nostram benedictionem fraternitati tuae permanenter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. ianuarii MDCCXXI., pontif. nostri anno XXI.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

An. C. 1721

I.

Commendat Carolum Ambrosium Mediobarbam Patriar. Alexandrinum Apostolicae Sedis Legatum in Sinis.

Illustri ac potentissimo utriusque Tartariae et Sinarum Imperatori,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Illustris ac potentissime Imperator, salutem et lumen divinae gratiae.

Cum non ignoremus, summis ubique terrarum, et in nostra praesertim Europa, laudibus extolli incomparabilem magnanimitatem et praestantissimas excelsi animi tui dotes, omniumque sermone celebrari prae ceteris insignia. beneficia, quibus solo benignissimae tuae indolis instinctu missionarios europaeos ornavisti; statim ac ad apostolatus apicem, imperscrutabili divinae providentiae iudicio, sumus evecti, aequum ac decens existimavimus, hisce te literis certiorem reddere de nostra ad summum pontificatum exaltatione non tam ut praeclaro aliquo documento abunde testatum habere possis, quanti inclytam dignitatem potentiamque tuam faciamus, quam ut ingens explicemus desiderium nostrum demerendi animum tuum, illiusque benevolentiae constantiam, quae pro egregia tua animi magnitudine tibi hactenus cum Romano Pontifice intercessit. Porro sanctae memoriae Clemens Papa XI. praedecessor noster, divina caritate ipsum admonente, flagrans desiderio in dies magis stabiliendi tecum firmandique perfectae amicitiae nexum, nec non tranquillam et sinceram pacem inter missionarios nostros conciliandi, ita ut ob nonnullorum ex ipsis varietatem opinionum ne minima quidem in amplissimo et florentissimo imperio tuo suboriri posset perturbatio animorumque dissentio; suum et Apostolicae Sedis Legatum ad te misit venerabilem fratrem Carolum Ambrosium Mediobarbam Patriarcham Alexandrinum, hominem non tam generis praerogativa conspicuum, quam virtutibus atque animi dotibus insignem; eique comites adiunxit plures bonarum artium et scientiarum peritia excellentes viros. Hunc quidem Legatum, ut partes superioris et visitatoris missionum in toto amplissimo imperio tuo susciperet et obiret, pontificiae mentis interpretem constituit ad hoc, ut sedulo atque fideliter tibi exponeret penitiora animi sui sensa, et semper paratam voluntatem, quoad sibi licuisset, obsecundandi votis tuis: causas itidem et rationes patefaceret, quae ad eius generis legationem decernendam ipsum impulerunt, nec non alia permulta, quae in eiusdem literis die XXX. sept. MDCCXIX. (1) perscriptis, et ipsimet Legato traditis, ut eas ad te perferret, latius continentur. Sicuti autem eiusmodi literas, quarum tenori plane atque integre etiam ipsi subscribimus, iam multo pridem ab eo tibi redditas fuisse arbitramur; ita quoque nobis pollicemur, te, pro inclyta generosissimi cordis tui magnanimitate, non solum splendide et honorifice ipsum accepisse, benignam ei aurem praebendo in iis, quae pontificio nomine tibi dudum exposuit, verum etiam liberam ei indulsisse facultatem implendi suae legationis munia: quae omnia in unum potissimi ac maximi momenti scopum collineant, felicitatem videlicet sempiternam animarum. Ut autem ilius res ita se habere confidamus, facile suadent, quae nuper nunciata sunt, tum de prospero eius itinere, tum de humanitatis officiis et praecipuis honorum significationibus, quibus, sive Amacaum sive Cattigaram advenientem, ipsum prosequuti sunt administri tui; accomodantes insuper eidem omnibus de rebus peculiari cum generositate, ut quanto ocius istuc properaret. Haec autem omnia ex perenni adeo magnanimae illius, quae apud omnes orbis nationes merito laudum praeconio effertur, beneficentiae fonte pro-

(1) *Alias nostris in simili,* Iuris P. vol. II., pag. 332.

fluxisse noscuntur, cuius causa tibi quam maxime sinceram et singularem gratiam habemus, atque plurimum debere profitemur. Nunc itaque invicti animi tui sublimitati per praesentes nostras literas significamus, nos eadem mente, qua saepe laudatus praedecessor noster, confirmare omni ex parte legationem praedicti ven. fratris Patriarchae Alexandrini, quem eximiae mentis tuae aequitati satisfecisse existimamus: atque adeo *ratum* habemus, quicquid is *ex praescripto aut egit, aut acturus est*. Etenim etiam nos, donec nova de nobis ad eum perferantur mandata, constituimus et declaramus nostrum et Apostolicae Sedis Legatum eumdem Patriarcham ad exercendum munus, eius vigilantiae commissum a gloriosissimo praedecessore nostro. Quamobrem etiam atque etiam a te petimus, ut eamdem ipsi fidem adhibeas, quam nobis coram loquentibus adhiberes, et supremae auctoritatis tuae patrocinio ei praesto sis, ac benigne suffrageris, ubi opus fuerit, in iis, quae ad concreditum sibi ministerium rite obeundum pertinent, praeclaro hoc facto nostram erga te animi propensionem eximiamque voluntatem arctissimis adeo vinculis obstringens, ut nullum maius summae clementiae atque excelsae benignitatis tuae testimonium requirere valeamus. Neque tamen omittimus impense tibi commendare incolumitatem christianae fidei ac legis et eiusdem praecones missionarios nostros, qui in tuis felicissimis ditionibus degunt. Consueta tua benevolentia respice in eos, tamquam in pignora mutuae nostrae ac sincerae amicitiae: et a quibusvis molestiis exime homines, praesidio tuo dignissimos. De quibus hoc tibi polliceri possumus, neminem tibi fideliorem et addictiorem fore, tuaque ad obsequia quocumque tempore paratiorem iisdem europaeis christianis, atque illis praesertim, qui ad evangelicam veritatem annunciandam de nobis proficiscuntur. Hoc enim potissimum et ab ipsa, quam profitentur, lege, et a nobis etiam diserte strictissimeque illis iniungitur atque mandatur. Quod superest, omnipotentem Deum assiduis enixisque precibus rogamus, ut diuturnam vitam ac sospitatem bonorumque omnium incrementa tibi, illustris ac potentissime Imperator, effuse largiatur: in primis vero te suae gratiae suavissimo rore perfundat, quatenus per agnitionem veritatis ad perpetuam felicitatem pervenias.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. octobris MDCCXXI., pontificatus nostri anno I.

II.

Gratulatur Episcopo Macaensi de reditu ad Ecclesiam per absolutionem et dispensationem a Visitatore Apostolico obtentam, eumque hortatur, ut in gregis sui cultum et religionis incrementum alacriter intendat (1).

Venerabili fratri Ioanni Episcopo Macaensi,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Lectis fraternitatis tuae literis, quas ven. frater Carolus Ambrosius Patriarcha Alexandrinus S. huius Sedis Legatus ad fel. rec. Clementem XI. praedecessorem nostrum direxerat una cum insigni testimonio optatissimae resipiscentiae tuae, mirum in modum laetati sumus, intelligentes te, admissorum excessuum dolore tactum, non solum certa poenitentiae signa dedisse coram eodem Legato, verum etiam ab eo humiliter postulasse, ut ab excommunicationis in te lata sententia te absolveret, et super irregularitate, quam propter sacrorum exercitium in eo statu contraxeras, tecum dispensaret, quam absolutionem et dispensationem ille tibi pontificio nomine misericorditer impertiri non dubitavit. Ratum proinde habentes quidquid in apostolica auctoritate tecum gessisse nunciavit, paterno animo tibi gratulamur, et misericordiarum Patri humiliter gratias agimus, qui tibi dedit excutere laqueum divisionis quo tenebaris: neque ambigimus, quin, memoria repetens illam angustiae atque acerbissimi luctus plenam conditionem, non didiceris experimento, eum, qui nobiscum non colligit, dispergere. Equidem sicuti nullum maius laetitiae argumentum nobis obvenire potest, quam ovem, quae perierat, invenire, eamque ad salutaria pabula ul-

(1) Ex Reg. Vatic. Epist. ad princ. viros et alios an. I., fol. 92.

tro reducem excipere, ita omnem verborum explicationem superat plenitudo gaudii, quod in ipsis Pontificatus nostri primordiis ad nos pervenit ex tuo ad centrum unitatis nostramque communionem alacri et spontaneo reditu, quem piissimus praedecessor noster tot votis expetierat. Nunc vero, cum in salutis portum te receperis nosque vicissim te lucrati simus, quid potissimum praestolemur, intelligis. Decet enim te in ista tuae vigilantiae commissa ecclesia esse strenuum laborum nostrorum socium pro divini cultus propagatione. Omnia autem a te praestitum iri abunde pollicetur eximia illa, quam prae te fers, huic Sedi obsecundandi voluntas, eamque sinceram esse et in bono proposito perseveraturam atque assiduis praestantibusque filialis observantiae documentis in dies confirmandam confidimus. Tuae itaque partes erunt summa fide hoc perficere, ut praeconceptae a nobis de te opinioni accurate respondeas: totusque in eo sis, ut omni conatu ac studio, quem Deo et Ecclesiae debes, zelum explices in orthodoxae Religionis incrementum ac munimen. Nos quidem pontificiae caritatis officiis nunquam deerimus fraternitati tuae, cui uberes divinae gratiae fructus ex animo precamur, et apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. octobris MDCCXXI., pontificatus nostri anno I.

III.

Laetitiam suam exprimit Episcopo Mirdui, quod unionem cum Ecclesia Romana inierit, eumque perseverare docens, monet officii episcopalis esse amplificare inter suos eiusdem Ecclesiae fines (1).

Venerabili fratri Mardiro Tucmanian Episcopo Mirdui,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ubi a ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis de Propaganda Fide praepositis accepimus, fraternitatem tuam, benedicente Domino, respexisse ad Petram unde excisus fueras, et in salutis portum, hoc est, Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris ac magistrae unitatem, te recepisse, exultavimus laetitia inenarrabili, et, quantum infirmitati nostrae conceditur, debitas laudes et gratias egimus Patri misericordiarum et Deo totius consolationis, eumque rogavimus ut, quemadmodum ex Apostolatus nostri debito voluit nos non solum agnos et oves ad salutaria pascua deducere, verum et fratres confirmare, ita nunc, operi manuum suarum porrigens dexteram, tribuat tibi perseverantem in bono proposito voluntatem, quatenus a nostra et huius Sedis communione nunquam divellaris. Nos certe paterna nostra caritate te tamquam filium christianae pacis amplectimur, et apostolicae benignitatis, ubi usus ferat, desiderari non sinemus testimonia. Quoniam vero crediti tibi muneris ratio postulat, ut in procuranda commissarum tibi animarum salute una nobiscum adlabores, dignum gradu tuo zelum requirimus ac monemus, ut omnia vigilis ac strenui pastoris munia adimplenda cures, orthodoxaeque religionis, extra quam nulla est salus, incrementa pro viribus promoveas. Nihil enim vel efficacius rogandus a nobis es, vel gratius a te praestari potest ad demerendum in dies magis animum nostrum, cuius interim pignus apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXI. augusti MDCCXXII., pontificatus nostri anno II.

IV.

Gratias agit Imperatori Sinarum ob propensionem qua missionarios a sexaginta annis prosequitur. Dolet, quod ei grata non fuerint decreta apostolica iam promulgata: sperat tamen id non impediturum, quominus catholici obtemperare possint legi suae religionis, cuius custodia regibus subiectionem et devotionem subditorum apprime conciliat (2).

(1) Ex Reg. Vat. an. II., fol. 175. — (2) Ex Reg. Ep. ad Principes et alios.

Illustri ac potentissimo utriusque Tartariae et Sinarum Imperatori,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Illustris ac potentissime Imperator, salutem et lumen divinae gratiae.

Postquam inexplicabili altissimae providentiae consilio, nullis meritis nostris, ad supremum Apostolatus fastigium evecti sumus, pro impositi muneris officio, universas terras, per quas sensim lux evangelica diffunditur, assidue circumspicientes, praecipua quadam cogitatione et cura mentis oculos in amplissimum tuum ac celebratissimum imperium defiximus; cum enim pridem, non solum virtutes tuas quas Orienti concinens Europa suscipit, verum etiam summa tua merita in christianae legis ministros, qui iam a sexaginta et amplius annis tutela tua perfruuntur, nostras ad aures fama retulisset, nihil antiquius nobis et potius esse duximus oportere, quam ut tibi de tantis laudibus gratularemur, et pro singulari tua in europaeos nostros clementia uberes ex animo gratias ageremus. Hoc vero grati et memoris animi testimonio literis iis perfuncti sumus, quibus te de nostra ad summum pontificatum exaltatione certiorem fecimus, simul et quia sa. mem. Clemens XI. decessor noster suum et Apostolicae Sedis Legatum ad te miserat ven. fratrem Carolum Ambrosium Mediobarbam Patriarcham Alexandrinum, ut tecum eiusdem Sedis Apostolicae perfectam amicitiam stabiliret magis ac magis, et ortas inter missionarios nostros opinionum varietate perturbationes quasdam sedaret penitus atque comprimeret, hunc ipsum, iisdem nostris literis, nostrum et praefatae Apostolicae Sedis Legatum constituimus et declaravimus, rursum illi iniungentes, ut nomine nostro honoris omne genus tibi offerret, et, quantum in ipso foret, excellentem animum tuum demereri ac devincire conaretur: verum recentissime, quid ad nostras illas literas, per antedictum Legatum nostrum, uti sperabamus, exhibendas, responsurus esses expectantibus, ipsemet Legatus redux ex tuis florentissimis ditionibus, novas nobis et gaudii et grati memorisque animi significandi causas attulit, dum, quae vidit, quae audivit, narrat, existimationem de te honorificentissimam excitans, et, quod summo loco habemus, pretiosa magnificae beneficentiae tuae pignora nobis offerens in tredecim uniunculis, quos, ereptos universo navis, qua vehebatur, incendio, servavit incolumes. Reliqua egregiae tuae erga praedecessorem nostrum et Sedem Apostolicam benevolentiae monumenta ignis absumpsit; nec ideo tamen minus testata manebit eximia tua voluntas, omnibus donis longe pretiosior, cuius recordationem apud nos nulla diuturnitas temporum oblivione deletura est. Haec autem quantacumque sint, maiora adhuc et luculentiora generosi atque erga S. Sedem humanissimi animi tui argumenta ex Patriarchae Alexandrini verbis intelligere licuit, qui peramplas provincias tuas peragrans, non secus ac in aula tua magnificentissima, regiam ubique liberalitatem tuam est expertus. Desiderabat ipse tot tantisque tibi devinctus favoribus apud te permanere, quem praestantissimo ingenio, non vulgari sapientia, bonitate, affabilitate praecellentem nobis exhibet, maiorem denique fama tua; et re ipsa permansisset, nisi eum urgentissimae, quas nobis exposuit, difficultates, ad reditum compulissent. Id vero tanto dolemus magis, quod in his pontificatus nostri summe arduis primordiis, dum rem catholicam, pastorali nostrae sollicitudini ex alto commissam, per omnia regna conservare et promovere nitimur, sub gravissimorum negociorum pondere laborantibus, rursus ad istas partes Apostolicam Legationem instaurare non adeo nobis expeditum et facile sit. Neque tamen idcirco expertae toties benignitati tuae diffidendum putamus: et quamvis Patriarcha Alexandrinus, quae a decessore nostro glor. mem. in mandatis habebat, non eo successu excelsae menti tuae exposuerit, quem sperare fas erat, quod non sine intimo moeroris sensu accipere potuimus; nihilominus ab aequitate summa tua nos confidimus impetraturos, ut, qui versantur in tuis felicissimis regionibus, europaeos potentissimo tuo patrocinio tueri ac fovere pergas; itemque subditos tuos christianae cultores legis ea Deo servire, quae maxime Deo placeat, ratione patiaris: subditos quidem tanto magis futuros tibi devotos ac fidos, quanto melius et purius Deo praestabunt fidem; europaeos autem, homines tibi addictos et obstrictos, qui patriam resque sibi gratissimas sponte et alacriter reliquerunt, ac formidanda Oceani discrimina

contempsere, ut in tui et populorum tuorum obsequium, ad curandam aeternam animarum salutem, aetatem consumerent, vires exhaurirent, ac vitam ipsam, cum foret necesse, profunderent, eos habeto eodem loco, quo nos habere vellemus aliquem ex tuis, si hunc forte tua iussa romanas res et divini cultus maiestatem in arce fidei contemplaturum ad hanc aulam nostram adducerent. Ex tot tuis praeclare gestis nullum est tua in exteros benignitate, ad nominis quaqua versum commendationem, illustrius; nullum vero nova hac clementia, ex qua innumerabilium fere hominum sempiterna felicitas pendet, posteritati diuturnius nomen commendabit tuum. Haec eadem denique clementia bonorum omnium fontem tibi conciliabit omnipotentem Deum, cuius uberrimis illustratus luminibus ad plenam et absolutam veritatis agnitionem pervenias, perpetuis enixisque precibus eidem supplicare minime desistemus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. septembris MDCCXXIII., pontif. nostri an. III.

V.

***Enarrato Romanorum Imperatori novo edicto, quo sacerdotes Hiberni ad detestabile iusiurandum adiguntur sub exilii poena, aut etiam capitis, nisi statim exulatum abeant, et laicis infligitur bonorum iactura si illos hospitio exceperint, eius praesidium petit, ne a suprema regni curia edictum illud ratum habeatur* (1).**

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum catholico, necnon Hungariae et Bohemiae regi illustri in Romanorum Imperatorem electo,

INNOCENTIUS PP. XIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Perculit animum nostrum gravissimaque implevit amaritudine luctuosa calamitas, in qua iterum versari audivimus catholicae fidei cultores in insula Hiberniae ex novi cuiusdam edicti promulgatione, quo illud intenditur, ut auctoritate publica orthodoxae religionis vestigia et ipsum sacrosanctae Romanae Ecclesiae nomen in ea, quae iampridem Sanctorum insula dicebatur, nunc demum penitus aboleantur. In eo siquidem ad praestandum detestabile atque enorme iusiurandum, alias elapsis quoque annis ab acatholico magistratu propositum, ita adiguntur quotquot sunt ex ordine sacerdotali, ut si, quemadmodum pietas et religio postulant, id facere detrectaverint, exilii poenas luant, et damnati capite denuncientur nisi statim exulatum abeant; laicis vero, qui vel unam tantum diem iis perfugium pararint eosve apud se receperint, bonorum omnium iactura et publicatio indicitur. Nefariis porro hisce coeptis divinae aeque ac humana iura violantur, et Limbricenses pactiones infringuntur, prout ven. frater Hieronymus Archiepiscopus Edessae S. huius Sedis apud maiestatem tuam Nuncius fusius exponet. Quamobrem nos immani huius persecutionis acerbitate vehementer commoti, ex Apostolatus nostri debito compellimur opportunam illis opem ac levamen ab excelsa christianorum principum bonitate paternis vocibus implorare. Sicuti autem non dubitamus quin insignis et avita maiestatis tuae pietas ultro parata sit eorum patrocinium suscipere, ita praetermittere non possumus, quin te etiam atque etiam rogemus, ut inclytae auctoritatis praesidio a praesenti discrimine eosdem liberandos cures. Obtestamur itaque et obsecramus insignem tuum religionis zelum, *ut digna Ecclesiae Advocato* alacritate des quam celerrime in mandatis tuo apud Londini aulam oratori, qui omni officiorum genere agat, ne supra enunciatum edictum a suprema regni illius curia ratum habeatur, sed retractetur potius et rescindatur. Erit id quidem tibi, carissime in Christo fili noster, immenso apud Altissimum merito, cuius causam tutatus fueris, et a quo uberem perennium benedictionum gratiam maiestati tuae enixe precamur, et apostolicam nostram cum assiduae felicitatis voto coniunctam amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. decembris MDCCXXIII., pontif. nostri anno III.

(1) Ex eodem Reg. Vat. fol. 263.

N. B. Eiusdem exempli literae datae sunt etiam

Regi Christianissimo,

Regi Catholico,

Regi Portugalliae, mutatis verbis lineatis, ut infra:

Regi Christianissimo - *Bartholomaeus Archiepiscopus Athenarum.*

Regi Catholico - *Alexander Archiepiscopus Rhodiensis.*

Regi Portugalliae - *Iosephus Archiepiscopus Nicaenus.*

Regi Christianissimo - *ut Rege Christianissimo et filio Ecclesiae Primogenito digna alacritate.*

Regi Catholico - *ut Rege Catholico atque excelsis Maiorum tuorum laudabilis digna alacritate.*

Regi Portugalliae - *ut consueta excelsi animi tui alacritate.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

An. C. 1725

I.

Irritam et illicitam declarat electionem et consecrationem Cornelii Steenoven in Ep. Ultraiectinum in Belgio.

Dilectis filiis universis catholicis in Foederato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Qua sollicitudine ad animarum vestrarum salutem haec Sancta Sedes advigilet, quove studio curet et nitatur, ut adversus insidias diaboli nulla vobis desint sanae doctrinae, salutaris disciplinae et vigilantiae pastoralis praesidia, iam assiduis hactenus argumentis exploratum vobis esse non dubitamus. Haec ipsa tamen doloris acerbitas, qua gemitus nostros ad vos deferre, moerorisque causas iteratis questubus replicare, et recentibus scandalis obviam ire compellimur, novum vobis nec obscurum esse debet paternae nostrae caritatis testimonium. Nostis autem, dilecti filii, quibus artibus pravae doctrinae semina spargere molientes dissensionis filii, non solum catholico nomine, sed pastoralium etiam munerum inducta larva, et confictis ecclesiastici ministerii titulis abutentes, ad animarum curam et sacramenta administranda obrepere aut irrumpere tentaverint. Sed superbia eorum, quae ascendit semper, eo demum temeritatis evasit, ut, postquam a septem clericis, qui canonicorum nomen iactabant Ultraiectini capituli (quod iam ante annos ab hinc plures supra centum intercidit) perperam ac temere facta fuit die XXVII. mensis aprilis a. MDCCXXIII. electio Cornelii Steenoven, turbulentae factionis antesignani et ecclesiasticis censuris obstricti, in Archiepiscopum Ultraiectinum, quamquam ab hac Sancta Sede reiectam eiusmodi electionem certo et palam rescivissent, curaverint tamen atque effecerint, ut eidem Cornelio die XV. mensis octobris an. MDCCXXIV., apostolica auctoritate et sacrorum Canonum contemptis regulis, per detestabilem ac sacrilegam manuum impositionem episcopalis consecrationis munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus ulla pravitate vacarent, consecratio peracta est a Dominico Maria Varlet Episcopo Babylonensi iam ab exercitio episcopalis ordinis suspenso, eius suspensione per literas sacri Cardinalium Collegii apud vos typis impressas publice denunciata; sed ad haec inde etiam cumulus perversitatis accessit, quod memoratus Episcopus Babylonensis, minime assistentibus ex praescripto sacrorum Canonum duobus aliis Episcopis, nullaque apostolica dispensatione suffultus, solus antedictum Cornelium consecrare ausus fuerit. Ut igitur pro nostrae servitutis officio opportuna remedia tantis scandalis adhibeamus, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, tam electionem eiusdem Cornelii in Archiepiscopum Ultraiectinum fuisse irritam ac prorsus nullam, quam eius consecrationem fuisse omnino illicitam et execrandam; ac proinde ipsum temere nulloque iure electum Cornelium omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratum ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspensum. Mandamus propterea districteque interdicimus memorato Cornelio sub poena excommunicationis, ipso facto, sine alia declaratione, incurrendae, ne audeat pastores, missionarios, ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam et Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus et declaramus, omnes et singulas praedictorum officiorum deputationes pro animarum regimine, quocumque nomine factas aut fortasse faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse ac nullius roboris et momenti. Rursus eidem Cornelio praecipimus et inhibemus, ne sub simili excommunicationis poena audeat illicite Sacramentum Confirmationis aut Ordines conferre, aut quoquo pacto ordinem episcopalem, a

quo suspensus est, exercere. Vobis autem, dilecti filii, graviter iniungimus ac vetamus, ne antedictum Cornelium pro vero Archiepiscopo Ultraiectino habeatis et agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, praesertim in divinis, communicetis; aut ab ipso vel ab aliis, per ipsum perperam et inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim qui Ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum atque irregularitati praeterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiae fideique vestrae officia respondeant. Nullum enim iucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, vos caute ambulantes, non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi et domum aedificare supra firmam petram. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem, quam coelestis presidii pignus atque adversus potestates tenebrarum arma et scutum esse optamus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI. febr. MDCCXXV., pontificatus nostri anno I.

II.

Electionem Cornelii Barckman in Archiepiscopum Ultraiectinum damnat uti electionem et consecrationem Cornelii Steenoven damnavit etc.

Dilectis filiis universis catholicis in Foederato Belgio commorantibus,

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Novis istic in dies per paucorum clericorum contumaciam erumpentibus scandalis, novisque saluti vestrae intentatis periculis, iterum ad vos paterni doloris et sollicitudinis voces gemitusque convertimus; ne remissior ad custodiendum gregem esse videatur vigilantia Pastoris, quam diabolica malignitas ad perdendum. Eo autem acriori sensu acerbitatis ruinam caecitatemque factiosorum deflemus ac detestamur, quo pugnacius pergunt, non modo apostolicis, sed divinis etiam animadversionibus obluctari. Non enim vobis latet quidquid ad avertenda et emendanda perversitatis exempla contra sanam doctrinam disciplinamque canonicam istic suborta ediximus ac gessimus, irritam praesertim electionem et sacrilegam consecrationem Cornelii Steenoven declarantes ac reiicientes, eumque ecclesiasticis censuris, per datas die vigesimaprima mensis februarii proxime elapsi in forma brevis literas, ab omni iurisdictione arripienda et pontificalibus exercendis prohibentes ac deterrentes. Filiis tamen dissensionis obturantibus aures suas, Deus terribilis et fortis, quem illi per nos, licet immeritos, loquentem audire noluerunt, et quem, spreta nostra auctoritate, spreverunt, extendit manum suam, ut errantes per ostensionem virtutis suae a viis pessimis revocaret. Nam literis nostris die decimaseptima mensis martii apud vos evulgatis, cum idem Cornelius in sua pervicacia obfirmatus sacrilega manu Sacramentum Confirmationis palam administrare Ordinesque conferre non formidasset, lethali morbo correptus brevique consumptus ad tremendum Christi iudicium reddendamque tot malorum turbarumque rationem, die tertia mensis aprilis evocatus est. Eo quidem metu concussos damnatae factionis clericos ad cor redituros sperabamus; cum praesertim, anni spatio nondum exacto, tam antedictus Cornelius, quam presbyter Iacobus Krys, qui vehementior prae ceteris auctor fuerat sacrilegae consecrationis, et Laicus Doukers, in cuius aedibus illa peracta erat, nullo edito salutaris poenitentiae signo, in sua vere damnabili inobedientia mortem obiissent. Sed poenalis illorum caecitas conceptam a nobis fiduciam elusit, et, Domino etiam visitante in virga iniquitates eorum, apposuerunt adhuc peccare ei. Etenim (quod non sine intimo paterni cordis dolore nuper accepimus) iidem incredulitatis filii a tot vere orthodoxis nobisque et Sanctae Romanae Ecclesiae in unitate fidei per foederatum Belgium obsequentibus diffidentes, Lugduni Batavorum iterum convenerunt, atque, inani canonicorum Ultraiectinorum titulo temere assumpto, die decimaseptima eiusdem mensis aprilis, clericum suarum partium suaeque pertinaciae consortem Cornelium Barckman Archiepiscopum Ul-

traiectinum pari temeritate consilii ac iudicii perversitate eligere non erubuerunt.

Nos proinde adversus iteratam praeposterae invalidaeque electionis audaciam apostolicae auctoritatis officium renovantes, quemadmodum per superiores ad vos literas nostras electionem antedicti pseudoepiscopi Cornelii Steenoven reiecimus, ita novam quoque electionem memorati Barckman eadem auctoritate apostolica reiicimus, irritamque ac prorsus nullam fuisse et esse declaramus; eidemque perperam ac temere electo sub poena excommunicationis latae sententiae interdicimus, ne a quocumque Episcopo, etiamsi alias legitima auctoritate suffulto, Ordinem seu consecrationem episcopalem suscipere, neve ullo modo se pro Episcopo gerere, aut Ultraiectensis vel alterius cuiusvis cathedralis ecclesiae Antistitis titulo nominare praesumat. Atque insuper sub simili excommunicationis poena eidem inhibemus, ne iurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem facultatemve sibi arroget, aut pro suscipiendis Ordinibus dimissorias literas dare, aut pastores ac missionarios pro Sacramentis administrandis gerendaque animarum cura deputare et constituere audeat; quas nos literas et deputationes, si quae datae factaeque sint, aut in posterum dari fierique contingat, nullas et inanes esse ac fore decernimus. Praeterea venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos universos aliosque ecclesiarum superiores praelatos quoscumque serio admonemus, iisque sub canonicis poenis gravissime interdicimus, ne eidem Barckman ad episcopalem consecrationem sacrilegas manus imponant. Vobis denique, dilecti filii, praecipimus et mandamus, ne ulla ratione pseudoelectum eiusmodi pro vero Archiepiscopo et animarum pastore habeatis, quem potius ut alienum declinare, et tamquam huic Sanctae Sedi contumacem et sacris Canonibus mandatisque apostolicis refragantem aversari et vitare debetis. Paternis interea nostris monitis ac praeceptis vos ultro et alacriter audituros esse confidimus, cum animarum vestrarum pericula, quae nos discruciant, nulli debeant, quam vobis, maiorem curam et sollicitudinem afferre. Deum autem rogantes, ut respiciat de coelo et visitet vineam istam, atque operarios iniquitatis, qui eam demoliri contendunt, compescat et arceat, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. augusti MDCCXXV., pontificatus nostri an. II.

III.

Denuo damnat electionem Cornelii Ioannis Barkman, ipsum et fautores excommunicat etc.

Dilectis filiis universis catholicis in Foederato Belgio commorantibus,

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut animarum vestrarum saluti et tranquillitati consuleret atque ecclesiasticam apud vos concordiam unitatemque per paucos Ultraiectinos clericos nec apostolicae auctoritati, nec veritati acquiescentes perturbatam atque discissam restitueret ac resarciret, haec Sancta Sedes, fusis ad Deum precibus et lacrymis cunctisque benignitatis, patientiae et doctrinae experimentis, quod contractum erat, alligare semper curavit, et quod perierat, quaerere nunquam omisit. Sed dissensionis filii sollicitudinem amantissimae Matris sua pervicacia repellentes, omnia medicinae salutaris providaeque curationis remedia in suam ipsorum perniciem converterunt; et inde graviora ediderunt perversitatis exempla, unde a viis suis pessimis recedentes, emendare per poenitentiam, quae peccaverant, debuissent. Paternis siquidem vocibus fel. rec. Clementis Papae XI. praedecessoris nostri obturantes aures suas, nullo iure tituloque suffulti, non solum animarum curam temere arripere ac demandare perrexerunt, sed eo etiam progressi sunt, ut Cornelium Steenoven eligerent Ultraiectinum falsi nominis Archiepiscopum. Deinde vero cum fel. itidem record. praedecessor noster Innocentius Papa XIII. eorum audaciam aversatus praeposteram electionem promulgata sententia reiicere parasset; sacrum autem Cardinalium Collegium, vacante ob intervenientem eius obitum hac Sancta Sede, per literas ad Bruxellensem Inter-

nuntium datas, quae idem praedecessor noster constituerat, pro sui ministerii officio perfecisset, eosque a nefariis coeptis revocatum iri sperasset; nullo salutari metu coerceri potuerunt, quo minus pseudoepiscopo per execrabilem sacrorum Canonum contemtum sacrilegas manus imponi curarent, et suscepto facinori cumulum temeritatis adiicerent. Novis rursus hisce malis idonea apostolicae auctoritatis remedia non defuerunt. Literas enim ad vos dedimus die XXI. mensis februarii vergentis anni, quibus electionem omnino nullam eamque consecrationem sagrilegam declaravimus ac detestati sumus, Christique fidelium scandala, Ecclesiae detrimenta divinamque indignationem ob oculos ipsis ponere non praetermisimus; eo maiorem in spem mox ingressi, quod brevi antedictum Cornelium, nostra iudicia palam parvipendentem, Deus ultionum, Dominus perditarum ovium rationem repetiturus, morte multasset. Sed illos poenali caecitate de malis in mala ruentes, ad novam devenisse rescivimus electionem prorsus nullam et irritam, ac subinde ad sacrilegam itidem consecrationem Cornelii Ioannis Barckman suarum partium presbyteri, cui inanem Archiepiscopi Ultraiectini larvam imposuerunt. Pacis itaque consilia respuentes et sua pravitate praesidia salutis in venena vertentes, quibus ultra caritatis argumentis alliciamus aut animadversionibus excitemus? Insanabilem plane esse fracturam eorum ingemiscentes agnoscimus, atque id demum nobis superesse, ut catholicae Matris sinum dilacerare molientes, apostolica iudicia superbe oppugnantes atque huic Sanctae Sedi contumaci inobedientia apertaque defectione rebelles, cum ipsos ad sanam mentem reducere non possimus, saltem a laedendis aliis repellamus. In dolore igitur cordis nostri, quod apostolicae servitutis et canonicae providentiae ratio a nobis postulat, non solum electionem memorati Cornelii Ioannis Barckman inanem et omnino nullam eiusque consecrationem sacrilegam declaramus, reiicimus ac detestamur, sed et ipsum Cornelium Ioannem, et qui eum ementito canonicorum Ultraiectensium nomine elegerunt clerici, et qui sacrilegae consecrationi operam commodarunt, et quicumque iisdem adhaeserint, eorumque partes secuti opem, favorem, auxilium aut consensum praebuerint, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse declaramus, edicimus et mandamus.

Haec quidem vobis, dilecti filii, ex apostolatus quidem officio, sed in amaritudine animae tam sollicite graviterque denunciamus atque praescribimus, quam anxie paterneque salutem vestram quaerimus et curamus. Quae vos ea constantia studioque servaturos confidimus, quo debetis ad vitanda aeternae mortis pericula vigilare, diabolo insidianti resistere fortes in fide, atque in cathedra unitatis, doctrinaque veritatis consistere. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI. dec. MDCCXXV. pontificatus nostri anno II.

IV.

Statuit ministro Generali Capuccinorum competere facultatem erigendi ubique Tertium Ordinem S. Francisci eiusque professoribus scapulare cum cingulo conferendi.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ratio apostolici ministerii, nobis licet immeritis a Christo Domino iniuncti, exigit ut litigia et discordias, quae, humani generis hoste zizania superseminante, Ordines regulares, ad caelestium meditationem incumbentes, aliquando perturbant, omni cura evellere studeamus, ne Dei cultus in sacris viris frigescat, inque animis saecularium, qui eos inter se dissidentes conspiciunt, scandala propterea exoriantur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Nuper admodum in Tertiariis, *de Poenitentia* appellatis, sub regimine fratrum Minorum beati Francisci alias a regulari Observantia nuncupatorum viventibus, spirituale solatium et pietatis favorem augere studuimus apostolicis literis nostris, quae incipiunt *Paterna Sedis Apostolicae providentia*, Romae vulgatis anno Domini MDCCXXV., IV. idus decembris, pontificatus nostri anno II., quibus litteris immunitates, gratias, privilegia et indulta

ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus eisdem Tertiariis concessa renovavimus et confirmavimus, ut alacrius et sanctius Deo famulari pergerent. Sed postea, non sine admiratione atque animi nostri molestia, inde ortas altercationes audivimus, easdemque nostras literas, quae unos Tertiarios fratribus Minoribus a regulari Observantia nuncupatis subiectos respiciunt, contra mentem nostram ad alios Tertiarios, sub regula quidem B. Francisci Deo famulantes, sed speciali nota dignos, inque iisdem literis nostris minime nominatos aut comprehensos, perperam detortas fuisse intelleximus; qui sane Tertiarii fratribus Minoribus a regulari Observantia nuncupatis nullo modo subsunt; sed ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, a quo et ab eius secundariis ministris in rebus spiritualibus directi omnino dependent atque habitum religiosum accipiunt.

Confirmantur fratribus Capuccinis omnia iura conferendo scapulari et cingulo tertiariis sibi subiectis.

§ 2. Propterea huic errori et incomodo pro nostra auctoritate et sollicitudine prospicere cupientes, eorumdem fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, iura et privilegia, saepe in iudiciis contradictoriis coram venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consultationi de rebus Episcoporum et regularium praepositis plene discussa, pontificioque oraculo ac literis apostolicis a felicis recordationis Clemente Papa XI. antecessore nostro confirmata atque approbata, nos, praesentibus perpetuum robur imposterum habituris, post maturam deliberationem, motu proprio et ex certa scientia, ad tollendas quascumque discordias, iterum munimus et approbamus, confirmantes omnia iura, immunitates, facultates, praerogativas, gratias, indulta et privilegia ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, competentia in conferendo eodem scapulari et cingulo Tertiariis sibi subiectis, quae omnia ei olim fuerunt adiudicata, eiusdemque Clementis Papae XI. literis confirmata, quarum tenor est:

CLEMENS PP. XI.

ad futuram rei memoriam.

Affertur Clementis XI hac re constitutio.

Emanarunt nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium, negociis et consultationibus Episcoporum et regularium praeposita, ad favorem dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, regni Sardiniae, tria decreta, videlicet:

Decreta tria Congr. Episcoporum et Regularium quae declarant competere Capuccinis praedictam facultatem.

In causa vertente inter PP. Minores Capuccinos regni Sardiniae ex una, et PP. Minores de Observantia eiusdem regni, seu, etc., partibus ex altera, de et super infrascripto dubio, nempe an patribus Capuccinis regni Sardiniae liceat dispensare seu distribuere habitum seu scapulare parvum cum cingulo S. Francisci saecularibus utriusque sexus in propriis domibus et sub iurisdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii seu Tertii Ordinis, eosque dirigere in spiritualibus iuxta regulas dicti Tertii Ordinis in propriis ecclesiis; in casu, etc.; sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis auditis, referente eminentissimo Gabriellio, censuit ac declaravit competere patribus Capuccinis facultatem conferendi scapulare cum cingulo S. Francisci. Romae, die XVI. nov. MDCCIII. Et die XXIX. februarii MDCCIV. denuo auditis religiosis fratrum Minorum de Observantia et patrum Minorum Capuccinorum Sancti Francisci, referente eodem eminentissimo Gabriellio, eminentissimi patres censuerunt, persistendum esse in *decisis* sub praedicta die XVI. novembris MDCCII.. Romae, etc. Die vero IV. martii eiusdem anni MDCCIV. Tertia vice proposita causa per eumdem eminentissimum Gabriellium ad preces procuratoris generalis commissarii curiae Minorum de Observantia et procuratoris generalis strictioris observantiae Sancti Francisci, eadem sacra Congregatio censuit ac decrevit, extra dandum supradictum decretum. Romae, etc. Cardinalis CARPINEUS. *Loco* ✝ *sigilli.*

Confirmatio Clementis XI.

Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis dicti Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipse decreta huiusmodi, quo praemissa firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel

ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXIX. martii MDCCIV., pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio praedictae constitutionis et statuti praedicti.

§ 3. Itaque, hasce literas Clementis PP. XI. auctoritate nostra iterum nos confirmantes, statuimus et declaramus, ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, et secundariis superioribus ab eodem ministro generali dependentibus, tamquam veris et legitimis filiis beati Francisci, convenire et competere in quocumque loco, civitate, provincia et regno, etiam ubi alii Tertiarii eiusdem beati Francisci iam sunt, erigere, instituere et fundare Tertium Ordinem beati Francisci pro quibuscumque piis et devotis personis saecularibus utriusque sexus, atque huiusmodi Tertii Ordinis professoribus beati Francisci scapulare sive habitum cum cingulo conferre, in rebus spiritualibus eos dirigere, in tertia regula beati Francisci observanda privatim et publice docere et instruere, ut pietatis et virtutum Deo gratos et uberes fructus, benedicente Domino, emittant. Ad haec volumus et declaramus, praedictos Tertiarios seu Tertii Ordinis beati Francisci professores, sub ministro generali Ordinis fratrum Minorum Capuccinorum, eiusque secundariis superioribus, omnino gaudere atque uti posse et debere omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus et praerogativis per hanc Sanctam Apostolicam Sedem Ordini Tertiariorum a quocumque ministro generali dependentium sub suo capite, qui unus est beatus Franciscus, alias concessis; volentes propterea ut vicissim quilibet Tertiarii eiusdem Ordinis Minorum beati Francisci, praemissis gratiis gaudentes, ad eos transire licite et valide possint, quorum statum saluti animae suae aptiorem et utiliorem in Domino esse cognoverint.

Communicantur Tertiariis praedictis privilegia omnia aliis Tertiariis concessa.

§ 4. Praedicta vero universa ita et non aliter iudicari, et firma atque inconcussa ad omnibus haberi statuimus. Non obstantibus ordinationibus et constitutionibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque; quibus, quatenus opus est, derogamus, easque annullamus, proque annullatis, derogatis et nullis hac in re haberi volumus; poenam excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro nostro arbitrio iis interminantes, qui contraire vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint, quae hac nostra apostolica constitutione firmamus atque decernimus; ob cuius plenam perfectamque observantiam, auctoritate nostra praecipimus venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et eorumdem vicariis et ministris, ut pro harum executione tuenda, auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel procuratoris generalis dicti Ordinis fratrum Capuccinorum sive

notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius Ordinis vel cuiuscumque personae in ecclesiastica dignitate costitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXVI., IX. kalendas iulias, pontificatus nostri anno III.

V.

***Statuit quaedam pro Tertiariis sub Minorum Conventualium directione viventibus* (1).**

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Singularis devotio, quam erga beatum Franciscum Ordinis fratrum Minorum in plures familias distincti piissimum conditorem profitemur, iure exigit ut universos tanti parentis religiosos filios pari nostrae benevolentiae significatione complectamur, et omnia litium semina ex illis, qui sub eius regula Deo famulantur, prorsus evellere studeamus.

Constitutio edita pro Tertiariis fr. Minorum Observantium, non respicit Tertiares fr. Minorum Conventualium.

§ 1. Non modica quidem animi nostri molestia nuper accepimus, inter illos discordiae occasionem inde ortam, quod per constitutionem nostram, quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae providentia* (2), vulgatam IV. idus decembris, anno Domini MDCCXXV., pontificatus nostri II., totius Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui alias *a regulari Observantia* nuncupantur, ministro generali et secundariis superioribus auctoritatem et iurisdictionem in suos Tertiarios per felicis memoriae antecessores nostros Romanos Pontifices traditam confirmaverimus, ut, per eiusdem beati Francisci vestigia gradientes, alacrius in Dei famulatu perseverarent suique sanctissimi institutoris exempla aliis imitanda proponerent. Hanc enim constitutionem tam luculentam atque alienae interpretationis expertem, quae unos tertiarios ministro generali fratrum Minorum, qui *a regulari Observantia* nuncupantur, subiectos tantum respicit, et singulatim nominat, non vero alios speciali nota dignos, nihilominus, contra expressam mentem nostram, ad illos tertiarios etiam, qui vivunt semperque vixerunt sub ministro generali et secundariis superioribus fratrum Minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, detortam fuisse intelleximus.

Statuitur ministro generali Conventualium dumtaxat competere iurisdictionem in suos Tertiarios.

§ 2. Quare nos ipsi, quibus cura specialis incumbit, ut auctoritate nobis divinitus tradita ius suum unicuique pro virili servemus, atque Ordines regulares privilegiis ob suarum virtutum merita sibi ab hac Sancta Apostolica Sede concessis pacifice in Domino utantur, huic dissidio post maturam deliberationem occurrere volentes, praesentibus literis nostris perpetuum robur imposterum habituris, motu proprio et ex certa scientia, declaramus, sancimus atque statuimus, uni ministro generali et secundariis superioribus Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, non vero aliis auctoritatem et iurisdictionem in suos Tertiarios deberi et competere.

Enumerantur Rom. Pontificum constitutiones quibus praefata iurisdictio praedictis Conventualibus concessa fuit.

§ 3. Hanc autem auctoritatem et iurisdictionem iisdem fratribus Conventualibus piae memoriae Romani Pontifices antecessores nostri pluribus ab hinc saeculis apostolica largitate indulserunt; videlicet Innocentius IV. literis incipientibus *Vota devotorum*, datis Lugduni idibus iunii anno Domini MCCLXVI., pontificatus IV.; Nicolaus IV. literis incipientibus *Unigenitus Dei Filius*, datis apud Urbemveterem VI. idus augustas an. MCCXC., pontificatus III.; Martinus V. literis incipientibus *Inter cetera*, datis Romae V. idus decembris anno MCDXXVII., pontificatus X.; et Sixtus IV. literis incipientibus *Romani Pontificis pro-*

---

(1) Haec const. edita est ad declarandam aliam editam MDCCXXV., die X. decembris, pontif. II., et in confirmationem aliarum Innocentii IV., Nicolai IV., Martini V. et Sixti IV. de eadem re tractantium, quae hic citantur.

(2) Vide *Iuris* vol. II., pag. 377.

videntia, datis Romae XVIII. kalendas ianuarias anno MCDLXXI., pontificatus I.

Quae et confirmantur cum amplissimis declarationib.

§ 4. Quare nos quoque, decessorum nostrorum gestis inhaerentes, eorumdem apostolicas literas iam recensitas auctoritate nostra iterum confirmamus, inque suo primaevo robore nunc et deinceps manere volumus; ideoque approbantes atque iterum confirmantes, omnem potestatem, auctoritatem et iurisdictionem in eosdem Tertiarios ministro generali ceterisque secundariis superioribus Ordinis fratrum Minorum Conventualium B. Francisci ab antecessoribus nostris olim concessam, omnesque facultates, exemptiones, praerogativas, indulgentias et praeeminentias, in praedicta constitutione nostra *Paterna Sedis Apostolicae providentia* ministro generali totius Ordinis fratrum Minorum B. Francisci, qui Observantes dicuntur, in proprios Tertiarios a nobis indultas, pariter indulgemus, easdemque extendimus ad ministrum generalem fratrum Minorum, qui Conventuales dicuntur, super Tertiarios eidem Ordini et ministro generali subiectos; volentes propterea et statuentes, ut hi Tertiarii subsint uni eidem ministro generali fratrum Minorum Conventualium; praeterea nemini, usque ad unum eumdem ministrum generalem dumtaxat et non ad alium quemcumque, in quibuscumque locis, civitatibus, provinciis et regnis, etiam ubi alii Tertiarii sunt, spectet instituere, concedere et propagare eumdem suum Ordinem utriusque sexus Tertiariorum de Poenitentia nuncupatum, quaeque illorum profectum spiritualem respiciunt, stabilire et decernere, illos corrigere et reformare, et omnia disponere, quae iam laudata constitutio nostra ministro generali fratrum Minorum Observantium in proprios Tertiarios disponenda concedit.

Ordo Conventualium eximiis laudibus effertur.

§ 5. Etenim aequum est ut ministro generali Ordinis fratrum Minorum Conventualium B. Francisci, qui inter ceteros Ordines, sub uno et eodem seraphico patre et capite Deo famulantes, vetustissimus est, omnem iurisdictionem, auctoritatem, facultates et gratias in Tertii Ordinis, ab eodem celeberrimo confessore instituti, poenitentes indulgeamus, quae aliis fratribus Minoribus indultae fuerunt; maxime cum eiusdem seraphici patris et confessoris corpus requiescat in eorumdem fratrum Conventualium basilica coenobii Assisiensis, quam propterea esse caput et matrem totius Ordinis fratrum Minorum, felicis recordationis antecessores nostri Romani Pontifices suis apostolicis literis decreverunt: nimirum Gregorius IX. incipientibus *Is quia Ecclesiam suam,* datis Laterani X. kalendas maias an. MCCXXX., pontificatus IV.; Clemens IV. literis pariter incipientibus *Is qui Ecclesiam suam,* datis Perusiae XVII. kalendas maias anno MCCLXVI., pontificatus II.; Nicolaus III. literis incipientibus *Gloriosissimi confessoris,* datis Reate pridie idus maias MCCLXXVII., pontif. I.; et Sixtus IV. literis incipientibus *Ad insignem,* datis Romae, VI. decembris an. MCDLXXV., pontificatus V.

Tertiarii fratrum Min. Convent. fruantur privilegiis et gratiis spiritualibus, quae ceteris Tertiariis concessae fuerunt.

§ 6. Volumus etiam, decernimus atque statuimus, ut Tertiarii directioni ministri generalis fratrum Minorum Conventualium subiecti omnino gaudeant et fruantur omnibus exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis et favoribus spiritualibus et temporalibus, quas antecessores nostri Romani Pontices iisdem largiti fuerunt. Quapropter has iterum approbamus, confirmamus atque concedimus, easdemque etiam omnes et singulas, quas pridem concessimus in eadem constitutione nostra quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae providentia;* decernentes tamen et declarantes, ut, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, memorati Tertiarii, directioni et correctioni ministri generalis fratrum Minorum Conventualium subiecti, vestes religiosas, colore et forma Tertiariis proprias induant, eo prorsus modo quem Romani Pontifices suis apostolicis literis observandum praescripserunt, ad hoc ut iisdem indulgentiis et gratiis frui possint.

Clausulae ac derogatoriae.

§ 7. Haec vero universa, ministro generali fratrum Minorum Conventualium in Tertiarios ei subiectos praesentibus literis nostris concessa, ita et non aliter iudicari et firma atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus, non obstantibus ordinationibus et constitutionibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque, quibus, quatenus opus est, derogamus, easque abrogamus, proque abrogatis, derogatis et nullis hac in re haberi volumus; poenam excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro arbitrio nostro iis interminantes, qui contraire vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint, quae hac nostra constitu-

tione firmamus atque decernimus, ob cuius plenam perfectamque observantiam iniungimus venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et eorumdem vicariis et ministris, ut, pro horum omnium plena executione tuenda, auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis.

His literis fi- ..bique ad- ..atur.

§ 8. Volumus pariter ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel procuratoris generalis dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium aut notarii publici subscriptis et sigillo officii eiusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius Ordinis vel cuiuscumque personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo has li- ..ras infringe- ..audeat.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, praecepti et derogationis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXVI., tertio nonas iulias, pontificatus nostri anno III.

VI.

Confirmat literas Clem. XI. approbantes decretum Caroli Thomae Patriarchae Antiochen. Legati apost.

Venerabilibus fratribus ac dilectis filiis Episcopis et apost. missionariis in regnis Indiarum orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad aures nostras pervenit, vocationem gentium Ecclesiaeque incrementa, propter subortas inter operarios evangelicae messis controversias, magnis istic difficultatibus laborare. Quae quidem eo graviorem nobis dolorem attulerunt, quo remedia salubriter alias adhibita diutius a nonnullis repudiari intelleximus. Iam enim per bo. me. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate Legati de latere apost. visitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem, pleraque ad gliscenses lites componendas explicandasque difficultates sapienter praescripta fuerant, decreto condito Pudicheriis in sac. visitatione apostolica die XXII. mensis iunii anni MDCCIV., die vero VIII. iulii eiusdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquiescentibus de mente fel. recor. Clementis XI. predecessoris nostri diversa opinantibus et evulgantibus, idem praedecessor noster, datis ad venerabilem fratrem Episcopum Meliaporensem literis die XVII. mensis septembris an. MDCCXII., suam de servandis decretis mentem opportune declaravit. Ut igitur nostrae quoque sollicitudinis partes ad controversias avertendas et salutem gentium concordibus studiis facilius a vobis procurandam adhibeamus, praesertim ne quis ex silentio nostro detractum aliquid esse suspicetur mandatis et declarationibus antedictis, laudati antecessoris nostri vestigiis inhaerentes, decreta eiusdem Patriarchae Antiocheni nostra etiam auctoritate confirmamus eorumque obedientiam et observantiam similiter mandamus et requirimus. Decretum quoque de Sacramentis administrandis moribundis hominibus infimae conditionis, quos *pareas* appellant, ulteriori dilatione remota, pariter servari et impleri praecipimus. Vestrum autem erit, ut mandata per antecessorem nostrum et per nos ipsos, apostolica auctoritate, tenore praesentium, in omnibus confirmata, impigre et obsequenter facientes opus Dei, quod tanta cum animi ilaritate suscepistis, rite, unanimiter studioseque perficiatis. Ac vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII. dec. MDCCXXVII., pontificatus nostri anno XII.

CLEMENS PAPA XII.

An. C. 1732

I.

Bona ecclesiastica in ditione Saxoniae iis, qui ad Catholicam Ecclesiam redierint, remissa declarat.

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam (1).

Prooemium.

Sedes Apostolica, pia mater, probe agnoscens assidueque recogitans, potissimam curam et sollicitudinem suam in fidei catholicae, sine qua impossibile est placere Deo, unitate ac integritate retinenda, et animarum, pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, aeterna salute procuranda, sitam esse, nihil praetermittit ac intentatum relinquit quod ad eamdem fidem, ubi illaesa viget, sartam tectam tuendam, ubi vero collapsa est, restituendam, ipsasque fidelium animas in viam salutis dirigendas iudicat pertinere; ac propterea ab orthodoxa religione rectaque via deviis et errantibus filiis, quos numquam obliviscitur, nedum maternum sinum iugiter aperit, sed etiam iter sternit planum per quod, sublatis quibusvis impedimentis, ad Christi ovile atque ad cor facilius redire valeant, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque nos, qui militantis Ecclesiae ac universi dominici gregis regimen in beatissimo Petro Apostolorum principe divinitus accepimus, ac iis christiani orbis provinciis pastoralis vigilantiae nostrae studium praecipue impendere debemus, quae opem et operam nostram magis exposcere videantur, peculiarem usque ab ipsius pontificatus nostri primordiis paternae considerationis nostrae intuitum direxerimus ad ducatum Saxoniae, ubi scilicet haeresis postremis hisce temporibus originem et incrementum sumpsisse dignoscitur, ac pro cuius reductione ad priscam et catholicam fidem plures ex Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praeclara cum eorum nominis laude strenue multumque allaborarunt; diuque

---

(1) Allocutio habita in consistorio secreto die XXI. mensis iulii MDCCXXXII.

Venerabiles fratres,

Caritas Christi, quae apostolici ministerii studia omnia regere debet, et officia curasque dispensare, urget nos, ut quidquid ad animarum salutem, quas pretioso Sanguine redemit, conducibile censuerimus, ceteris rationibus anteferamus; probe nimirum intelligentes, ad optatissimum hunc fructum creditam nobis esse apostolatus auctoritatem. Porro inter eas regiones, quarum nobis vera et aeterna felicitas maximo cordi est, paterni animi nostri sollicitudinem potissimum exercet Saxonica ditio, in qua novissimis temporibus haeresis exorta in alias subinde provincias et regna misere influxit, et ad quam revocandam atque in Sanctae Ecclesiae sinum reducendam tot labores et vigilias praedecessores nostri Romani Pontifices impenderunt. Cum autem diu multumque apud animum nostrum cogitaverimus, quae potuerint difficultates occursare, quominus eorum consilia prosperum optatumque successum haberent, praecipuum divini operis impedimentum inde provenire putavimus, quod plerique aegre admodum in animum possent inducere, ut ea bona dimitterent, quae olim ad Ecclesias pertinebant, iisque vitae commodis, quibus consueverant, et ipsi carerent, et eorum liberi destituerentur; nec suppeteret, unde aliter ea fortunarum detrimenta reique familiaris dispendia resarcirent.

Nos propterea, quos plane immeritos constituit Dominus super familiam suam, ut tamquam fideles ac prudentes sacri patrimonii dispensatores, eam difficultatem submoveremus, nonnullis venerabilibus fratribus nostris collegis vestris in consilium adhibitis, praedecessorum nostrorum exempla recolentes, mentem etiam voluntatemque satis compertam habentes Clementis fel. record. Papae XI. praedecessoris itidem nostri, eam sententiam suscepimus, ut iis, qui in praesens possident, modo ad catholicam Ecclesiam redeant, eorumque orthodoxis successoribus condonaremus universa bona illa, quae in ditione charissimi in Christo filii nostri Friderici Augusti regis Poloniae tamquam electoris Saxoniae sita sunt, quemadmodum reipsa remittimus et condonamus; itaut neque nos ipsi, neque successores nostri, multoque minus alia quaevis Ecclesia aut persona quidquam iuris in ea bona sibi eo nomine vindicare possit. Ad cuius rei sollemnitatem et authenticam actorum fidem literas apostolicas dedimus. Fore autem confidimus, ut quos calumniatorum licentia a via veritatis abduxit, hoc nostrae caritatis studio intelligant, a nobis cuncta conferri, ut reportemus finem fidei nostrae, salutem animarum. Interea Patrem misericordiarum supplices oramus, ac fraternitatum vestrarum preces supplicationibus nostris cupimus consociari, ut hoc voluntatis ac providentiae nostrae iudicium coelesti benedictione secundet et abundantia pietatis suae aliquando perficiat, ut non modo Saxonia, sed ceterae quoque provinciae, quae a nobis recesserunt et pro quibus animam ponere parati sumus, erroribus suis abiectis, veram et legitimam suam Matrem Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam filiali observantia agnoscant et prosequantur.

nobiscum animo reputantes, unde factum sit, quod tot eorumdem praedecessorum labores ac collata in eum finem egregia studia nedum optatos fructus consequuta fuerint, neque impleta ampla illa spes, quam sancta Dei Ecclesia collocaverat in reversione ad eius gremium charissimi in Christo filii nostri Augusti, Poloniae regis illustris, ipsius Saxoniae ducis ac sacri romani imperii principis electoris, tum dilectissimi in Christo pariter filii nostri Friderici Augusti regis Poloniae, et electoralis Saxoniae principis nati sui, qua sibi pollicebatur futurum, ut reliqui inclytae stirpis saxonicae principes ac populi ipsius ducatus monstratam ab iis viam feliciter inirent, ac sicuti saxonicam domum in haeresi amplectenda et fovenda olim sequuti fuerant errantem, ita sequerentur resipiscentem, re accurate perpensa merito dubitaverimus id exinde praesertim provenire, quod plerique aegre adduci valeant ad dimittendum et relinquendum bona ecclesiastica, quae praeteritorum temporum iniuria ac confusione, dum haeresis in eo ducatu omnia misceret, occupata ab illis detinentur, utpote qui sine iis bonis vitae humanae subsidiis vel commoditatibus, quibus assueti sunt, exuerentur, eorumque filii et familiae necessaria substentatione, cui aliunde subvenire nequirent, carere cogeretur et ad duram paupertatem redigerentur.

§ 2. Hinc est quod nos, quos constituit Dominus super familiam suam ut, tamquam fidelis servus et prudens, Christi patrimonium administraremus, reductionem ducatus praedicti ad catholicae et universalis Ecclesiae unionem totque animarum salutem nullis terrenarum rerum respectibus impediri aut retardari debere existimantes, ac proinde, quae gentem saxonem a verae religionis proposito amittendarum facultatum metu incurrendaeque miserae egestatis horrore retrahere possent, submovere volentes, nobisque persuadentes opus reductionis huiusmodi eo maiores progressus habiturum fore, quo amplior uberiorque in bonis ecclesiasticis remittendis nostra et huius Sanctae Sedis perspecta fuerit benignitas et indulgentia, post maturam quam cum aliquot ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus desuper habuimus deliberationem, nonnullorumque Romananorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis, necnon menti fel. rec. Clementis Papae XI. praedecessoris itidem nostri, nobis apprime notae insistentes, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum consilio et assensu, ac etiam motu proprio et ex certa scientia nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula bona ecclesiastica cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris in ducatu Saxoniae aliisque ditionibus memorato Augusto regi, uti Saxoniae duci subiectis, consistentia, praeteritorum temporum confusione occupata, sicut praemittitur, modernis eorum possessoribus seu detentoribus cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis et praeeminentiae fuerint, qui ad catholicae Ecclesiae unitatem iam redierunt vel in posterum redierint, eorumque successoribus quibuscumque catholicis et in sinceritate ortodoxae fidei perseverantibus, una cum fructibus perceptis, harum serie, de specialis dono gratiae, plenarie remittimus, condonamus, cedimus et relaxamus, dictisque possessoribus seu detentoribus eorumque successoribus, ut ipsi de bonis praefatis tamquam suis propriis, tam inter vivos, quam ex causa mortis aut alias quomodolibet disponere possint, plenam et liberam tenore praesentium tribuimus facultatem et potestatem, neque illos pro parte Sedis Apostolicae, ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum aut personarum ecclesiasticarum ad quas et quae bona praedicta olim pertinebant, aut aliorum quorumvis in eis, seu ad ea, ius vel interesse habentium seu habere praetendentium, ratione et occasione praemissorum desuper molestari, inquietari aut perturbari posse, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus et declaramus.

§ 3. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque nostris et Cancelleriae Apostolicae regulis, nec non recolendae memoriae Symmachi, quae incipit: *Non licet,* ac Pauli II. praedecessorum quoque nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis et quibusvis aliis apostolicis ac universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum fundationibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consue-

tudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Ceterum, speramus eosdem Augustum regem et Fridericum principem, ducatu praefato ad verum Dei cultum ac orthodoxam fidem, favente ac benedicente Domino, redacto, pro eorum singulari in Deum ipsum pietate, ecclesiarum praedicti ducatus rationes et commoda semper curae et cordi habituros, et, quantum in eis erit, promoturos (1).

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae remissionis, condonationis, cessionis, decreti, statuti ac declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnat. Dominicae MDCCXXXII. VII. idus iulii, pontificatus nostri anno II.

II.

Disponit super decretis et provisionibus captis in visitatione apostolica Collegii Urbani et status temporalis S. Congregationis de Propaganda Fide XXVI. *februarii* MDCCXXXIII.

Rmo CARDINAL PETRA

PREFETTO DELLA CONGR. DE PROP. FIDE.

Essendoci stato rappresentato sin dal principio del nostro pontificato, che la nostra Congregazione de Propaganda Fide, per le gravi ed urgenti spese alle quali soccombe non solo per il sostentamento degli alunni del suo collegio Urbano e ministri necessarii per quell' azienda, ma anche per il mantenimento dell' altro collegio sotto il titolo de' SS. Pietro e Paolo della città di Fermo e delle missioni destinate da questa S. Sede in più e diverse parti d'infedeli, e similmente per le straordinarie occorse nelle spedizioni della Cina, ritrovandosi aver contratti diversi debiti, specialmente col Monte di pietà di questa nostra città di Roma per la somma di scudi 35707, 35, si supplicasse dalla stessa Congregazione la s. m. di Benedetto XIII. nostro predecessore per la facoltà di poter rinvestire la somma di scudi 30 m. moneta, che detta Congregazione riteneva depositati in detto Monte di pietà, per la rata di scudi 20 m. e per l'altra rata di scudi 10 m. nel banco di S. Spirito, con la condizione di dovergli rinvestire, come provenienti da alcune restituzioni di censi, e dal ritratto di alcuni anelli cardinalizi, con ordinare a Monsig. Tesoriere generale, che dovesse permettere il pagamento per la rata depositata in detto Monte di pietà, non ostante il suddetto debito come sopra,

---

(1) Acta concistorialia et literas apost. regi Poloniae seq. ep. nunciat.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae regi illustri,

CLEMENS PP. XII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut nostri apostolatus studiis ad procurandam animarum salutem iugiter intentis paterna caritate ac pari sollicitudine obsecundaremus, quid providentia nostra susceperit ac decreverit, intelliget maiestas tua tam ex actis consistorialibus, quam ex apostolicis, quas dedimus, literis, quarum exempla ad te curanda mandavimus. Porro ad eam rem alacrius capessendam magnum momentum accessit ex singulari fiducia, quae fore procul dubio persuasit, ut quo divina benignitas revocandis ad sinum catholicae Ecclesiae subditis tuis felicius curas nostras coelestibus benedictionibus provexerit, eo studiosius tam maiestas tua, quam dilectissimus in Christo filius noster regius princeps natus tuus satagerent, ne ulla restituendae alendaeque religioni necessaria subsidia deessent. Age igitur, charissime in Christo fili noster, divinum opus ad Dei honorem veramque Saxonicae ditionis tuae felicitatem caeptum tua auctoritate, pietate ac sapientia pro virili parte urgere ac promovere ne dubites; operamque magnitudine animi ac virtutis tuae dignissimam studiis nostris consocies. Interea omnipotentem Deum supplices poscimus ut maiestatem tuam regiamque familiam bonis omnibus augeat et cumulet, futurum sperantes, ut ex ea ditione, unde catholicae Ecclesiae superiori tempore luctus et vulnera illata sunt, inde praecipua profectura sint gaudia. Ac tibi, charissime in Christo fili noster, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. iulii MDCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

contratto col detto Monte nella suddetta quantità di scudi 35707, 35 colla condizione, che venissero poi depositati in contraposizione di detto debito li frutti dei futuri rinvestimenti, ed altri avanzi che si fossero potuti fare in avvenire e che ne fosse ottenuta benignamente la grazia col rescritto. — Al sig. Cardinal Spinola con Monsig. Tesoriere per l'effettuazione della grazia — in vigore della quale fosse la detta somma di scudi 30 m. rinvestita in un censo di simil somma sin sotto li 3 agosto 1728 col conte Domenico Angelini con gl'interusurii di scudi 2, 80 per cento, ad anno, ed attesa l'estinzione del detto censo seguita li 30 agosto 1729 nuovamente investita in altro censo col duca Baldassarre Odescalchi coll'augumento di detti interusurii sino a scudi tre per cento, e per la successiva estinzione di detto censo col detto duca Odescalchi nuovamente rinvestiti in maggior somma col principe Pio alla stessa ragione di scudi tre per cento, ad anno, e che li frutti di detti rinvestimenti destinati per la contraposizione del debito con detto Monte di pietà non siano stati intieramente pagati e depositati in detta causa, ma solamente per la somma di scudi 1119, 90, essendo stato erogato il compimento di detti frutti in quantità di scudi 3135, 05 in altro uso per le continue urgenze di detta Congregazione, in modo che il detto Monte di pietà vada presentemente creditore nella somma di scudi 34587, 45 1|2, oltre altro debito della medesima Congregazione in somma di scudi 2021, 16, contratto con diverse persone particolari, e che oltre il non essersi intieramente pagati i detti frutti in diminuzione del detto debito col detto Monte, si sia la medesima Congregazione valuta di altra somma di scudi 4745, 50, esatti da diversi anelli cardinalizi, che a tenore della bolla di Gregorio XV. dovevano rinvestirsi a commodo della medesima, e si sia anche valuta di altra somma di scudi 5665, 52, ritratta dai frutti del vescovado di Babilonia, quali per essere il moderno Vescovo refrattario di questa S. Sede spettavano a noi ed alla detta Sede; onde noi avendo sin dal principio del nostro pontificato, con ordine dato per mezzo della nostra segreteria di stato, ordinato la visita apostolica di detta Congregazione da farsi da voi prefetto della medesima, e dai rm̃i Cardinali Barberino, Pico e Nicolò Spinola prefetto dell'economia coll'assistenza del proprio segretario della medesima, ai quali avendo anche ultimamente aggiunto i rm̃i Cardinali S. Clemente ed Imperiali per firmare non solo lo stato della medesima Congregazione, ma ancora per riformare l'eccessive spese della medesima, e porre in equilibrio le di lei entrate, che secondo le relazioni fatteci da monsig. Fortiguerra segretario, consistendo in annui scudi 33219, 90, vengono ad essere minori dell'uscita in annui scudi 5303, 19, anche colla diminuzione di spese riformate nella visita già fatta da detti rm̃i Cardinali, come sopra da noi deputati, nella qual visita fossero prese più e diverse determinazioni da noi sin sotto li 22 Febbraro dell'anno corrente approvate e confermate; e però noi avendo sentito le relazioni sì dello stato in cui si ritrova la detta Congregazione, come anche delle risoluzioni prese in detta visita, come sopra fatta di nostro ordine, e successivamente da noi confermate ed approvate; e perchè ci è molto a cuore la manutenzione di detta Congregazione, acciocchè si dilati viepiù e propaghi la S. Fede cattolica, abbiamo somministrato dei danari degli utili ricavati dall'estrazioni del nuovo lotto in beneficio della medesima, e ad effetto di rinvestirsi la somma di quarantamila scudi moneta, intenti al riparo delle eccessive spese, alle quali soggiace continuamente la stessa Congregazione; ma perchè consideriamo, che il detto capitale scudi 40 m. non può compensare il discapito, e noi non possiamo intieramente supplire al medesimo, dovendo rivolgere il nostro pensiero alle occorrenze di tante altre opere pie, abbiamo determinato di dare una regola esatta per il di lei mantenimento con procurare, che resti sgravata da' debiti, come sopra, contratti, e con approvare di nuovo le determinazioni, come sopra, prese da detti rm̃i Cardinali da noi deputati alla visita della medesima, con aggiungere ancora altre provisioni da osservarsi unitamente alle già prese e narrate in detta visita, ed opportunamente provvedere alla indennità e buon regolamento della detta Congregazione, come in appresso. Quindi è che avendo nel presente nostro chirografo per espresso, e di parola in parola, inserto il tenore della bolla di Gregorio XV. nostro predecessore obbligatoria

al rinvestimento del ritratto degli anelli cardinalizi in beneficio di detta Congregazione, e la precisa quantità delle somme ritratte da detti anelli non investite, ed erogate in altri usi ed indigenze della medesima, come pure il tenore del decreto della fel. mem. di Benedetto XIII. circa il pagamento del debito di detta Congregazione col Monte di pietà, e la qualità e quantità de' debiti, de' quali si trova gravata, tanto a favore del detto Monte di pietà, quanto a favore di altre persone particolari, ed il tenore altresì delle risoluzioni e provvedimenti come sopra presi da detti rm̃i Cardinali della visita, e di qualsivoglia altra cosa che ricercasse specifica, espressa, e individua menzione; di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra potestà apostolica, assolvendo noi primieramente la medesima Congregazione e i suoi ministri da ogni pena forse incorsa per la distrazione dell' entrate e capitali respettivamente convertiti in altri usi ed indigenze di detta Congregazione, che alle obbligate e prescritte tanto dalla detta bolla di Gregorio XV., quanto da provvisioni e risoluzioni prese in passato, e quelle liberamente condonandogli, e rimettendogli anche in quello riguarda la suddetta somma di scudi 5665, 52, percetti da frutti del vescovato di Babilonia a noi ed a questa Santa Sede spettanti, e come sopra erogati in benefizio ed indigenze di detta Congregazione, de' quali quando ve ne sia di bisogno, glie ne facciamo anche donazione *inter vivos*, ordiniamo a voi, ed a prefetti *pro tempore* di detta Congregazione, ed altri ministri della medesima presenti e futuri, che primieramente eroghiate e facciate erogare il ritratto di tre anelli cardinalizi, che dal giorno di oggi saranno i primi a pervenire alla detta Congregazione in soddisfazione del detto debito di scudi 2021, 16, contratto come sopra a favore di diverse persone particolari, e secondariamente che il ritratto degli altri anelli, che di tempo in tempo perverranno alla detta Congregazione, lo facciate immediatamente pagare al detto Monte di pietà in diminuzione del suddetto debito di scudi 34587, 45, e che così continuiate e facciate continuare sino alla intiera soddisfazione del medesimo debito, proibendo noi ogni distrazione di dette somme in altro uso, fuorchè in diminuzione e totale estinzione di detto debito; e vogliamo ed ordiniamo, che per simile dilazione non si possa pretendere dal detto Monte di pietà e suoi provisori e ministri pagamento di frutti o interusurii di sorte alcuna, benchè anche *de iure*, se gli dovesse, assolvendo noi detta Congregazione da simili pretensioni, benchè fossero inserte *in corpore iuris*, e rilasciando la facoltà alla stessa Congregazione di erogare a suo comodo i frutti de' rinvestimenti suddetti in somma di scudi 30 m. benchè destinati, come sopra, in estinzione di detto debito. Ed inoltre avendo noi a cuore sommamente, che gli interessi di detta Congregazione venghino con tutta l' economia possibile retti e governati, ed approvando e confermando di nuovo le risoluzioni, come sopra, prese da voi ed altri rm̃i Cardinali da noi deputati alla detta visita, ne ordiniamo a voi e vostri successori nella prefettura, ed a chiunque altro spetta e potrà spettare in avvenire, la precisa ed inviolabile osservanza ed esecuzione unitamente colle infrascritte ordinazioni, che di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra assoluta potestà ed autorità apostolica, aggiungiamo, uniamo ed incorporiamo alle suddette risoluzioni, cioè

I. Che non possano accrescersi, nè unirsi le provvisioni ad alcun ministro del collegio della Congregazione ed ai lettori senza speciale oracolo del Sommo Pontefice, nè pure giubilarsi alcuno di essi.

II. Che il computista non faccia mandati di pagamenti ogni volta che riconoscerà da' libri ritrovarsi in debito la Congregazione in scudi seimila, nel qual caso dovrà darne la notizia alla piena Congregazione generale sotto pena di dover rifare del proprio, e della remozione dall' offizio.

III. Che nelle Congregazioni dell' azienda del bimestre e quadrimestre ordinate nei suddetti decreti della visita, si debbano rivedere li conti all' agente generale, e dall' esattore della Congregazione e dal rettore e da monsig. segretario riconoscere quelli del maestro di casa, e si debba ogni quattro mesi portare dal segretario lo stato al detto Sommo Pontefice.

IV. Che non si possano ricevere alunni sopranumerarii, tanto nel collegio Urbano, quanto in quello di Fermo, nè ammettere alcuno ne' luoghi numerarii, prima che

sia uscito dal collegio quello, per cui deve vacare il luogo, e dopo scorsi gl' interstizii ordinati dai fondatori per far venire li nuovi alunni, ed avute le informazioni circa i loro requisiti.

v. Che nella provvista de' nuovi alunni debba scriversi *pro informatione* ai rispettivi Vescovi, Vicarii Apostolici, o Prefetti di missioni, per aversi la notizia della loro età, se sia conforme al prescritto delle regole, studi fatti, indole, costumi, nascita e qualità de' parenti, purità di dottrina e beni di fortuna, affinchè in caso che ammessi in collegio non osservassero il giuramento prescritto da Urbano VIII. ed imposto nelle regole predette, che devono prestare nell' ingresso di farsi sacerdoti e di portarsi poi al servizio delle sante missioni nelle proprie provincie, possa la Congregazione usare delle sue ragioni, come pure nel caso, che per loro colpa uscissero dal collegio medesimo prima del compimento de' studi.

vi. Che non si ammettano in collegio per alunni i giovani di quelle nazioni, le quali hanno i proprii collegi in Roma, ovvero in altre parti, senza la previa licenza ed oracolo pontificio.

vii. Che gli alunni terminato il tempo della loro dimora in collegio debbano immediatamente partire, in altra forma non si buonifichino al maestro di casa le spese per il mantenimento de' medesimi dopo compito detto tempo, né possano essere dispensati dal detto giuramento, se non dal Sommo Pontefice, nel qual caso però la Congregazione possa usare le sue ragioni per gli alimenti ricevuti.

viii. Che il maestro di casa del collegio tenga a parte il conto del risparmio, che succederà per la mancanza di ogni alunno, e ne dia la nota al computista, il quale dovrà pure tenere conto separato per riporlo nel risparmio dell' anno, in cui accaderà detta mancanza, e che la stessa nota debba leggersi nelle Congregazioni del bimestre e del quadrimestre.

ix. Avendo noi provisionalmente ordinato nell' anno scorso che delli dodici religiosi Cappuccini soliti impiegarsi nelle missioni del Tibet coll' assegnamento di scudi 1000 l' anno dovessero solo rimanervi li cinque religiosi che vi si trovano presentemente, tuttavolta riflettendo al poco frutto che si ritrae dalle stesse missioni, ed alla grave spesa che resta a carico della Congregazione, ci riserviamo di prendere in appresso gli ulteriori opportuni provvedimenti circa le missioni medesime.

x. Riflettendo noi, che quantunque dai rm̃i Cardinali visitatori in detta visita si sia fatta la riduzione dei luoghi degli alunnati Vives e Scanegata a cagione della mancanza delle rendite, tuttavolta siccome questa mancanza è seguita da molto tempo con essersi ciò nonostante tenuto il numero compito degli alunni sino alla presente riduzione, così devesi reintegrare la Congregazione del dispendio di tanti anni; e benchè siasi risoluto da' detti rm̃i Cardinali visitatori, che non si faccia alcuna riduzione de' luoghi d' alunni del Cardinal S. Onofrio Barberini, non ostante che manchino di molto le annue rendite a quelli assegnate, per il motivo, che dovevano investirsi per l' augumento della dote li frutti dei luoghi, che si sarebbero dovuti tener vacanti negl' interstizii stabiliti dal fondatore, siccome si è ordinato di adempirsi in avvenire col stabilimento ancora, che si ammettano in detti alunnati i giovani di quelle sole nazioni che sono chiamate dallo stesso fondatore; ma non essendo stato tutto ciò eseguito per il passato con grave dispendio della Congregazione, nella quale vi è stato altresì l' intervento dei Cardinali della casa Barberini, e la nomina dei medesimi nei predetti alunnati, e consideratosi da noi detto dispendio patito dalla Congregazione, condiscendendo di confermare il sentimento della visita di non fare riduzione di essi alunnati, non ostante le mancanze delle rendite assegnate nelle fondazioni, non sembra di dovere, che la Congregazione resti tanto in discapito per un tale adempimento, che non può pregiudicare al luogo pio; ordiniamo pertanto che per dieci anni prossimi a venire si sospendano, e tengano chiusi cinque luoghi d'alunni degli alunnati S. Onofrio di quelle nazioni, che pareranno più proprie per una tale sospensione a giudizio della Congregazione e del rm̃o Cardinal Barberini. Inoltre che si tengano anche chiusi per il medesimo decennio due luoghi degli alunnati Vives, altri due dell' alunnato Scanegata, ed uno di quello d' Adda per la ragione, rispetto a quest' ultimo, che per molti anni si sono mantenuti colle rendite del medesimo undici alunni, calcolati a ragione di soli scudi centoventi l' anno per ciascheduno, quando la tassa

stabilita per il sostentamento degli alunni di tutti gli altri alunnati importa scudi annui centoquarantaquattro per ciascheduno.

XI. Le rendite poi provenienti da detta sospensione di luoghi, vogliamo che si applichino alle spese annue della Congregazione, con che questa provisionale riforma a ragione di scudi 110 l'anno, che può calcolarsi il vitto e la pura spesa personale di ciascheduno alunno, non compresevi le spese comuni per tutti gli alunni, cioè per l'abitazione, ministri, lettori, servienti ed altro, porta alla Congregazione medesima per dieci di essi il rimborso di parte del detto dispendio in annui scudi 1100; colla detta sospensione però consideriamo, che tal soccorso è temporale di dieci anni, e potrà rimediare in parte solamente al detto annuo bisogno della Congregazione, e perciò vogliamo che si procuri di fare la riduzione dell'annuale discapito nelle spese seguenti, o in tutto, o in parte, come più si potrà fare. — Per il mantenimento di monsig. Fouguet, quando si troverà a sufficienza provvisto in altro modo, che importa annui scudi 144. — Per la stamperia, che vogliamo si continui, ma che si osservino i decreti antecedenti, nei quali si stabilisce, che si stampino solamente libri necessari per le missioni, ed in lingue proprie di esse, come pure che si riformino, quanto sia possibile, le annue spese di detta stamperia, e specialmente che si procuri di far vendere ed esitare i libri, che già si trovano impressi, ed il ritratto di essi investire particolarmente per le spese di detta stamperia. Per stamparsi poi in appresso altri libri, vogliamo che si richieda speciale licenza dal Sommo Pontefice, alla quale però non si dia esecuzione, se non quando monsig. segretario avrà riferito al detto Sommo Pontefice, essersi fatta questa riduzione in beneficio e sostenimento della stamperia, al che non può supplire detta Congregazione, senza una tal riforma di non stamparsi altri libri; ed in caso che si contravenga al sudetto ordine, ogni licenza, che si ottenesse dal Sommo Pontefice, s'intenda surrettizia e di niun valore.

XII. Applichiamo alla Congregazione suddetta gli annui scudi 300 appartenenti alla chiesa di Babilonia per tutto il tempo, in cui il presente Vescovo si troverà inabilitato alla percezione de' frutti di quella mensa, ed ogni volta che resti provveduto in altra forma monsig. Beamonte Vescovo d'Oca.

XIII. Approviamo la concessiene in enfiteusi fatta col nostro oracolo della vigna di Pariolo spettante a detta Congregazione per l'utile che se ne ricaverà da detta concessione.

XIV. Vogliamo, che onninamente si faccia la riforma delle spese del collegio Armeno e Ruteno di Leopoli, mentre si riconosce dal conto fattone, che la Congregazione vi ha speso del proprio di più delle rendite di detto collegio la considerabil somma di scudi 10398, 50.

XV. Vogliamo ancora che si faccia la riforma delle provvisioni dei lettori del collegio Urbano, da principiare dopochè cesseranno in ciascuna lettura i lettori presenti, e specialmente si tolga il prefetto de' studii, le di cui incombenze restino appoggiate per turno a' lettori di teologia, e per tre anni per ciascheduno, e vogliamo che non si possano variare o accrescere le provvisioni, nè unire più letture in uno.

Ordiniamo pertanto a voi che non solo facciate eseguire li decreti della detta visita, come sopra, da noi approvati, come anche le nuove regole del collegio Urbano riformate dai suddetti rm̃i Cardinali, e le preinserte nostre risoluzioni, e quelle inviolabilmente osservare, ma inoltre fra il termine di un mese da oggi prossimo procuriate, che da detti rm̃i Cardinali visitatori siano fatte e terminate le sudette riduzioni nel modo da noi, come sopra, prescritto, con tutt'altro, che stimeranno più convenevole, per doversi poi riferire a noi, e riportarsene la nostra conferma ed approvazione, essendo tale la mente e volontà nostra espressa. Volendo e decretando che il presente nostro chirografo, benchè non ammesso nè registrato in camera e ne'suoi libri a tenore della bolla di Pio IV. nostro predecessore *de registrandis*, e tutto quello, e quanto in esecuzione di esso farete, debbano aver sempre la loro esecuzione e vigore colla nostra semplice sottoscrizione, e che non se gli possa mai opporre di surrezione, orrezione, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, e che così debba sempre ed in ogni tempo giudicarsi ed interpretarsi; togliendo noi preventivamente ogni facoltà di giudicare ed interpretare in contrario, benchè non

vi siano stati citati, chiamati, nè sentiti tutti quelli, che vi avessero, o potessero avervi interesse, non ostante le costituzioni e regole di detta Congregazione, la detta bolla di Pio IV. *de registrandis,* la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo,* la detta bolla di Gregorio XV., le costituzioni di Simmaco, Paolo II. e Paolo III. *de rebus Ecclesiae et camerae non alienandis,* e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e de' nostri predecessori, leggi civili e canoniche, riforme, usi, stili, consuetudini ed ogni altra cosa, che facessero, o potessero fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il loro tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, per questa volta sola, ed all' effetto suddetto pienamente deroghiamo.

Dato dal nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo di 26 Febraro 1733.

III.

Sodalitati Sacri Cordis *erectae in ecclesia Fr. Praedic. in civ. Constantinopolitana indulgentias confert* (1).

CLEMENS PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia sancti Pauli ordinis fratrum Praedicatorum, sita in suburbio de Galata, nunc civitatis Constantinopolitanae, una pia et devota utriusque sexus christiani fidelium confraternitas sub titulo *Sacri Cordis Iesu* (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonice erecta seu erigenda existat, cuius confratres et consorores quam plurima pietatis et caritatis opera exercere consueverunt, seu intendunt, nos, ut confraternitas eadem maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum Petri et Pauli eius auctores confisi, omnibus utriusque sexus christiani fidelibus, qui hanc confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo; si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus, devotae confraternitatis confratribus et consororibus, vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatae confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium die festo principali devotae confraternitatis, per eosdem confratres semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando, a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia et haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: insuper devotis confratribus et consororibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, ecclesiam seu capellam vel oratorium eiusdem in quatuor aliis annis feriatis vel non feriatis seu dominicis diebus, per memoratos confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio eodem pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis, ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hospitio susceperunt vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam corpora defunctorum tam confratrum et consororum eodem quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones, de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimum Eucharistiae sacramentum, tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferretur, comitati fuerint, vel, si impediti, campanae ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quin-

(1) Ex Tabul. S. Congr. de Prop. Fide.

quies ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerunt, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praeceptorum diei exercitio sexaginta dies de iniunctis eis seu aliis quomolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxamus, praesentibus futuris temporibus valituris. Volumus autem ut, si aliis devotis confratribus et consororibus praemissa peragentibus, aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint; utque, si devota confraternitas alicui alteri confraternitati aggregata iam sit vel imposterum aggregetur aut quavis alia ratione uniatur vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae elarg. apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die VIII. maii MDCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

IV.

***Sacerdotem Felicem Samuelem Rodotà graeci ritus laudat de collegii S. Demetrii italo-graeci Corsinii nuncupati, in Bisinianen. dioecesi, cura; ipsum collegium dotat privilegiisque ditat etc.* (1).**

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Dum ea, quae a nobis ad enutriendam puro coelestique litterarum, nec non di-

(1) Vide vol. II. *Iuris* const. *Inter multiplices onerosi*, p. 436 — *Praeclara Romanorum*, p. 490 — *Ex iniuncto nobis*, p. 481 — *Superna dispositione*, pag. 458 et *Provida*, p. 485.

Regulas huius collegii Pontifex approbavit constitut. *Ex iniuncto nobis*, iam relata, brevitatis ratione, sine regulis: verum, cum haec nobis expetitae fuerint, hic transcribuntur ex const. *Ex iniuncto nobis*.

CONSTITUTIONES SEU REGULAE

OBSERVANDAE AB ALUMNIS PONT. COLLEGII CORSINI S. BENEDICTI ULLANENSIS.

CAPUT I.

Finis instituti, et quas conditiones habere debeant alumni in collegium recipiendi.

Quoniam pia mens piusque finis Summi Pontificis Clem. XII., collegii huius fundatoris, in eo erigendo fuit, ut spiritualibus Albanensium necessitatibus, in regno Neapolitano degentium, consuleret, qui graeco ritu vivunt, utque ecclesiasticos curae animarum illarum idoneos haberet, ac sane eius perfectionis, ut vita bonisque moribus suis non solum sibi aeternam salutem ratam facere procurarent, sed veluti lucernae positae super candelabra luceant populis, peccatoribus et praesertim schismaticis, ut in viam veritatis et iustitiae revertantur: quare iniungitur Episcopo, eiusdem collegii pro tempore praesidi, ne in alumnorum numerum recipiat nisi qui XVI. aetatis annum non fuerint egressi, vel duodecimum non attigerint; quorum indoles pietati et litteris facilis prae ceteris videatur, quique alios in talem sui expectationem adducant, ut Ecclesiae utiliter servituri et proximorum animabus profuturi facile credantur. Ideo sine attestationibus Ordinarii quisque sui, ex quibus etiam constet eos in grammatica latina versatos et graece apte legere, nec admitti possint, nec debeant. Neque recipiantur sine testimonialibus litteris baptismi sibi graeco ritu collati, quodque ex legitimo matrimonio exque utroque parente eiusdem ritus graeci nati sint. Habeant praeterea litteras testimoniales patrimonii, et quod rei criminis alicuius non sint, nec canonicum impedimentum contraxerint. Ac harum quidem attestationum curam habebit is, quem praeses Episcopus deputaverit, ut propositus iuvenis vel admittatur, vel excludatur: quandoquidem ex huiusmodi delectu omne bonum collegii dependet. Ideo conscientiis Ordinariorum districte onus iniungitur ut, S. Visitationis occasione, ingenium, indolem moresque iuvenum perquirant, deque eisdem Episcopum, praesidem collegii, vel huius rectorem edoceant, apud quos concursus habendus erit, et fieri electio per secreta suffragia, ut subinde, iuxta horum pluralitatem, praeses alumnum deligat et nominet. Diligenter tamen animadvertatur, ne quis ad huiusmodi concursum, praefatis destitutus attestationibus et requisitis, admittatur. Circa vero admissionem alumnorum, qui sunt ex nominatione Cardinalium abbatum commendatariorum, solitum, iuxta conventiones cum eisdem initas, servetur. Postquam autem examinati et delecti fuerint alumni, antequam collegium ingrediantur, rector a patre cuiusque aut alio quopiam eius propinquo coniunctiore, id collegio stipuletur, quod norma tradita Episcopo praesidi praescribitur: ipsaque stipulatio manu publici tabellionis in scripturam redigatur. Ubi vero ingressi fuerint, maneant per decem dies in loco distincto segreges ab aliis, et inibi habeant, qui eos ad pietatem instruat: deturque eis peculiaris rector alumnus qui reliquis maturitate praestet et exemplo, quem domesticam disciplinam observaturi, in morum etiam informatione sibi statuant exemplar. Sed et in ipsis decem diebus confessarius, aut alias, quem rector deputaverit, eos spiritualibus exercitiis detineat, normamque vivendi in collegio et domesticae disciplinae observantiam edoceat, et interim nullum aut eorum cum aliis, aut aliorum cum ipsis commercium intercedat, nisi cum illis tantum, quos praepositi deputaverint. In praefatis etiam diebus generaliter peccata sua vel confessario collegii, vel illi, quem rector assignaverit, confiteantur: quod si quis per aetatem adhuc teneram, et ut secedat ineptus, et ut eiusmodi generalis confessionis fructum percipiat, impar fuerit, utrumque in aliud tempus reiiciat, et tunc secedat per decem dies, et antequam eidem iuramentum deferatur, praefatam generalem confessionem peragat, meditationibus spiritualibusque exercitiis vitam suam vocationi suae concinnabit. Cuncti autem ab initio christianam doctrinam et pietatis rudimenta perdiscant. Alumni tota vita in graeco ritu permanebunt: quod

vinarum rerum morumque bonorum patrimonio italo-graeci ritus iuventutem, divina sic suggerente bonitate, provide disposita fuerunt, optatum desideriorum nostrorum exhibere implementum, iuventutemque praedictam sic enutritam speciosam in conspectu Dei intelligimus crescere in dies; aequum, quin debitum pa-

si quis illum simulatus, nihilominus collegium iuratus fuerit ingressus, falsitate detecta, alimenta solvere compellatur, et, remanens in ritu latino, interim periurii et falsitatis poenas rependat.

CAPUT II.

De exercitiis pietatis.

Quoniam spiritualis aedificii fundamentum est pietas, ideo in id oportet incumbere, ut pietas ipsa alumnorum animis imprimatur. Quamobrem curent per sacramentorum, orationis, lectionis librorum spiritualium atque adhortationum frequentiam sic illos fervidos reddere, ne, quod vocationis suae huiusque instituti proprium est, consequi negligant: quod, ut securius obtineatur, saltem semel in anno per octo dies spiritualibus S. Ignatii exercitiis vacent, praesertim tunc ecclesiastici status officium propositumque identidem considerantes, consiliis spiritualis directoris sui obsequuti ac praeteritae vitae maculas generalis confessionis lavacro diluant, serio animo versantes num valeant humeri immensum sacerdotii pondus sustinere, quod mox erunt subituri. Octavo quoquo die ad sacramentum Poenitentiae accedant, et sacrosanctam Eucharistiam, ubi per aetatem licuerit, quindeno quoquo suscipiant, praetereaque in festis solemnibus et in unoquoquo die dominico adventus et quadragesimae; discant tamen alumni a confessario vel alio spirituali praefecto quemadmodum tantum sacramentum fructuose frequentent. Rei divinae quotidie intersint, et mane rem litterariam oratione auspicentur; quae per dimidiam horam perduret, in qua Deum mente voceque precentur, ut pro sua quisque aetate potuerit; ita ut tamen ministrorum aliquis aut aliquis alumnorum peritior sit veluti orantium anagnostes: idque tum mane, tum sero: si qui vero horariarum precum pensum non persolvisse reperiatur, alia persolvat hora: sed et eas preces, ubi iusserit rector, in ecclesia dicant, quin etiam singulis dominicis aliisque festis de praecepto diebus sacro solemni intersint vesperasque graeco ritu canant, ut et ipsum et reliquas ecclesiasticas coeremonias eiusdem, alibi exercendas, discant, et quotidie Sacrum eodem graeco ritu, sine solemnitate faciendum, audiant, in cuius fine graecam litaniam recitent. Non indignentur ab iis corripi, quibus datum est in choro praeesse; studeant erratum omne corrigere, nec aliquando divina praetermittant officia, quod nolint litterariis exercitiis deesse, quibus modestissime intersint: quique secus fecerit, graviter puniatur. Alumni, etsi ingenio praestent, et studiorum cupiditate incendantur, nihilominus, ubi parum pietati studuerint aliosque consilio vel exemplo ab observantia bonorum ordinum collegii, obedientia et ipsa demum pietate retraxerint, admoneantur, et, nisi resipiscant, dimittantur, ne scabiem suam aliis affricent. Domo festo die non egrediantur, nisi post prandium, dictis vesperis. Toto anni curriculo, praesertim quando feriari ab studio licebit, post prandium, etiam in vacationibus autumnalibus, in cantandis divinis officiis inque coeremoniis ecclesiasticis, iuxta morem orientalis ecclesiae exercendis, vacent, ut eas subinde cum dignitate exerceant, ubi consuetudine comparaverint. Atque eius rei cura conscientiis praesidis atque rectoris onus esto. Quoniam vero in ecclesia collegii, ab indigenis sacerdotibus multa sacra celebrantur, non liceat rectori alumnos ad inserviendum dictis sacerdotibus celebrantibus destinare, nisi tunc, cum illi Sacrum audiunt, ne subinde soli in ecclesia remaneant, neve ordo domesticae disciplinae pervertatur. Utque iidem alumni ab ipso collegii, veluti carcere, proximo suo operarii frugi fiant, singulis dominicis diebus, post prandium, duo ex eis, qui peritiores sint, ad consuetudinem dialogi, christianam doctrinam in ecclesia recitent, ut una ipsi et proximus instruantur: quod quidem exercitium coram rectore aut alio viro gravi, ab eodem rectore deputando, modeste fiat: ita ut alumni ipsi, cum iis, qui extra collegium sunt, nequaquam se misceant. Omnium etiam benefactorum collegii, et potissime illius fundatoris, quotidie inter orandum meminisse decet. Sed pro fundatore quidem proque insigibus quibuscunque benefactoribus anniversarium funebre sacrum solemniter celebretur: pro aliis vero benefactoribus sacerdotes collegii horarias preces et Sacrum in die obitus eorundem celebrent: quo die alumni preces ipsas horarias cantabunt, et hoc etiam fiat quando collegii rector obierit. Perpetuus collegii patronus esto unus ex S. R. E. Cardinalibus a Summis Pontificibus deputandus; qui tamen patronus nec relaxare constitutiones has, nec alienanda vel permutanda collegii bona permittere, nec imponendae cuiuscumque servitutis facultatem alicui, sine expressa Summi Pontificis licentia, tribuere poterit.

CAPUT III.

De officiis et disciplina alumnorum.

Nullus omnino alumnus in collegio detineatur, cuius futurae christianae pietatis significatio non extet, ne cui morbum inhalet suum. Idcirco serio curetur, ne qui huiusmodi, seu ante seu post praestitum iuramentum, detecti fuerint, diu in illo permanere sinantur, quemadmodum nec illi permaneant, ex quibus modicus in litteris poterit augurari progressus, ubi, scilicet, incapaces satis comperti fuerint. Illis, qui annum aetatis suae XIV. compleverint, quique semestrem in collegio moram traxerint, iuramentum ex data formula deferatur; et animadvertant ii serioque recogitent quid iurando promittunt: observare, scilicet, institutum, quousque inibi permanserint, constitutionesque collegii, iuxta mentem praepositorum illius: vitam vivere ceteris alumnis communem, praesertim qua victum, habitationem atque vestitum spectat: neve quid contra praepositos moliantur, aut contra ipsius collegii institutum; si qui vero huiusmodi iuramentum praestare detrectaverint, solutis prius alimentis sibi toto suae morae tempore praestitis, dimittatur. Praecipitur etiam alumnis, ut, sive in sedendo in schola seu alibi, sive eundo agendoque vel intus vel extra collegium, suae quisque integritatis et modestiae exemplum ingerat in sodalem, se quoque mutuo ad modestiae et christianae pietatis canones praevenientes: et quoniam eos non solam pietatem et bonas litteras, sed etiam urbanitatem in collegio consequi decet, idcirco nemo audeat, ne iocose quidem, sodalem manibus tangere; et qui secus fecerit, graviter puniatur: ubi vero quis sodalem suum gravi, praeside, scilicet, illam sic censente, iniuria affecerit, percusserit aut vulneraverit, collegio expellatur. Numquam extra collegium, nisi aegritudinis causa, pernoctent: et hoc de solis civibus Ullanensibus aliisque viciniorum locorum, ne scilicet in propriis pernoctent domibus, statutum intelligatur. Ceterum ipsis hoc idem, permittente rectore, fas esto. Quandiu autem extra collegium, seu aegritudinis caussa seu alia aeque gravi, degerint, in debita se modestia contineant, quae in suis cuiusque moribus operibusque

ternae nostrae reputamus caritatis, ut iuventuti ipsi favorabiliter concedamus, quae recreandis animis fore conspicimus opportuna, ut, recreatis animis, alacrior rectas discurrens studiorum ac dogmatum huiusmodi vias, litteras divinasque res praedictas bonosque mores se provehat assequutura, illisque assequutis spe-

---

refulgeat, ut propinqui eorum, et potissimum genitores, de bona suorum pignorum educatione Deum laudent et fundatorem collegii benedicant: quod si quis ea in re tunc defecerit, redux debitas poenas rependat. Quemadmodum antelucanus egressus alumnis inhibetur: sic statim, nocte ineunte, domi sint, ubi serio curetur, ne ipsi in aliam fenestram accedant, quam quae a praepositi prudentia fuerit designata. Nullus alumnorum, cuiuscumque ordinis, gradus aut conditionis existat, domo incomitatus egrediatur: comitem autem assignabit praepositus, et non quidem e numero eorundem, sed alium maturum virum atque fidelem: quod si quis aut venia non petita, aut incomitatus egrediatur, aut comitem in via vel in alicuius ianua reliquerit, ut intus vel seorsim occulte quid agat cum aliquo, ad aliorum exemplum severa poena non careat. Nemo pecuniam habeat, et si quam habet, aut deponat apud Rectorem, aut, eo consulto, expendat. Distinctio contubernalium diligentius servetur; id enim ad bonum regimen collegii et ad rectam iuventutis institutionem valde spectat: quamobrem ii, qui ex uno contubernio sunt, nec domi nec foris cum illis, qui sunt ex altero, sine venia rectoris, quotiescumque hoc fieri velit, petenda, penitus non communicet: nec veniam ipsam, ut cum aliis loquantur, praeter quam si fuerint eorum parentes, fratres aut propinquiores, nimis concedat rector, qui, ubi opus esse putaverit, dato arbitrio, ut coram eo cum illis loquantur, permittat. Et quoniam collegium unum habet atrium, ideo alumni in illud, nisi alterna contubernia ad animum studio fatigatum lusu pilae reficiendum, non descendant. In hortum vero a pontificia Clementis XII. fundatoris collegii, largitate concessum, donec moenibus non fuerit circumdatum, ire non permittantur: nec quisquam cella, non obtenta venia a praefecto vel indicta huic eius rei caussa, egrediatur: neve ipsis animi caussa, sed necessitatis cella egredi liceat, quibus ne ingredi quidem aut cellam alterius aut officinas fas sit, aut locum aliquem abditum et infrequentem, vel officiis famulorum destinatum. Exteri autem aut cives, cuiuscumque demum gradus aut conditiones existant, cellas ingredi alumnorum, eosdemque, remotis arbitris, alloqui, non petita venia, raro interim et caute concedenda, nequaquam permittantur. Agant alumni cum rectore cumque officialibus, quibus ipsorum cura demandata est, reverenter, iniunctasque sibi ab eis poenitentias prompte et humiliter agant: quod si qui eas detrectaverint et cum illis irreverenter egerint, aut aliis inobedientiae impulsores extiterint, collegio exigantur. Communibus functionibus, tum ecclesiae, tum domi, quam scholae, una et ordine praesto sint: quibus in locis silentium observent: et in schola quidem, iuxta fundatoris vivae vocis oraculum, distinctum ab aliis civibus, si quos in eam praeses pro tempore admiserit, locum occupent. Nemo ferculum remittere vel contumeliose reiicere praesumat, vel palam de edulii quantitate aut qualitate murmurare: sed, si qui error ea in re vel defectus intercesserit, modeste per hebdomadarium rectori renuncient, per quem error ipse aut defectus opportune emendabitur. Numquam se oculis praefecti subducant, nec bini aut terni clandestinos sermones privatis caetibus habeant. Indusiati hyeme et aestate semper dormiant, et ubi indusium mutare oportuerit, aliorum vitent intuitum. Maneat in suo quisque contubernio decenter vestitus, et cuncti uniformiter tondeantur. Statim ac mane surrexerint vestesque induerint, lectulum quisque suum componat, numquam interdiu sternendum, ne aestate quidem, quando meridiare per dimidiam horam permittuntur a pervigilio festi B. M. V. de Bono Consilio, quod celebratur dominico die immediate sequenti post festum divi Marci, usque ad VIII. id. septembris: quo sane die, anno MDCCXXXI., collegii huius fundatio deliberata est. Quare eodem die anniversariam eius rei memoriam, cantato solemni Sacro, ob debitam Deo et B. M. V. gratiarum actionem, celebrabunt, et tunc alumni sacrosanctum Corpus Dominicum pro fundatore suscipient. Nemo res sodalis attrectet, nec locum illius ipso occupet invito, nec lectulo pluteoque incubat. Iurgiis salibusque nigris abstineant, sed potius invicem sincera et christiana urbanitate se honorent. Ut autem ipsis solus usus rerum collegii conceditur, sic de eisdem disponere non poterunt. Extra collegium cibum sumere, nisi permittente praefecto aut rectore, non liceat. In aestivis mensibus ter in hebdomadam, aut pluries arbitrio praepositorum, post prandium, peracta re litteraria, exire in agros, animi caussa, liceat. Ut murmurationis ac privati favoris omnis tollatur occasio, mutua inter eos aut inter ipsos et ministros munerum, missitatio prohibetur. Nemo digniorem locum in triclinio, gymnasio, ecclesia aut alibi affectet; sed illum occupet, quem sibi rector destinaverit. Omnibus alumnis epistolas aliis mittere et sibi vicissim missas recipere, nisi annuente rectore, cui mittendae quidem epistolae nondum obsignatae exhibebuntur, quique illas ferendas curabit, omnino non liceat. Prandere extra collegium sine venia rectoris nequeant: quam veniam semel aut bis ad summum in anno rector dabit, ubi tamen ad parentes fratres, patruos aut avunculos erint pransuri: et tunc ituris ad prandium, si qui dari comes oportuerit, nequaquam detur alumnus, sed alius sit pransuri umbra: ubi vero pranderit, non liceat eidem eo die cum fratribus patruisque aut avunculis ociose ambulare per agros animi causa, sed recta in collegium redeat. Non hanc dumtaxat veniam, sed aliam quamcumque, et omne id, quod bonum regimen, pietatem et rem collegii spectat, rector ad arbitrium prudentiamque praesidis diriget. Scholastica feria semel in hebdomadam, in qua aliud festum non fuerit, alumnis concedatur: et nihilominus eo die pietatis ac privati studii exercitia non intermittant: animadvertentes omnes sermones omneque ocii oblectamentum ecclesiasticis personis convenientia esse oportere. Extra collegium nullum liceat ludere lusum; et ubi obviam sibi viderint gentem, submissa voce colloquantur: fugiantque frequentia et infrequentia sectentur.

CAPUT IV.

Circa studium litterarum et artium.

Meminerint alumni ideo se Apostolicae Sedis sumptibus vivere, ut operam suam studiis collocent: quam ob rem illa sint moderatione contenti, quae, attentis qualitate regionis et angustia rerum collegii, opportuna praepositis videatur. Incumbant animitus studiis, ut utiles S. Ecclesiae operarii evadant, altissimum finem in animo suo versantes, ad quem a fundatore destinati sunt: et ideo rector nervos omnes intendat id omne e medio amoliri, quod studiorum progressum remoretur, ne incuria sua tantus labor tantusque in alendis educandisque iuvenibus sumptus evanescat. In quibus diebus schola silet, privata studii industria obstrepat: et, uno excepto die vacationis per hebdomadam, fere reliquis domi maneant, ubi ocii et vacationis po-

ciosiorem amabilioremque et secundum cor nostrum eidem Domino gentique suae verbo et exemplo boni operis se reddat utiliorem.

§ 1. Cum itaque nos nuper pie exacteque educationi iuventutis praedictae in terris regni Siciliae citra pharum, et praesertim in Calabriae provincia, existentis,

---

terit hora indulgeri. Qui philosophiae, theologiae, etiam morali et scholasticae, vacant, omnibus lectionibus in schola intersint: qua in re rector nihil laxet, nihil indulgeat, nisi matura consideratione praehabita, et certiore de ipsa re praeside effecto. Controversias fidei, quae cum schismaticis, haereticisque nostri temporis intercedunt, accurate explicandas rector curabit, sicut et alias facultates a viris doctioribus magisque idoneis in magistros arcessendis: qui si haberi non poterint, praeses et rector Cardinali protectori supplicabunt, ut habeantur. Nemo cuiuscumque classis vel facultatis sit, exercitiis repetitionis aliisque actibus a magistris faciendis desit. Quisque illud studium sequatur, ad quod rector, consulto magistro, illum destinaverit, utque ita rei maturius rectiusque consulatur, qui sublimioribus facultatibus incumbunt, semel in anno coram praeside examinentur: et ubi ingenii industriaeque vitio minus profecisse reperti sint, spectato maiore Dei servitio, alteri facultati addicantur, in qua fortasse proficient. Non prius alumni philosophiam adire permittantur, quam expedite latine loqui didicerint, et graece eleganter componant. Idcirco postquam in utraque lingua sufficienter fuerint instructi, rhetoricae studebunt, dein vero philosophiam aggrediantur, interim studio graecae linguae non omisso, ut eam perfectissime calleant: quam etiam sublimioribus facultatibus incumbentes cultura et exercitio, recitatis oratiunculis, enarrata in ecclesia catechesi, et in triclinio, singuli, ter aut quater in anno suffulciant. Et catechesim quidem ii, qui ex alumnis magis idonei fuerint, singulis diebus dominicis populum edocebunt: quemadmodum exercitium oratorii tribus per hebdomadam diebus, vesperi in ecclesia, cum interventu duorum aut plurium eiusdem classis arbitrio rectoris peragant. Publicos philosophiae actus, vel theologiae scholasticae et moralis nemini concedatur agere, nisi ei, qui in praefato examine coram praeside aliisque collegii praepositis professoribusque et illis, quos ipse praeses admiserit, habilis reperiatur posse illos cum dignitate peragere. Nec huiusmodi honoris sit particeps, nisi qui merito observantiae bonorumque morum et eximiae doctrinae illo dignus habebitur. Libris, quod valde animadvertendum est, tum in schola, tum privatim, selectissimis utantur. Peracto autem studiorum curriculo, non ultra decimum quintum diem manere in collegio permittantur: in quibus diebus, et semper quo praesentium constitutionum observantiam spectat, se gerant alumnos. Quosdam autem praecellentis virtutis bonaeque indolis liceat praesidi in collegio retinere, ut inibi magistrorum officio aut aliquo alio ministerio fungantur.

CAPUT V.

De rectore, aliisque ministris, et eorum officiis.

Rector collegii ritu sit graeco, natione epirota, quique alumnus vel collegii S. Athanasii de urbe, vel huius extiterit: quod idem sit de magistro graecae linguae, ritus et musices. Semper tamen, alumni collegii huius potiores habeantur. Ut autem nemo se circa harum costitutionum inobservantiam alumnis in utraque mensa ignorantiae caussa tueatur, curet rector, ut constitutiones ipsae, saltem semel in mense, prandentibus legantur, vice consuetae lectionis, ut illarum refricetur memoria sensusque percipiatur: praeterea conscientiis rectoris, directoris spiritualis, ac magistrorum onus iniungitur, ut pro exacta atque omnimoda earum observantia excubent vigilentque, et ubi in aliquo, quem caritate praemonuerint, aliqua emendationis spes non affluxerit, spectato maiore Dei servitio et bono collegii regimine, perlata praesidi notitia huius rei, illum, velut inemendabilem, collegio ipso statim exigant: exactumque persolvere alimenta cogant. Curet etiam rector, ut in praeparandis animis iuvenum ad iuramentum, ex data formula praestandum, cum spirituali directore conveniat, illosque ad id, quatuor ante diebus, in spiritualibus exercitiis peragendis, transactis, praeparent: meditandumque eisdem proponant naturam et pondus iurisiurandi, officia status ecclesiastici, et quid ab eis collegium requirat. Invigilent, potissimum rector, aliique ministri pro bonis iuvenum moribus, eosque semper ad sanctum timorem Domini voce et exemplo excitent: et propterea caveant diligenter, ne coram ipsis sermones alterius generis quam pios et litterarios, vel ad summum de rebus ad collegium pertinentibus, instituant. Invigilet rector ne alumni aliquando ocientur, neve ab ipsis seu litteraria sive laudabilium consuetudinum exercitatio negligatur; quae iam inde ab instituto collegio invecta est. Administratio collegii sit penes eius oeconomum ab Episcopo praeside deputandum, de cuius omnimodo consensu ille necessarios faciet sumtus, eique subinde de acceptis et expensis reddet rationem, nec de solis collegii, sed etiam de ecclesiae redditibus. Liberumque sit ipsi praesidi, ubi et quos voluerit, rationarios videndis eius rationibus dare. Rector cum ministris pro-rectore, directore spirituali magistrisque pie ac civiliter agat, quoniam prudentia eorundem et concordia bonum regimen collegii consistet. In agendo ciboque dividendo privatus favor, quoad poterit, evitetur. Cumque rector aliique ministri secundis mensis prandere soleant, ubi ipsis missus supernumerarius advenerit, hunc cum alumnis compransoribus dividant, ne qui forte, stimulante fame, remurmurent. Rector et ministri bonum exemplum praebituri, silentium, quoad poterunt, una cum alumnis orantes aliosque religionis actus facientes observent. Rectoris sit suggerere Episcopo praesidi, ut scripturas de rebus collegii, signo publici tabellionis signatas, *in plateam*, quam aiunt, sive in librum instrumentorum referendas curet. Eiusdem pariter rectoris sit in peculiari quodam libro, iuxta coeptam methodum notata, habere praenomina, nomina, patriam, parentes, habitus, aetates, mores, habilitates, dies et annos ingressus et egressus alumnorum e collegio. Et potissime iniungitur, ut tablinum in distincto aliquo loco, asservandis praefatis aliisque scripturis ad collegium pertinentibus, ut norma superius laudata praescribit, construatur. Curet denique, ut in collegio graecus ritus, non quo ad sola ieiunia, sed quo ad omnia servetur.

EX TABULARIO COLLEGII, PRO HISTORIA ADDIMUS QUAE CIVILE GUBERNIUM EI CONCESSIT.

Privilegi concessi dal re cattolico al collegio nel 1736.

Entre las demas gracias, que ha supplicando el rey Don Felix Samul Rodotà Arzobispo y presidente del collegio de los statos Albanenses, que nuebamente se ha fundato por Su Santidad en la provincia de Cosenza, para la buona educacion de los jovenes ecclesiasticos y para la mas exacta observancia de la disciplina ecclesiastica, una de dichas gracias ha sido la exsempcion de las collectas e imposicio-

quae in seminariis puerorum latinorum ecclesiasticis eiusdem provinciae, velut pecus dispersum et in alienis receptum caulis, salubria sacrorum ritus praedicti dogmatum non inveniebat pascua illa, per quae, etsi satis enutrita, nihilominus aeternae sibi populoque suo pinguescere non dignoscebatur, ubertati consulere vo-

---

nes, que en dicurso de tiempo, con authoridad apostolica, y real se podrian imponer sobre los bienes ecclesiasticos, y como consequencia tanto sobre los bienes de mismo colegio, por sobre lo que han side senalados al nuebo Obisbo, y aviendo la real clemenza de Sa-Magestad en concederle la exsempcion de las colettas, e imposiciones reales por los bienes, que presentemente estan asignados al colegio y a su-presidente, y si en ello hubiere perinicio a alguna universidad, o particular, vaya a adano de Sa-Magestad, y esto no deba en lo venidero tener mayor extencion. Lo prevengo a u. s. de su real orden, paraque la camara de la sumaria entendida de su sobrana resolucion pueda disponer su debito complimiento. Dios guarde a u. s. muccios anos, como deseo.

Palacio y mayo 18 de 1736.

D. Joseph Joachim de Montealegre
Senor D. Luis Paternò.

Dispaccio del Re di Napoli che trasferisce il collegio nel monastero di S. Adriano lo sopradota coi beni di esso.

Intenta sempre la M. S. a promuovere i mezzi della ben regolata pubblica istruzione, sì dal lato delle scienze, che da quello del buon costume, ha trovato degno di tutta la sua considerazione quanto se l'è rassegnato in ordine al collegio italo-greco. Ha osservato con pena la decadenza, in cui si è ridotto, mentre fu instituito per l'educazione di una parte sì notabile della Calabria Citeriore, e specialmente del clero, che fu preso in veduta dalla S. Sede medesima. I doveri di sovrano, anzi la necessità istessa l'hanno obbligato a non dissimularne il danno, che se l'è fatto presente, e di non abbandonar la cura in un articolo sì importante, che interessa la Chiesa, di cui ogni principe è protettore, e lo Stato. E quindi non trovando altro mezzo da ripararvi, nè sito opportuno da trasferire quel collegio, che sarebbe portato alla distruzione, sì per la insalubrità dell'aere, tale divenuto per le note calamità, sì per le rendite tanto debilitate e rendute insufficienti al peso; facendo uso delle sue facoltà, e perciò commutando la volontà dei fondatori, ha disposto che da S. Benedetto Ullano si trasporti nel monastero di S. Adriano, e che i Monaci Basiliani, che l'occupano, siano distribuiti negli altri quattro monasteri dello stess' ordine nel regno, proporzionandone il maggiore o minor numero alla capacità de' medesimi; e che V. S. Illma, cui la M. S. ne confida l'esecuzione, cerchi di mettere d'accordo i rispettivi Superiori. E perchè non nascan difficoltà nè lamenti di tali monasteri, al cui carico debbono essere i medesimi, comanda che si assegnino ai medesimi per loro sostentamento ducati cinquanta per ciascun religioso, che si trovasse effettivamente incardinato a S. Adriano, da durare però per la loro vita solamente, per aggregarsi in seguito, secondochè ciascuno andrà mancando, al detto collegio, a cui in conseguenza debbano esser incardinati i beni e le rendite col detto peso, e farsene la consegna, precedente il solenne e distinto inventario e stato patrimoniale, al presidente del collegio stesso, coll'incarico di rimetterne copia legale a questa real segreteria dell'ecclesiastico; riservandosi S. M. di spiegare le sue provvidenze per li feudi annessi, e l'esercizio della giuridizione. E poichè è facile che convenga dare altro regolamento nell'interiore di detto monastero, per applicarlo all'uso e bisogno del presidente medesimo, de' collegiali, de' loro maestri, e di ogni altro individuo che sia necessario al ben ordinato stabilimento del medesimo, il re mi ha incaricato di comunicar gli ordini che convengono al presidente del collegio istesso. Ed essendo così sante le sovrane intenzioni, confida S. M. che i Basiliani di S. Adriano, e gli altri dell'intero ordine, portati dal loro instituto ad una vita più perfetta ed evangelica, saranno non solo per concorrere pienamente alla presa indispensabile determinazione, ma per commendarla. Lo partecipo di real ordine a V. S. Illma per l'adempimento.

Palazzo 1 febbraro 1894.

Ferdinando Corradini
al caporuota Peccheneda.

Scilla, 8 giugno 1810.

GIOACCHINO NAPOLEONE

RE DELLE DUE SICILIE

Considerando i vantaggi recati per l'addietro dal collegio italo-greco di S. Benedetto Ullano alla coltura delle lettere, sopratutto fra le popolazioni di questo nostro regno, che è in nostra cura di proteggere; e volendo che questo stabilimento sia non solo conservato, ma fornito benanche di tutti i mezzi che bisognano per essere restituito al suo antico stato di floridezza,

Abbiamo decretato e decretiamo quanto segue:

Art. 1. Il collegio italo-greco di S. Benedetto-Ullano sarà trasferito nel soppresso convento dei Domenicani di Altomonte.

Art. 2. Le annue prestazioni che dal suddetto collegio si pagano ai nostri demanii, di ducati duemila col titolo di pensione al monte frumentario, di ducati ducento per vitalizio dei religiosi Basiliani di Monteleone, e di ducati settantacinque dovuti al soppresso monastero di S. Agrippino di Napoli, gli sono rilasciate.

Art. 3. Quella parte de' beni attualmente posseduta da questo collegio, che un tempo apparteneva alla badia di S. Adriano, sarà commutata in valore con una quantità di beni dei soppresei domenicani di Altomonte.

Art. 4. Questo stabilimento è messo fra le attribuzioni del nostro ministro dell'interno che presenterà alla nostra approvazione i regolamenti coi quali dovrà esser diretto.

Art. 5. Il nominato nostro ministro e quello delle finanze sono incarricati, ciascuno per la parte che lo riguarda, della esecuzione del presente decreto.

Firmato Gioacchino Napoleone

da parte del re
Il ministro segretario di stato
Firmato Pignatelli.

Napoli 8 giugno 1810.

GIOACCHINO NAPOLEONE

RE DELLE DUE SICILIE

Visto il nostro real decreto degli 8 giugno 1810, col quale è disposto che il collegio italo- greco di S. Benedetto Ullano fosse trasferito nel locale dei soppressi domenicani di Altomonte;

Visto l'altro decreto dei 29 di novembre 1811 relativo alla pubblica istruzione;

Visto il rapporto del nostro ministro dell'interno;

lentes, et attendentes ullum aliud remedium utilius adhiberi non posse, quam si in provincia praedicta et in oppido de Ullano Bisinianen. dioecesis uno ex insignioribus reliquis eiusdem provinciae oppidis, quodque fere totum a famulis dicti ritus colitur, unum collegium ritus huiusmodi erigeretur, in quo pueri et ado-

---

Abbiamo decretato e decretiamo quanto segue:

Art. 1. L'antico collegio italo-greco di S. Benedetto Ullano è convertito in liceo destinato alla istruzione delle scienze per le Due Calabrie.

Art. 2. Questo liceo sarà stabilito nel soppresso convento dei Paolotti di Corigliano, cui verrà annesso il contiguo locale della cappella della congregazione di S. Giacomo, alla quale sarà ceduta in compenso la chiesa dell' ospizio dei soppressi Basiliani dello stesso comune.

Art. 3. È in conseguenza rivocata la precedente disposizione, colla quale si stabiliva di trasferirsi il collegio italo-greco nel convento dei Domenicani di Altomonte.

Art. 4. Le annue prestazioni che dal collegio si pagavano al demanio regio; cioè di ducati duemila (lire ottomila ed ottocento) col titolo di pensione al monte frumentario; di ducati ducento (lire ottocento ottanta) per vitalizio dei Basiliani di Monteleone; e di ducati settantacinque (lire trecento trenta) dovute al monastero di S. Agrippino di Napoli: sono rilasciate a questo liceo con tutti gli attrassi dal collegio al demanio dovuti.

Art. 5. Si soprassederà dalla commutazione dei beni ordinata coll' art. 3 del decreto degli 8 giugno 1810, salvo a provvedere sulla commutazione in altri fondi più vicini al nuovo liceo, se questo si troverà necessario, e sul rapporto de' due ministri delle finanze e dell' interno.

Art. 6. È accettata l' offerta fatta dal comune di Corigliano di contribuire alla dotazione del liceo, con dare la somma di ducati dodicimila (lire cinquantaduemila ed ottocento) da prendersi su i ducati ventimila (lire ottantottomila) che per sentenza della commissione feudale dee il comune riscuotere dall' *ex-feudatario* signor duca di Corigliano.

Art. 7. Il ministro dell' interno farà erogare questa somma nelle accomodazioni del locale e nelle spese di primo stabilimento; ed il resto sarà convertito in acquisto di beni.

Art. 8. I nostri ministri delle finanze e dell' interno sono incarricati dell' esecuzione del presente decreto.

Firmata Carolina Reggente

da parte della regina reggente
Il ministro segretario di stato
Firmato Pignatelli.

Napoli 4 luglio 1812.

GIOACCHINO NAPOLEONE

RE DELLE DUE SICILIE

Visto il real decreto de' 29 di novembre 1811 relativo alla publica istruzione:

Visto l' altro real decreto del dì 4 di luglio 1812, col quale l' antico collegio italo-greco di S. Benedetto Ullano è convertito in liceo per la istruzione delle scienze delle Due Calabrie, da stabilirsi in Corigliano;

Considerando che il collegio sudetto, il quale forma la base del nuovo liceo, è stato di sommo vantaggio alla conservazione della lingua e letteratura greca in quella regione, e che fu fondato per la instruzione de quelle popolazioni;

Visto il rapporto del nuovo ministro dell'interno;

Abbiamo decretato e decretiamo quanto segue:

Art. 1. Nel real liceo di Corigliano, oltre alle cattedre definite per simili stabilimenti addetti alla istruzione delle scienze, vi sarà aggiunta una cattedra di lingua e letteratura greca, il cui professore che sarà da noi nominato, avrà il soldo annuale di lire cinquecento, il vitto e l' abitazione.

Art. 2. Indipendentemente dalle piazze franche da fissarsi nel nuovo liceo, ve ne saranno di più stabilite altre sei, cioè quattro pei giovinetti italo-greci, e due per gli altri del rito latino, a fine d' istruire e dirigere i medesimi a divenir professori di greca letteratura.

Queste piazze saranno da noi concedute a quegli alcuni che più si distingueranno in detto ramo d' instruzione.

Art. 3. Il nostro ministro dell' interno è incaricato della esecuzione del presente decreto.

Firmato Gioacchino Napoleone

da parte del re
Il ministro segretario di stato
Firmato Pignatelli.

Caserta 20 Ottobre 1860.

Italia e Vittorio Emanuele.
Il dittatore dell' Italia meridionale,
In considerazione dei segnalati servigi resi alla causa nazionale dai prodi e generosi Albanesi:

Decreta

Cessati i bisogni della guerra e costituita l' Italia con Vittorio Emanuele, dovrà il tesoro di Napoli somministrare immediatamente la somma di dodicimila ducati per l' ingrandimento del collegio italo-greco di S. Adriano.

Io pongo sotto la garanzia della nazione e del suo magnanimo Sovrano, l' esecuzione di giustizia del presente decreto.

G. Garibaldi.

Alleg. A.

Napoli 26 Ottobre 1860.

IN NOME DI SUA MAESTÀ

VITTORIO EMANUELE RE D' ITALIA

IL PRODITTATORE
IN VIRTÙ DELL' AUTORITÀ A LUI DELEGATA.

Prendendo in considerazione le condizioni attuali del collegio italo-greco di S. Adriano in Calabria Citra, e desiderando ricondurre alla sua primitiva istituzione questo nobile stabilimento, ch' è fonte di civiltà per la gioventù albanese di quella provincia e della confinante Basilicata, e che per le vicende de' tempi è stato in gran parte deviato dai suoi primitivi ordinamenti;

Volendo in oltre sceverarlo da ogni ingerenza estranea a' suoi naturali reggitori, e ricondurre le cose alla primiera e vetusta fondazione, con apportarvi al tempo stesso que' miglioramenti che la progrediente civiltà rende necessari a profitto della gioventù studiosa:

Sul rapporto del ministro di grazia e giustizia, incaricato temporaneamente a reggere anche il ministero degli affari ecclesiastici;

Udito il consiglio de' ministri:

Decreta

Art. 1. Le sovrane risoluzioni del cessato governo borbonico che ponevano il collegio di S. Adriano sotto la dipendenza dell' Arcivescovo di Rossano, o di altri prelati, sono pienamente rivocate.

lescentes ex Epiro et regni praedicti terris citra pharum, ex honestis parentibus legitimoque matrimonio nati alerentur, et graecis litteris, artibus liberalibus, disciplinis scientiisque, praesertim theologicis, nec non ecclesiasticis ritibus a probatae fidei ac doctrinae ritusque praedicti eruditis viris sedulo instituerentur,

---

Il collegio ritornerà nello stato della sua primitiva indipendenza, e non riconoscerà altra autorità superiore, se non il ministero degli affari ecclesiastici per la parte amministrativa e regolamentare.

Art. 2. In luogo del presidente del collegio Monsignor D. Agostino Franco, Vescovo di Ermopoli, da lungo tempo assente, è reintegrato nella carica di vice-presidente il sacerdote greco D. Antonio Marchiamò, destituito per le vicende del 1848, e lungamente incarcerato.

Egli avrà l' annuo emolumento di ducati duecento.

Art. 3. Affine di tutelare meglio gl' interessi del collegio, e provvedere alla esatta amministrazione delle sue rendite, è creata una commissione composta dal vice-presidente, dal rettore, e da un altro sacerdote greco che sia benemerito dello stabilimento. Questa commissione curerà di migliorare gli introiti, sceglierà i professori, interverrà nella stipula de' contratti, formerà lo stato discusso, ed invigilerà acciò l' amministrazione proceda con la più scrupolosa regolarità. Le sue deliberazioni saranno prese a maggioranza di voti, verranno trascritte in apposito registro, e volta per volta immediatamente sottoscritte da tutti e tre i componenti la commissione: in caso di dissenso, potrà il discordante assegnare le ragioni nello stesso registro.

Art. 4. Il rettore sarà il segretario della commissione, e come tale avrà il carico della redazione delle deliberazioni, e quelle della corrispondenza, e sarà inoltre il razionale del collegio.

Art. 5. È nominato alla carica di rettore il sacerdote D. Benedetto Scura, che ha prestato al collegio assai utili e rilevanti servigi. Egli godrà l' annuo emolumento di ducati censessanta, ed una indennità di ducati quaranta in compenso delle funzioni di segretario e di razionale che vi sono annesse.

Art. 6. È nominato membro della commissione l'altro sacerdote greco D. Francesco Saverio Elmo, con l' annuo emolumento di ducati censessanta, restando in facoltà del vice-presidente di affidargli anche una cattedra di lingua greca o di matematica, secondo che meglio stimerà opportuno.

Art. 7. In caso di legittima mancanza di qualcuno de' membri della commissione, sarà chiamato a rimpiazzarlo uno de' professori del collegio a scelta del vice-presidente.

Art. 8. In caso d' infermità o di altro impedimento legittimo del vice-presidente, il direttore ne assumerà di pieno diritto le funzioni.

Art. 9. Ne' primi dieci giorni di febbraio di ciascun anno saranno rimessi al ministero degli affari ecclesiastici i conti della gestione dell'anno precedente, firmati pagina per pagina, e sottoscritti infine da tutt' i componenti la commissione. Nell' inviare tali documenti potrà la commissione proporre tutte le misure che reputerà acconce al miglioramento tanto morale e scientifico, che materiale del pio luogo.

Art. 10. Oltre delle cattedre che attualmente esistono, appena lo stato delle rendite il consentirà, la commissione curerà di fondarne altre di lingua e letteratura italiana, di fisica sperimentale e di diritto.

Art. 11. I professori del collegio potranno essere laici, dovendo solo aversi cura che la scelta cada sopra soggetti riputati per sapere e per probità.

Art. 12. Dal dì 1. del prossimo novembre in poi, l'assente Vescovo di Ermopoli, che non presta alcun servizio al collegio, percepirà soltanto la metà della sua prebenda: l'altra metà sarà rilasciata a beneficio dello stabilimento.

Art. 13. Anche nel caso che il detto Vescovo di Ermopoli ritorni nel collegio, l' amministrazione sarà sempre tenuta dal vice-presidente e dalla commissione creata con l' articolo 3., senza che possa egli prendervi ingerenza alcuna. Le sue funzioni dovranno limitarsi unicamente alle ordinazioni e ad amministrare la Cresima ne' paesi di rito greco.

Art. 14. La commissione dovrà, a sua responsabilità, aprire il collegio ne' primi dieci giorni di novembre di ciascun anno, nè potrà chiuderlo se non al principio di settembre. Quei convittori però che per distanza dalla loro patria o per altre ragioni non potranno recarvisi, saranno facultati a dimorare nel collegio durante le ferie autunnali.

Art. 15. Resta abolita la disposizione che prescrive doversi gli alunni gratuiti sottoporre ad un esame preventivo per essere ammessi, ed in conseguenza sono richiamati in vigore gli antichi regolamenti, che accordano il beneficio degli alunni gratuiti indistintamente a tutt' i comuni albanesi di rito greco, senza il detto sperimento.

Art. 16. Il ministro di grazia e giustizia, incaricato temporaneamente a reggere anche il ministero degli affari ecclesiastici, è incaricato della esecuzione del presente decreto.

Il prodittatore
GIORGIO PALLAVICINO

Il min. di grazia e giustizia,
incar. temp. a reggere anche il minist.
degli affari ecclesiastici
P. SCURA.

VITTORIO EMANUELE II.

PER GRAZIA DI DIO E PER VOLONTÀ DELLA NAZIONE

RE D' ITALIA

Visto il decreto prodittatoriale del 26 ottobre 1860, con cui fu provveduto allo ordinamento del collegio italo-greco di Sant' Adriano in Calabria Citra;

Ritenuto la necessità di modificarne in alcuna parte l'ordinamento stesso, e di porre alcune norme speciali di amministrazione, affinchè meglio possa essere raggiunto lo scopo voluto dal preaccennato decreto;

Sulla proposizione del nostro guardasigilli ministro di grazia e giustizia e dei culti;

ABBIAMO DECRETATO E DECRETIAMO

Art. 1. Il collegio italo-greco di Sant' Adriano sarà governato nei modi stabiliti dal decreto prodittatoriale del 26 ottobre 1860, e dal presente regolamento.

Art. 2. L' Amministrazione ne è affidata ad una commissione, composta secondo l' articolo 3. del decreto precitato, e saranno applicabili alla medesima tutte le leggi, decreti e regolamenti relativi all' amministrazione dei pubblici stabilimenti di educazione, che non siano in opposizione col decreto prodittatoriale ripetuto.

Art. 3. Il rettore del collegio terrà lo ufficio di segretario della commissione, e quello di razionale viene affidato al sacerdote greco che col rettore anzidetto e col vice-presidente del collegio è chiamato a comporre la commissione amministrativa.

Art. 4. La commissione amministrativa è specialmente incaricata di tuttociò che tocca l' amministrazione, la disciplina ed il buon andamento morale ed economico del collegio.

ut, postquam in huiusmodi studiis profecissent, non solum spiritualibus suae nationis necessitatibus, verum etiam orientalibus missionibus, eorum laudabilem operam locare valerent, deindeque, divina gratia nostris favente desideriis, recta sacramentorum ac divinorum officiorum administratio sperari posset, ac sana et

---

Essa curerà la osservanza degli statuti e regolamenti relativi al collegio, sotto l'alta direzione e sorveglianza del ministero di grazia e giustizia e dei culti.

Art. 5. Le risoluzioni della commissione vengono pigliate a maggioranza di voti. In caso di discordanza di parere, potrà essere inserita nel verbale la motivata opposizione dei dissenzienti.

Art. 6. La commissione amministrativa dovrà in ogni triennio compilare il progetto del bilancio presuntivo, indicando tutte le entrate ordinarie, e fissando in correlazione a questo le spese ordinarie, straordinarie ed imprevedute.

Questo progetto di bilancio dovrà, prima del cadere del mese di agosto, che ne prende lo esercizio, essere trasmesso all'approvazione del nostro ministro di grazia e giustizia e dei culti, con tutti i necessari documenti giustificativi.

Quando sorgesse necessità di modificarne il bilancio triennale, dovrà la commissione apparecchiare un progetto di variazione riferibile alle sole categorie nelle quali occorre variazione, e questo progetto sarà rassegnato al ministro predetto entro il mese di ottobre dell'anno che precede il nuovo esercizio.

Art. 7. Per gli affitti di fondi rustici ed urbani appartenenti al collegio dovranno serbarsi le norme designate dal decreto 31 agosto 1842, in quanto non ostino le leggi vigenti.

Art. 8. Le provviste dei generi di vitto ed equipaggio ed ogni altra cosa bisognevole al collegio, nonchè i lavori da eseguirsi nel medesimo e nei beni relativi, saranno dati in appalto, quando richieggano una spesa superiore alle L. 100.

Però tanto dalla osservanza delle norme per gli affitti designati nell'art. 7, quanto dalla necessità dell'appalto di cui nell'art. presente, potrà essere data dispensa dal ministro di grazia e giustizia e dei culti dietro motivata deliberazione e proposta della commissione amministrativa.

Art. 9. La commissione amministrativa deve curare la esazione di tutte le rendite del collegio, qualunque ne sia la provvenienza, usando a tempo opportuno i mezzi coattivi consentiti dalle leggi e regolamenti vigenti, contro i debitori morosi.

Non farà alcuna riscossione senza rilasciarne ricevuta firmata da tutti i tre (o due almeno) componenti la commissione e registrata in contabilità dal razionale.

Art. 10. La commissione amministrativa deve ogni anno, appena chiuso l'esercizio finanziario, compilare e rendere conto della sua gestione per il periodo dal 1 gennaio a tutto decembre, secondo l'art. 9 del decreto prodittatoriale.

Questo resoconto, col visto del razionale e coll'accompagnamento del bilancio e degli analoghi documenti giustificativi per la parte attiva e passiva, sarà trasmesso nel mese di febbraio successivo al ministro predetto per la sua definizione ed approvazione.

Art. 11. Il razionale del collegio dovrá tenere il libro maestro delle entrate e delle spese, inserendo nel primo tutte le opportune indicazioni del debitore, delle somme dovute, delle scadenze dei pagamenti eseguiti, la data dei mandati, l'articolo corrispondente del bilancio, oppure l'autorizzazione ministeriale accordata ai sensi dell'ultimo capoverso dell'art. 8.

Terrà finalmente (oltre il giornale in cui sarà descritto qualunque operazione d'introito e d'esito di denaro, derrate, od altri oggetti) un registro per le entrate od altro, per le spese, trascrivendo in questo ogni mandato di pagamento, ed in quello le quietanze rilasciate dalla commissione.

Art. 12. Si avrà pure dal razionale un registro, nel quale saranno notati tutti gli alunni del collegio, coll'indicazione del giorno di loro ammissione ed uscita, a secondo delle diverse cause, in esso si scriverà il rispettivo dare degli alunni, i pagamenti fatti e le rate che ancora vi fossero da pagare.

Da questo registro trarrà il razionale giornalmente la cartella diaria, che, firmata dal rettore del collegio, sarà passata alla commissione amministrativa per essere prodotta col conto in giustificazione della spesa di vitto.

Art. 13. È carico del razionale verificare i conti e le note delle spese, tenendo presenti i contratti ed ogni altro relativo titolo, il bilancio e le particolari disposizioni ministeriali correlative.

Il razionale deve inoltre tenere al corrente la scrittura e compilare le liste di carico, che passerà alla commissione amministrativa, trasmettendo alla stessa in ogni bimestre la posizione dei crediti del collegio per curarne la esazione.

Art. 14. Il segretario ha la responsabilità della conservazione dello archivio, degli antecedenti relativi alla corrispondenza, e di contratti e titoli appartenenti all'amministrazione del collegio. Deve assistere la commissione in tutte le sue attendenze, stendere le deliberazioni ed eseguire ogni analogo lavoro che sia dalla medesima disposto.

Presenterà in ogni sessione ai singoli componenti la commissione una nota degli affari da risolvere, comunicherà gli ordini e le disposizioni della commissione, contrassegnerà colla sua firma quelli dei componenti la commssione, apporrà il suggello del collegio a tutti gli atti, copie ed ordini, atti giudiziari che saranno intimati all'amministrazione del collegio, dopo averli rassegnati alla disamina della commissione.

Il segretario terrà due registri, nell'uno dei quali trascriverà le deliberazioni della commissione, nell'altro indicherà l'entrata delle carte col rispettivo numero d'ordine, data ed oggetto, e la uscita delle medesime colle medesime indicazioni.

DISPOSIZIONI TRANSITORIE

Art. 15. La commissione amministrativa dovrà entro il termine di mesi due dalla data del presente decreto apparecchiare e proporre all'approvazione del nostro ministro di grazia e giustizia e dei culti un regolamento interno per il collegio, riguardante specialmente la istruzione, la disciplina, l'ammissione degli alunni e convittori, la pensione da essi dovuta, ed ogni altra cosa relativa all'ordinario procedere del collegio.

Art. 16. Per la cura del razionale dovrà nello stesso termine formarsi uno inventario generale, in cui siano descritti tutti i fondi, redditi, capitali ed altri effetti di qualsiasi natura, appartenenti al collegio, indicando i titoli di proprietà corrispondenti, nonchè i canoni, le annalità costituite, i legali ed ogni altro peso reale, onde sia gravato il collegio.

Una copia di detto inventario, verificato ed approvato dalla intera commissione amministrativa sarà trasmessa al ministero di grazia e giustizia e dei culti.

Il ministro guardasigilli è incaricato dell'esecuzione del presente decreto.

Dato a Torino li 23 ottobre 1864.

Firmato VITTORIO EMANUELE

Contrasegnato *G. Vacca.*

Per copia conforme il direttore capo di divisione.

integra fidei praedicatio ac doctrina respective in Orientis quoque partibus aliquandiu restitueretur; propterea monasterio, abbatia nuncupato, S. Benedicti de Ullano nuncupati, eiusdem S. Benedicti seu alterius Ordinis, praedicti oppidi de Ullano, quod dilectus filius noster Petrus Aloysius Tit. S. Laurentii in Pane et Perna nuncupati de urbe, S. R. E. Presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus, in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis tunc obtinebat, prout adhuc obtinet de praesenti, palatium abbatiale cum omnibus et singulis eiusdem palatii mansionibus, aedibus, aedificiis, officinis aliisque eius membris, nec non omnibus et singulis domunculis eidem palatio annexis, ecclesiamque eiusdem S. Benedicti eidem palatio propinquam, et in qua animarum cura parochianorum dicti monasterii, quae illius Abbati perpetuo commendatario, pro tempore existenti, suberat, per unum presbyterum idoneum ab eodem Abbate perpetuo commendatario nominandum et ab Ordinario loci approbandum exercebatur, ac perpetuam sine cura cappellaniam in dicta ecclesia, cui per alium presbyterum ritus praedicti ab eodem Abbate perpetuo commendatario tunc deputato deserviebatur, cum onere unius missae singulis festis diebus inibi ab eodem celebrandae sub certa eleemosyna ab eodem Abbate pro celebratione cuiuslibet missae huiusmodi persolvenda, apostolica auctoritate de praedicti Petri Aloysii Cardinalis consensu, sub certis modo et forma tunc expressis, motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo dismembraverimus, separaverimus et segregaverimus, illudque sic dismembratum, separatum et segregatum, in collegium puerorum et adolescentum ritus graeci ex Epiro oriundorum, et in dicto regno, quod Neapolitanum nuncupatur, ex vere catholicis parentibus ortorum in oppido praedicto auctoritate motuque similibus etiam perpetuo erexerimus et instituerimus; eique sic erecto et instituto ecclesiam et domunculas praedictas, praevia animarum curae parochianorum a monasterio, nec non iuris nominandi unum pro exercitio curae animabus huiusmodi ac deputandi alterum presbyterum pro ecclesiae a nobis, sic, ut praefertur, dismembratae servitio, missaeque huiusmodi celebratione, ab Abbate perpetuo commendatario abdicatione, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo univerimus, annexerimus et incorporaverimus, dictamque curam per dicti collegii rectorem pro tempore existentem, cui collegium praedictum congruam substentationem assignare deberet et teneretur, exercendam; nec non ius nominandi et deputandi presbyterum pro dicta missae celebratione, qui unus ex eiusdem collegii ministris, non tamen illius rector existeret, ad dicti collegii rectorem, pro tempore existentem, praedictum (cum hoc tamen, quod pro tempore existens dicti monasterii Abbas perpetuus commendatarius eidem collegio pro huiusmodi missae celebratione consuetam eleemosynam persolvere deberet et teneretur), eadem apostolica auctoritate, de pari dicti Petri Aloysii Cardinalis consensu transtulerimus; eidemque collegio a nobis, sic, ut praefertur, erecto, pro illius dote illiusque alumnorum, magistrorum, praefectorum aliorumque ministrorum ei inservientium substentatione, omnes et singulos fructus, iura, obventiones et emolumenta universa, tam certa, quam incerta, ex cura animarum parochianorum huiusmodi et alias quomodocumque et undecumque ex domunculis praedictis provenientia, et in quacumque re consistentia; nec non omnes et singulas taxas, quae seminariis puerorum ecclesiasticis latini ritus in dicto regno existentibus, a praedicto aliisque monasteriis commendari solitis, et eiusdem ritus existentibus, atque ab illorum respective Abbatibus perpetuis commendatariis et ad praescriptum Concilii Tridentini persolvebantur, praevia taxarum huiusmodi a praedictis seminariis ritus latini huiusmodi, quae ulterius pueros italo-albanos ritus graeci admittere non tenerentur, separatione, collegio a nobis, ut praefertur, erecto; itaut praedictum aliaque monasteria et beneficia existentia in locis terrisque praedictis italo-albanorum praedicti ritus graeci pro tempore respective obtinentes taxas ab eis seminariis ritus latini huiusmodi, ut praefertur, persolvi solitas, in posterum collegio a nobis, ut praefertur, huiusmodi erecto persolvere deberent et tenerentur, eadem apostolica auctoritate motuque pari etiam perpetuo applicaverimus et appropriaverimus; ac insuper nos summam sex millium scutorum monetae romanae ad effectum illam in tot bona stabilia et utilitatem ac manuten-

tionem dicti collegii investiendi ex apostolicae nostrae liberalitatis benignitate in eiusdem collegii a nobis, ut praefertur, erecti subsidium assignaverimus, elargiti fuerimus et donaverimus; curam vero, regimen, administrationem collegii a nobis, ut praefertur, erecti huiusmodi ven. fratri nostro moderno et pro tempore exsistenti Episcopo Bisinien., per eum sub legibus praescribendis servataque forma Concilii praedicti regendum, gubernandum et administrandum commiserimus et mandaverimus; aliaque desuper decreverimus, statuerimus, concesserimus et indulserimus, quae felici dicti collegii successui conspeximus in Domino salubriter expedire, prout in nostris desuper confectis, et sub datum v. id. octobris, pontificat. nostri anno tertio expeditis litteris, quas praesentibus de verbo ad verbum, et nihilo penitus omisso, haberi volumus, pro insertis plenius continetur; et, sicut non sine hilari animi nostri exultatione accepimus, palatii praedicti dismembratio illiusque in collegium praedictum opus a pluribus Rom. Pontificibus praedecessoribus nostris semper concupitum, erectio et institutio ac taxarum huiusmodi applicatio, nec non maioris partis sex millium scutorum eidem monasterio, a nobis, ut praefertur, largitorum et donatorum in evidentem eiusdem collegii utilitatem investimentum, aliaque omnia et singula praemissa, servata forma nostrarum litterarum praedictarum ex vigili studio seduloque labore dilecti filii Felicis Samuelis Rodotà presbyteri Bisinianen., seu alterius civitatis vel dioecesis, qui nostrae bibliothecae Vaticanae nec non Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis de Propaganda Fide Praepositorum servitiis laudabiliter insistit, et quem nos in primum eiusdem collegii rectorem ad praemissorum exequendorum effectum deputavimus, ope sibi assistente divina, eorum debitum sortita sint effectum, collegiumque praedictum ab eodem Felice Samuele in illius veteribus et iam ruentibus instauratum, novisque aedibus pro rectoris, alumnorum, magistrorum aliorumque inibi intervenientium ministrorum commodo adauctum, novaque sacristia, congrua decoraque sacra supellectili instructa pro illius ecclesia praedicta eiusdem Felicis Samuelis propriis sumptibus expensisque, non ad modicam summam ascendentibus et per eundem eidem collegio donatis et largitis, prout in instrumento donationis huiusmodi per acta dilecti quoque filii Caroli Pignataro notarii publici sub die XIV. mensis februarii millesimo septingentesimo trigesimo quarto rogato, plenius continetur, ditatum usque de mense februarii anni Domini proxime praeteriti, pro introducendis in illud eius futuris alumnis, ad divini nominis gloriam adapertum fuerit; et in illud sic adapertum septemdecim iuvenes probae piaeque indolis ex diversis dicti regni dioecesibus, iuxta praedictas nostras litteras qualificati, necnon tres presbyteri magistri ac duo ministri laici pro eorumdem alumnorum in eodem collegio existentium servitio introducti fuerint et existant de praesenti; iuvenes vero praedicti, sic, ut praefertur, introducti inibi sub felici rectoris ac magistrorum praedictorum regimine, tam in ecclesiastica disciplina, quam in studiorum progressu eorumque probae sagacisque indolis cultu, sic magis magisque proficiant in dies, ut ex laudabilibus eorum iuvenilis aetatis indiciis verisimiliter concipitur, quod succedentibus sibi annis solidisque sacrarum litterarum pietatisque viribus, se in viros producturi sint virtuosos, et tamquam igniti ad inoletos suae nationis abusus erroresque undique terrendos evertendosque ab eodem collegio egressuri sint leones; et licet ex omnibus et singulis praemissis collegii praedicti illiusque rectoris, magistrorum, alumnorum aliorumque ministrorum praedictorum congruae manutentioni, substentationi, commoditatibus necessitatibusque satis consultum esse dignoscatur, nihilominus, cum nullus in dicto collegio adsit locus in quo iuventus praedicta, a studiorum vacans labore, per aperti aeris amoenitatem a studiis praedictis levatum recreare valeat animum, eoque sic recreato promptior validiorque ad studia ipsa redeat prosequenda; verum si viridarium, vulgo ***Orto dell'Abbate*** nuncupatum, inter reliqua primo dicti monasterii bona existens et ad illud spectans, dictoque palatio in collegium praedictum, ut praefertur, erecto, propinquum ac fere adhaerens, nonnullis paucis consitum arboribus Moris, scutorum decem monetae romanae annui reditus, valoris vero in proprietate centum circiter scutorum dictae monetae eidem collegio a nobis, ut infra applicaretur et

appropriaretur, et applicatione et appropriatione a nobis, ut infra, faciendis, omni modo: eiusdem collegii illiusque iuventutis satis satisque consultum foret commodo: nos, igitur, qui collegium primo dictum, desumpta sibi a familia nostra nuncupatione, iuvenesque praedictos praecipue paterni nostri amoris prosequimur affectu, illorumque omnimodis commodis in praemissis prospicere, eisque et eorum quibuslibet specialem gratiam facere volentes, nec non Felicem Samuelem modernum eiusdem collegii rectorem, nec non magistros, alumnos aliosque ministros praedictos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, omniaque et singula a praedicto Felice Samuele, in vim nostrarum litterarum praedictarum laudabiliter gesta, apostolica auctoritate praedicta approbantes et confirmantes, eique apostolicae firmitatis robur adiicientes, ac omnes et singulos defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplentes, motu, scientia et apostolicae potestatis plenitudine similibus, viridarium praedictum cum omnibus et singulis arboribus praedictis a primo dicto monasterio, de consensu praefati Petri Aloysii Cardinalis nobis praestito, eadem apostolica auctoritate, perpetuo dismembramus, segregamus et separamus, illudque sic dismembratum, segregatum et separatum, collegio primo dicto, cum omnibus et singulis pertinentiis et iuribus suis, quibus primo dicti monasterii Abbates perpetui commendatarii, pro tempore existentes, gavisi sunt (ita quod liceat eidem collegio illiusque rectori per se vel per alium seu alios, eiusdem collegii nomine, dicti Viridarioli, nec non omnium et singulorum iurium et pertinentiarum praedictorum, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illiusque fructus, reditus et proventus percipere, exigere et levare, ac in eiusdem collegii usus et utilitates convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita), eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, appropriamus et incorporamus. Ut autem collegium praedictum in annuis super primaevae fundationis a nobis, ut praefertur, adsignatis reditibus congruam sibi semperque certam inveniat substentationem, et ne ob non factam in nostris litteris praedictis de taxa, ad quam rationem et ex quibus monasterii praedicti illa sibi, ut praefertur, applicata, persolvenda sit, expressam mentionem, idem collegium aliquas successu temporis irrepat quaestionis materias, et interim taxae, ut praefertur, eidem collegio applicatae, huiusmodi solutio suspendatur, eaque suspensa, collegium primo dictum aliquod substentationis suae patiatur detrimentum, nos taxam eidem primodicto collegio, ut praefertur, applicatam huiusmodi a primo dicto S. Benedicti de Ullano, quod praedictus Petrus Aloysius, nec non a S. Mariae de Lungro, quod Laurentius S. Mariae in via lata de Alteriis, et a S. Hadriani, quod Nicolaus S. Mariae ad martyres nuncupatae, de Iudice, ac S. Mariae de Mattina S. Marci, quod Franciscus Antonius S. Xysti titulorum Fyni dilecti filii nostri S. R. E. Cardinales, ac S. Mariae *del Patire* nuncupatae, seu S. Georgi monasteriis praedictis S. Benedicti Cistercien. ac S. Basilii, seu alterius respective Ordinum, Coriglianen. oppidorum seu locorum respective Rossan. dioecesis, quod ven. frater noster Thomas eiusdem S. R. E. Cardinalis Ruffus nuncupatus Episcopus Praenestinus in commendam ad eorum vitam ex concessione et dispensatione apostolicis; nec non a S. Mariae de Acquaformosa Cassanen. dioecesis eiusdem S. Benedicti, seu alterius Ordinis, quod ven. quoque frater noster Ioseph Spinelli modernus Archiepiscopus Corinthien., in similem commendam ad eius vitam respective obtinent, et a Petro Aloysio, et Laurentio, ac Nicolao, et Francisco Antonio, et Thoma Cardinalibus, nec non Iosepho praedictis illorumque respective successoribus, monasteria praedicta nunc et pro tempore quomodolibet respective obtinentibus, eamque ad rationem in costitutione fel. rec. Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri super modo et forma imponendi solvendique taxas huiusmodi in subsidium seminariorum pro tempore imponendas et persolvendas, in concilio rom. edita, constitutam, servatisque in omnibus et per omnia modo et forma in eadem constitutione praescriptis, tam

quoad hactenus persolutam, quam in posterum persolvendam, persolvi omnino debere apostolica auctoritate praedicta perpetuo declaramus, satuimus et decrevimus.

§ 2. Ac demum eximiis ac laudabilibus nobisque notis praedicti Felicis Samuelis eiusque familiae erga dictum collegium caritatis aeque apostolicae nostrae liberalitatis lance a nobis pensatis meritis, pro Felice Samuele eiusque familiae, et a dilecto etiam filio Mauritio etiam Rodotà, praedicti Felicis Samuelis fratre germano, descendentibus in infinitum, ius nominandi seu eligendi unum ex pueris, iuxta nostras litteras praedictas, debite qualificatum, in collegium primo dictum introducendum, ac inibi, donec studia praedicta expleverit ac usque ad studiorum huiusmodi consummationem, alendum, motu potestatisque plenitudine praedictis perpetuo concedimus et reservamus: dictumque ius nominandi seu eligendi puerum huiusmodi, non ex privilegio aut alio quocumque titulo lucrativo, sed ex fundatione tituloque meritorum praedictorum onerosa Felici Samueli eiusque familiae et ex praedicto Mauritio descendentibus competere, illoque semper pacifice frui et gaudere debere.

§ 3. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore, etiam pro eo, quod causae, propter quas eae emanaverint, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede Apostolica delegatis vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac monasteria praedicta nunc respective, ut praefertur, obtinentes, ac quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praesentibus consenserint, sive alias ex quibuscumque causis, quantumvis legitimis et iuridicis, de nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci vel adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus pro tempore factis, comprehendi, sed tamquam profundatione seu dotatione dicti collegii italo-graeci ritus huiusmodi ad bonarum artium cultum instituti concessa, minime comprehendi, sed semper ab iis excipi, et quoties illae emanaverint, toties in pristinum, et eum, in quo antea, quomodolibet erant, statum restituta, reposita, plenarie reintegrata, ac de novo sub data per Felicem Samuelem modernum et pro tempore existentes rectorem, alumnos, ministros et descendentes praedictos quodcumque eligenda, concessa fore et esse, suumque plenarium et integrum effectum sortire debere: nec quemquam ad easdem praesentes litteras in camera nostra, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV., etiam praedecessoris nostri, desuper editam, aut alias quandocumque praestandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque illas propterea irritas, sed omnino valere et suffragare, perinde ac si praedicti Pii constitutio huiusmodi vel alia contraria minime emanasset; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores dictaeque S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, interpretandi et definiendi forma, facultate et auctoritate, in quavis causa, instantia et in quovis iudicio iudicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decrevimus. Quocirca praedicto et pro tempore existenti Episcopo Bisinianen. et ven. fratri nostro Archiepiscopo Cosentino ac dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae Nuncio in regno Neapolitano pro tempore commoranti, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Felicis Samuelis et pro tempore existentium rectoris, magistrorum, alumnorum et ministrorum praedicti collegii, nec non aliorum ad id interesse habentium praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, eisque in praemissis efficaces defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes et in eis contenta huius-

modi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac Felicem Samuelem et pro tempore existentes rectorem, magistros, alumnos et ministros collegii huiusmodi ac alios interesse habentes praedictos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 4. Non obstantibus recolendae mem. Bonifacii PP. VIII. pariter praedecessoris nostri, in qua cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu non iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant seu praesumant, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac nostris de non tollendo iure quaesito et applicationibus ad partes committendis, quorum interest, exprimendo valore beneficii, cui aliquid applicari petitur, nec non Pii praedecessoris praedicti de gratiis, interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus infra certum tunc expressum tempus in ea registrandis, aliisque apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus, et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, nec non camerae nostrae ac monasteriorum ac respective Ordinis, cuius illa respective existunt, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis monasteriis praedictis illorumque respective Ordinis Abbatibus perpetuis commendatariis, superioribus conventibus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, per quoscunque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam quomodolibet concessis, indultis et approbatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores ac formas huiusmodi eisdem praesentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et in illis forma tradita servata, inserti forent, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnat. Dominicae MDCCXXXIV., kal. Iulii, pontificatus nostri anno IV.

V.

Nonnullas apostolicas literas Ordinibus regularibus et mendicantibus, a piae memoriae Benedicto Papa XIII. concessas, moderatur ac reducit ad terminos iuris communis, Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum.

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Romanus Pontifex, quem coelestis paterfamilias vineae suae custodiendae praeposuit, diu noctuque operarios, impigre in ea laborantes, circumspicit, congruam, immo amplam mercedem eis largiturus, ut vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare possit.

Privilegia Ord. reg. concessa, ob pacem Ecclesiae ad moderationem revocantur.

§ 2. Sane felicis recordationis praedecessor noster Benedictus Papa XIII. strenuas Ordinum regularium et mendicantium cohortes hanc Domini vineam at-

que agrum Ecclesiae indesinenter colere conspicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam nos ipsi utique afficimur, plura eis privilegia concessit, ratus, ea pari voluntate universim excipienda: quod tamen secus evenisse, nos ad supremi sacerdotii apicem, disponente Domino, evecti, aegre intelleximus; inde nimirum praeter omnem expectationem nostram variis litibus et controversiis exortis, ac, nisi opportune occuratur, fortasse imposterum exorituris. Quare nonnullis ex huiusmodi literis et constitutionibus apostolicis mature perpensis, ad sedandos rumores propterea excitatos mutuamque et vere christianam inter Episcopos et regulares familias ac etiam saeculares ordines et sodalitates publicasque universitates benevolentiam et pacem ubique in Ecclesia servandam, de consilio nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in hanc sententiam devenimus, ut subsequentibus literis et constitutionibus apostolicis, eodem Pontifice Benedicto sedente, vulgatis, moderationem aliquam auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Literae vero ipsae et constitutiones, Ordinibus regularibus pridem concessae, hae sunt:

Editae IV. idus decembris anno Domini MDCCXXV., quae incipiunt: *Paterna*.

Aliae IX. kalendas iunias an. MDCCXXVI., quae incipiunt: *Ratio apostolici ministerii*.

Aliae III. nonas iulias eiusdem anni, quae incipiunt: *Singularis devotio*.

Aliae VIII. augusti eiusdem anni, quae incipiunt: *Exponi nobis nuper fecerunt*.

Aliae kalendis septembris eiusdem anni, quae incipiunt: *Vitae et morum integritas*.

Aliae kalendis ianuarii anni MDCCXXVII., quae incipiunt: *Libenter*.

Aliae V. nonas martias eiusdem anni, quae incipiunt: *Loca sancta*.

Aliae kalendis aprilis eiusdem anni, quae incipiunt: *Ex quo sedes*.

Aliae V. nonas aprilis eiusdem anni, quae incipiunt: *Summe decet*.

Aliae VII. kalendas iunias eiusdem anni, quae incipiunt: *Pretiosus*, una cum declarationibus sub die XXVIII. septembris anni MDCCXVIII. ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubiis, circa intelligentiam rerum, in ipsa constitutione contentarum exortis.

Aliae XXI. martii anni MDCCXXIX., quae incipiunt: *Exponi nobis fecit*.

Aliae demum VII. kalendas aprilis eiusdem anni MDCCXXIX., quae incipiunt: *In Sede*.

Eadem privilegia pio et laudabili fine concessa, lites, necessario sedandas, excitaverunt.

§ 3. Quamvis autem haec omnia et singula ex eiusdem recolendae memoriae Benedicti pia et laudabili erga regularium familias voluntate profecta fuerint, quos ipse ob eorum zelum de salute animarum, religionis fervorem, doctrinam et regularis disciplinae observantiam magna ac vere paterna dilectione prosequebatur, nosque ipsi aeque prosequimur, concessa, extensa, decreta, confirmata et declarata fuerint; nos tamen, qui, post varias altercationes et difficultates de iisdem literis et constitutionibus excitatas, optatam sanctae Dei Ecclesiae tranquillitatem prae oculis habemus, volentes, ut universis Dominici gregis pastoribus ac praesertim venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, in partem sollicitudinis nostrae vocatis, liberum iurium suorum, quae summi Dei gloriam et animarum salutem respiciunt, in illorum dioecesibus exercitium servetur; quaeque illud quomodocumque impedire et laedere fortasse possunt, pro virili nostra penitus amovere cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices antecessores nostri saepius egerunt, nos quoque ad praeservandum iisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac quibuscumque aliis ordinibus ac coetibus ecclesiasticis et saecularibus suorum iurium exercitium et possessionem, amovendamque quarumcumque dissensionum et litium occasionem, ex concessa nobis divinitus apostolicae potestatis plenitudine, eorumdem antecessorum nostrorum Pontificum Romanorum vestigiis inhaerentes, statuimus et decernimus, de omnibus et singulis praedictis literis et constitutionibus, quae ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus et declarationibus, in iisdem contentis, eam deinceps decisionem ac iudicium, etiam in foro conscientiae, habendum, quod sive ex iure communi, sive ex Concilio Tridentino, sive ex decretis et constitutionibus apostolicis, sive alias, legitime habebatur antequam eaedem literae et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent: ad quam dispositionem eiusque pristinum statum ac terminum omnia superius enun-

ciata omnino reducimus et reducta esse volumus, itaut imposterum supradicti Ordines regulares earumdem literarum et constitutionum usu, commodo et effectu penitus carere debere intelligantur.

Decreta irritantia, iisdem privilegiis apposita, ad viam iuris communis reducuntur.

§ 4. Hinc ad praemissorum effectum pro nullis et infectis haberi volumus omnia decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata et quaecumque in literis et constitutionibus praedictis quomodolibet apposita, atque alia eorumdem occasione facta, huic reductioni, decreto et voluntati nostrae quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis; ac praeservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis aliisque validissimis, efficacissimis et inviolabilibus clausulis, praesertim quod semper in data cuicumque constitutioni, illarum revocatoriae, imposterum edendae, posteriores censeantur, etiam motu proprio et potestatis pari plenitudine ac ex certa scientia, etiam consistorialiter, etiam pro conservatione status regularis, etiam in vim contractus et stipulationis inter Sedem Apostolicam et Ordines praedictos initae, quam ad huiusmodi effectum rescindimus, et ex nunc rescissam nulliusque roboris et momenti esse volumus et decernimus; ideoque omnes dissensiones, altercationes et lites coram quibuscumque iudicibus ordinariis, extraordinariis et commissariis, etiam causarum palatii nostri auditoribus et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam de latere Legatis, necnon quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, praedictarum literarum et constitutionum occasione iam motas, necdum decisas aut finitas, vel etiam quae iam decisae essent, si modo tractum habeant successivum easque rursus imposterum excitari contingat, iuxta iuris communis, Concilii Tridentini decretorum et constitutionum apostolicarum ac praesentem hanc nostram dispositionem, nec aliter, decidendas esse praecipimus. Futura vero dubia et difficultates, ubicumque et quandocumque oriantur, ad nos et Sedem Apostolicam, ad quam pontificiarum constitutionum atque ecclesiasticarum sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus.

Clausulae ad praesentes literas perpetuo servandas.

§ 5. Itaque omnia et singula hactenus memorata, nec non praesentes, etiam ex eo, quod causae, ob quas emanaverint, comprobatae, expressae et verificatae, aut in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, neque iisdem consenserint, vel alias ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio vel causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, sive alio quovis defectu notari et impugnari, argui, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quodvis gratiae vel iustitiae remedium impetrari seu concedi nullatenus posse; sed eas ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari omnino statuimus; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri auditores ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, quavis auctoritate et facultate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et decretum esse volumus; non obstantibus praemissis, necnon nostra et Cancellariae Apostolicae regula ***de iure quaesito non tollendo,*** necnon omnibus et singulis praedicti Benedicti decessoris, ac declarationibus super dubiis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnium et singulorum Ordinum praedictorum ac eorum cuilibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam ***Mare magnum*** vel alias quomodolibet nuncupatis, literisque apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus aliisque decretis in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis: quibus omnibus et singulis,

etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret; eorum omnium et singulorum tenores iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque quomodolibet contrariis quibuscumque.

...s omnimo-...des adhi-...etur.

§ 6. Volumus autem, ut eaedem praesentes in valvis basilicarum Sancti Ioannis in Laterano et Principis Apostolorum de urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, quoscumque illae respiciunt, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique coram et personaliter intimatae fuissent, utque earumdem praesentium transumtis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo eas in-...ngere au-...at.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, decreti, voluntatis, moderationis et reductionis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnat. Dominicae MDCCXXXII., III. kalendas aprilis, pont. nostri anno II.

VI.

Declaratur per constitutionem Romanus Pontifex ***nullum praeiudicium generatum privilegiis Ordini Praedicatorum legitime competentibus ante constitutionem*** Pretiosus; ***et insuper concessiones S. Pii V., Clementis VIII. et Benedicti XIII. circa duas illas processiones approbantur, confirmantur et innovantur.***

CLEMENS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, etsi ex ipso tenore constitutionis nostrae, III. kalendas aprilis an. Incarn. Dominicae MDCCXXXII., quae incipit: *Romanus Pontifex etc.* promulgatae, perspicue luculenterque appareat, per moderationem a nobis inibi adhibitam non nisi ad terminos iuris redacta fuisse inter alia constitutionem fel. rec. Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri, cuius initium est: *Pretiosus etc.*, anno eiusdem Incarnationis Dominicae MDCCXXVII. VII. kalendas iunii emanatam, eiusque declarationes ac privilegia illa, gratias, favores, indulta, exemptiones, facultates et declarationes, quae ibidem Ordini fratrum Praedicatorum de novo concessa fuerant: nihilominus aliqui constitutionem nostram sinistre, ac secus, quam par est, interpretantes, plerasque lites et controversias fratribus praedictis moverint in diversis locis ac tribunalibus, per quas privilegia et praerogativas, quibus iidem fratres, priusquam ipsa constitutio Benedicti praedecessoris emanaret, ex aliis legitimis titulis et concessionibus apostolicis potiebantur, aggredi et oppugnare adnituntur, dictusque Ordo praecipue vexetur occasione celebrationis duarum processionum publicarumve supplicationum, Sanctissimi nempe Eucharistiae Sacramenti ac Rosarii Beatae Mariae Virginis, tametsi illam Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti die dominica infra octavam Corporis Christi a rec. mem. Pio V. et Clemente VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, iuxta eiusdem Clementis praedecessoris die VIII. martii MDXCVII., alteram vero Rosarii Beatae Mariae Virginis dominica prima octobris ab ipso Benedicto praedecessore per suas, die X. aprilis MDCCXXV., in simili forma Brevis respective expeditas literas, nec non declarationem die XVIII. iulii XDCCXXVI. desuper editam, quotannis peragendi facultas eidem Ordini diserte indulta fuerit, adeoque ante memoratam Benedicti praedecessoris constitutionem, in qua eiusque declarationibus Ordini praedicto nihil amplius circa duas processiones praefatas tribuitur, quam quod iam antea per eosdem Pium, Clementem et Benedictum praedecessores attributum fuerat: et quia mens et intentio nostra non est, nec un-

quam fuit, gratiis, indultis, exemptionibus et privilegiis dicto Ordini fratrum Praedicatorum ante enarratam Benedicti praedecessoris constitutionem concessis, praesertim respectu duarum processionum huiusmodi, aliquod vel minimum generare praeiudicium: hinc est, quod nos lites et controversias praefatas e medio tollere, earumque occasionem et quodvis aliud in praemissis impedimentum submovere cupientes, nec non Ordinem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsorumque fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supradictas Clementis et Benedicti praedecessorum literas, editamque ab eodem Benedicto praedecessore declarationem, quoad duas processiones publicasve supplicationes praefatas, cum omnibus et singulis, in eisdem literis et declaratione dispositis et contentis, auctoritate apostolica harum serie approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa deinceps exacte observari atque executioni demandari, eadem auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Ordinis et fratribus praedictis aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos Sedisque Apostolicae Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes ac functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis, quae in Clementis ac Benedicti praedecessorum literis et declaratione praefatis concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. aprilis MDCCXXXIII., pontificatus nostri an. III.

VII.

Collegii Anglorum de Urbe visitationes, cum facultatibus opportunis, decernit.

Dilectis filiis nostris Ioanni Antonio de Via ac Dominico Rivera S. R. E. presbyteris Cardinalibus nuncupatis,

CLEMENS PP. XII.

Dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter gravissimas apostolici muneris nostri curas non praetermittimus de collegiorum quorumlibet, pro recta iuventutis institutione ad Dei gloriam fideique catholicae conservationem et propagationem, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praesertim in alma urbe nostra pie prudenterque erectorum, statu prospere esigendo cogitare, ac quaecumque ad id necessaria et opportuna fore cognoscimus, facere et ordinare, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Itaque spirituali temporalique utilitati collegii Anglorum de urbe praefata, cuius cura dilectis filiis clericis seu presbyteris regularibus Societatis Iesu auctoritate apostolica demandata reperitur, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de circumspectionum vestrarum fide, prudentia, pietate, doctrina ecclesiasticaeque disciplinae et catholicae religionis zelo plenam in Domino fiduciam habentes, vos praefati collegii nostros et Apostolicae Sedis visitatores cum facultatibus necessariis et op-

portunis, nec non dilectum filium magistrum Philippum Mariam de Montibus in utraque signatura nostra referendarium ac Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propogandae Fidei praepositorum secretarium, in visitationis collegii eiusdem itidem secretarium, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus, vobisque harum serie committimus et iniungimus ut, quamprimum poteritis, coniunctim procedentes, collegium ipsum eiusque rectorem ac quavis alios superiores, officiales et ministros, quocumque nomine nuncupatos, nec non omnes et singulos illius alumnos, scholares seu collegiales ac alias personas quascumque tam laicas quam ecclesiasticas, saeculares et regulares, tam in capite quam in membris, ad praescriptum sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, nec non apostolicarum et collegii huiusmodi constitutionum, semel tantum auctoritate nostra visitetis ac in illorum studia, vitam, mores et disciplinam diligenter inquiratis. Praeterea quoad bona tam mobilia quam immobilia, nec non redditus et proventus dicti collegii quonam modo administrata hucusque fuerint et nunc administrentur, attente inspiciatis, ac a quibuscumque bonorum, reddituum et proventuum huiusmodi administratoribus tam praesentibus quam praeteritis, si ita vobis videbitur, administrationis suae rationem exigatis, et ad hunc effectum eos et eorum quemlibet ad exhibenda eorum computa reddendamque rationem huiusmodi compellatis: nos enim vobis praemissa omnia et singula, aliaque desuper et pro demandato vobis munere rite et recte explendo quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, ac inobedientes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, auctoritate et tenore praefatis, tribuimus et impertimur. Mandantes propterea omnibus et singulis memorati collegii superioribus, ministris, alumnis et personis ceterisque, ad quos spectat, ut vos, uti visitatores apostolicos eiusdem collegii a nobis, ut praefertur, deputatos, recipiant et recognoscant, vobisque in omnibus ad visitationem huiusmodi spectantibus, iuxta earumdem tenorem praesentium, prompte pareant et obsequantur, ac vestra salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 2. Volumus autem ut, si quae graviora in huiusmodi visitatione a vobis reperta fuerint, illa ad nos referatis, ut quid desuper statuendum fuerit, matura vobiscum deliberatione adhibita decernamus.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non societatis et collegii praefatorum aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus, ac litteris apostolicis eisdem Societati et collegio eorumque respective praeposito generali et rectori aliisque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum, concessis, confirmatis ac pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

VIII.

Ad Aethiopiae regem, de reditu ad Ecclesiam catholicam cogitantem, duos mittit fratres Ordinis Min. Observantium S. Francisci, quibuscum collata opèra, rem perficere, et subditos ad idem perficiendum inducere possit; eumque simul vehementer excitat ad consilium exequendum, promissis etiam aliis operariis, si eos patrocinio suo fovere velit (1).

Illustri ac potentissimo Aethiopiae regi,

CLEMENS PP. XII.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Cum ex Aegypto ad nos advenerit religiosus alumnus Franciscanae Familiae strictioris observantiae sacrarumque per illarum terrarum plagam missionum in praesens praefectus, Franciscus Antonius a Riparolio, plura locutus de celsitudine tua nobiscum est, quae mirifice animum nostrum exhilararunt. Dixit enim compertum sibi esse te Dei numine afflatum egregiaque praeditum virtutis indole de repetenda incorrupta Servatoris nostri Religione, quam olim nobilissima tua gens diligentissime coluit, constituisse, abiudicatis erroribus quos aut inimicus homo aut incuriosa oblivio rerum divinarum rectae fidei apud vos veluti zizania superseminavit; quocirca reconciliare tibi Apostolicae Sedis gratiam, ab ipsaque veritatis lumen haurire velle. Quanta ex hoc faustissimo nuntio laetitia nobis accesserit, satis profecto explicare haudquaquam possumus. Id unum pro certo habeas, parem fuisse aegritudini qua iampridem conflictabamur cogitantes, te tanta sapientia regem ac mitissimo imperio moderantem amplissimis provinciis frequentissimamque hominum eas incolentium multitudinem, qui soli tot inter Africae nationes Christi nomen perpetuo venerati estis, ad ipsius immortale regnum aditu prohiberi, quo SS. Patrum Conciliorumque testimonio ii tantum accedunt qui, Romanae Ecclesiae doctrinam sequuti, Petri navicula pervehuntur. Igitur ubi celsitudinem tuam excipi in ea cupientem audivimus, sustulimus illico ad caelum manus, Deum opt. max. summis precibus obtestati, ut huic saluberrimo consilio tuo propitius adesse velit. Et nos quidem tibi laetantes occurrimus, hortamur obsecramusque, ut ad nos magnanimo incessu ingrediaris, praeeasque viam, quam tua gens, eximii sui regis vestigiis haerens, illico initura esse videatur. Hanc vero ut celeriter vobis muniat, ad te nulla mora ire iussimus eumdem religiosum virum Franciscum Antonium a Riparolio, cui socium adiunximus eiusdem Familiae sodalem Michaelem Angelum de Vastigné in praesens sui Ordinis generalem procuratorem missionum, hominem ob doctrinae praestantiam, rerum agendarum prudentiam, morum gravitatem nobis apprime carum, consulto selectum iussumque ore nostro ut, Roma discedens, ad te pro tanti momenti negotio iter arripiat. Uterque, aut saltem unus, si forte alter aliquo impedimento detineretur, has nostras celsitudini tuae reddet literas pluraque nostro nomine adiiciet, quibus, si quid rei gerendae expediendum accidat, facile expeditum iri non dubitamus. Ab iis intelliges quam incredibili feramur aeternae tuae salutis desiderio, et nihil esse in Apostolicae Sedis, cui nos, licet immerentes, praesidemus, auctoritate, quod in huiusmodi eventum, tibi necessarium, nobis optatissimum, non simus libenter collaturi. Nam caritas Christi urget, ac praeterea adeo te praestantissimum excultissimumque virtutibus regem insigni benevolentia prosequimur, ut, etsi tibi impenso omni studio satisfacere posse arbitremur, nostrum utique desiderium nunquam satis aequaturi esse videamur. Sodales illos quos tibi allegamus, ut regia benignitate excipias ac tuo patrocinio iuves, te etiam atque etiam oramus; iisdemque volumus parem adhibeas fidem, quam nobis alloquentibus adhiberes, dataque tibi nostra monita libenter complectaris, certus non alio tendere, quam ad praestandam curandamque tibi immortalem felicitatem. Ab iis percipies quid maxime ad prosperum huiusce rei exitum conducere, et qua faciliori via, favente divina gratia, obtineri illa possit. Obtinendae vero si opem conferre tuam sedulo constitues, iisque regia potestate fultis liberum fuerit in id con-

(1) Ex Reg. Vat.

niti, nos utique allicies ad alios eiusdem Franciscanae Familiae socios transmittendos, qui depravatam istic Domini vineam labore suo iterum cultu nitescere studeant. Huc igitur appelle religione iam commotum animum tuum docilesque Pontifici Maximo praebe aures, qui, ut Pastoris aeterni vices in terris gerit, ita exemplum imitaturus, errantes oves ad se reducere vehementer cupit. Nullum profecto, cum longam iam aetatem vixerimus, iucundiorem nobis illuxisse diem reputaturi sumus, quam qui te tuamque gentem ad verum Christi ovile reducem fuisse renuntiabit. Idque ut prompte constantissimeque perficias, celsitudini tuae divini Spiritus auram singulari amore imploramus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXXXVII., pontif. nostri an. VII.

IX.

Patriarchae Coptorum nunciat missionem fr. Iacobi a Cremsirio Ord. Min. Observ. S. Francisci, a quo accipiet catholicae fidei regulam, quam ipse profiteri et subscriptam transmittere ad R. Pontificem debet, ad quod cito perficiendum pluribus hortatur (1).

Venerabili fratri Ioanni,
Patriarchae Alexandrino Coptorum,

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecto filio Iacobo a Cremsirio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum, qui religiosis eiusdem Ordinis viris, sacras in Aegypto superiori missiones peragentibus, novus praefectus a Congregatione Propagandae catholicae Fidei praeposita constitutus, illuc, ut datam sibi provinciam administraret, propediem profecturus est, in mandatis dedimus, ut fraternitatem tuam sedulo conveniens omnia apostolicae nostrae caritatis officia ad te deferat. Quamcumque enim oblatam nobis opportunam amplius contestandae tibi studiosissimae voluntatis nostrae occasionem elabi haud patimur. Ab eo proinde intelliges, quo in loco pretioque habeamus fraternitatem tuam et quanto cum pontificii animi nostri solatio ac voluptate semper accipiamus assidua praeclarae tuae erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem reverentiae et propensae praecipuaeque erga catholicam fidem, quam illa docet ac profitetur, voluntatis testimonia. Hinc fit ut, quae nobis iniecta est, spes fraternitatem tuam atque inclytam nationem nobis in primis acceptam in vinculo mutuae caritatis et in catholicae unitatis centro complectendi desiderium nostrum vehementius excitet atque inflammet. Quamobrem, quibus fraternitatem tuam prosequimur, maximis pontificii amoris studiis te rogamus atque exhortamur, ut ad ea, quae nomine tuo digna populis tuae curae commissis salutaria, nobis iucundissima, iamdiu meditaris ingentia facinora, tandem manus admoveas. Ab hisce autem opportune suscipiendis et ad optatum exitum facile perducendis, ne ullis difficultatibus et obstaculis impediaris, consentaneum duximus per eumdem dilectum filium Iacobum a Cremsirio ad fraternitatem tuam mittere impressum typis exemplar regulae iuxta antiquum consuetumque Romanum inter ceterasque Orientis ecclesias constitutum servatumque ritum ac morem omnino tenendae, cum ad catholicam fidem amplectendam profitendamque unanimes orientales Antistites accedere vere ex corde exoptant; quod quidem postquam ea, quam in te, ven. frater, maxime eminere gratulamur et necessariam esse omnino existimamus, sacerdotalis animi tui sinceritate et constantia subscripseris, ad eamdem Apostolicam Sedem laudati Iacobi a Cremsirio opera remittendum cures. Hoc enim luculentissimum erit argumentum atque firmissimum, te in nullis prorsus orthodoxae fidei nostrae articulis a Romana Ecclesia dissentientem, eiusdem mutuam communionem benevolentiam caritatemque promereri. Idem autem dilectus filius Iacobus, qui propter eximium catholicae religionis zelum, doctrinam, sapientiam prudentiamque et magnam linguarum ac morum orientalium et nationis coptae potissimum cognitionem experientiamque, diuturna in istis partibus mora

(1) Ex eodem Reg. Vat.

et exercito apostolici operarii munere partam, nobis gratissimus est et nationis tuae amantissimus, fraternitati tuae fusius nostro nomine disseret, et coram explicabit, quanta cum pontificii animi sollicitudine factam nobis de virtute tua et catholica nobiscum unione expectationem, eo legitimo documento comprobandam, praestolemur, ut certa apostolicae benignitatis patrociniique iudicia pro rerum ac temporum opportunitate tibi exhibeamus. Interea, dum omnes a te erga memoratum Iacobum suosque alumnos in excolenda istic evangelica vinea adlaborantes humanitatis et praesidii partes nobis pollicemur, apostolicae etiam nostrae commendationis significationes adiungimus, et apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam fraternitati tuae impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. augusti MDCCXXXVII., pontificatus nostri an. VII.

X.

Petrum Faroux Congregationis Missionis Vicarium Apostolicum Algerii instituens, vicariatum hunc extendit etiam ad missionem Iuneti, quam tamen regendam iubet iuxta modum per praefectum missionis Ordinis Capuccinorum Iuneti degentem, ab ipso Vicario Apostolico uti pro-vicarium constituendum (1).

Dilecto filio Petro Faroux, presbytero saeculari Congr. Missionis,

CLEMENS PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, spiritualibus catholicorum in Africa sub turcarum ditione degentium necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, teque, qui, ut accepimus, presbyter saecularis Congregationis Missionis existis ac de tua fide, doctrina, prudentia, pietate, caritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. absolutum fore censentes, de ven. fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, te in Vicarium Apostolicum algeriensem, loco defuncti Lamberti Duchesne, eiusdem Congregationis Missionis presbyteri, cum extensione ad civitatem Iuneti, et cum facultatibus solitis et consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus.

§ 2. Attento vero itineris intervallo, quo tu, Algerii residens, longe distas a Iuneto, ut opportune christifidelium in praefata civitate Iunetana seu ad eam appellentium spiritualibus indigentiis prospiciatur, tu statim ac receperis praesentes nostras literas, in Pro-Vicarium generalem pro missione Iunetana dilectum filium Antonium a Bertonico, modernum praefectum fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum eiusdem missionis Iuneti, et in posterum dictas patentes literas in personam cuiuscumque pro tempore successoris in praefata praefectura ab eadem Congregatione Cardinalium de more eligendi reiterare debeas; in quibus quidem patentibus literis dicto praefecto Pro-Vicario concedatur facultas omnia et singula, quae etiam specialem protestatem requirunt, exercendi, absque ulla tua restrictione seu limitatione, ita ut idem Pro-Vicarius exercere valeat quamcumque iurisdictionem ordinariam in dicta missione Iuneti, tam supra laicos quam supra ecclesiasticos et regulares cuiuscumque Ordinis ibidem degentes seu advenientes, tam liberos quam captivos, reservata tamen tibi appellatione in devolutivo tantum a decretis et provisionibus, quae a dicto praefecto Pro-Vicario fieri contigerit. In casibus autem in quibus tu procedas pro aliqua gratia vel indulto favore alicuius personae, in missione Iunetana existentis, quascumque provisiones Pro-Vicario praedicto dirigere debeas, cum clausula: *veris existentibus narratis*, et dummodo idem Pro-Vicarius non habeat causam in contrarium pro executione patefaciendam tibi, cui ipse praefectus Pro-Vicarius, ut tuus minister, quoscumque actus officiosos et reverentiales exhibere omnino teneatur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

---

(1) Ex Bullarium capuccinorum, tom. VII., pag. 269.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis christifidelibus earumdem civitatum ceterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per praesentes vicariatus officium illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium, recipiant et admittant teque recognoscant et tibi in omnibus, quae ad idem officium pertinent, respective pareant, faveant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humilitas suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus etc. confirmatis et innovatis. Quibus omnibus etc. expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCCXXXVII., pont. nostri anno VIII.

XI.

Revocatio et annullatio decreti seu arresti sub titulo: Arrest de la Cour du Parlement, qui supprime un imprimé intitulé: Canonizatio B. Vincentii a Paulo, Parisiis et typis Petri Simon MDCCXXXVII., *et omnium in eodem contentorum.*

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Supremam Catholicae Ecclesiae procurationem a Pastorum principe Iesu Christo, sacerdotii sui Vicariis Petrique successoribus creditam, nos, meritis licet imparibus, altissimo tamen divinae providentiae consilio gerentes, summa cum cordis nostri laetitia in Domino laetabamur, debitas quoque misericordiarum Patri et Deo totius consolationis gratias agentes, quod more maiorum sollemni statoque ritu servum Dei Vincentium a Paulo eximiis virtutibus, dum vixit, insignem, et miraculis, quibus servum suum aeternae felicitatis participem factum esse ostenderat Omnipotens Deus, inclarescentem cum tribus aliis coelestis gloriae consortibus uno eodemque die Sanctorum fastis adscribere nobis datum fuerit, ut christifideles mirabilem Deum praedicantes in Sanctis suis, eorumque intuentes exitum, conversationis imitarentur et fidem. In hoc autem maximi momenti negotio, cum nihil, quod veneranda antiquitate praescriptum, sanctissime servatum erat, et tantae rei gravitas exigebat, omissum esset, insimul gratulabamur, iteratis praesulum, antistitum, principum, magnatum, ac potissimum charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi votis ac precibus satisfactum esse. Adaugebatur etiam gaudium nostrum, quod universa Ecclesia et Galliarum praesertim dioeceses canonizationem eiusdem Beati Vincentii a nobis habitam festivis plausibus excepissent, atque apostolicas literas nostras decretales, desuper expeditas, exequutioni, ut par erat, demandandas curassent. Interea opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet, cum narrabitur: siquidem parisiensis senatus, seu, ut aiunt, parlamentum, sanctiora Christi in terris Vicarii, Petri successoris, eiusque Cathedrae iura (proh facinus!) veluti assentantium commenta traducere non erubuit; et arrepta exinde occasione, probroso memoratas apostolicas literas decreto, seu, ut inquiunt, arresto, ipso rege inscio, IV. ianuarii MDCCXXXVIII. suppressit. Vulnera itaque tam acuta, quae apostolicae auctoritati et potestati, quarum a Domino custodes et assertores constituti sumus, licet inani conatu inferre moliuntur; et iniurias, quibus palam Apostolicam Sedem afficere non verentur, cum dissimulare non valeamus, ne fideles in errorem inducantur (sapientibus enim et insipientibus debitores sumus); primum quidem manus nostras cum lacrymis et suspiriis ad Dominum levavimus, ut, qui dives est in misericordia, redire faciat ad cor ingratos filios, qui, quamvis amantissimi Patris eos in caritatis visceribus gerentis beneficia in amaritudinem convertere non horruerunt, tandem aliquando Ecclesiae matris iura impetere desistant. Deinde vero ad tam audacis facinoris memoriam, quantum fieri potest, abolendam, habito prius quamplurimorum S. R. E. Cardinalium consilio, praevia matura deliberatione, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, decretum seu arrestum, cui titulus: *Arrest de la Cour du Parlement, qui supprime un imprimé intitulé: Canonizatio B. Vincentii a Paulo,*

Parisiis et typis Petri Simon MDCCXXXVII., et in eo contenta cum omnibus et singulis inde sequutis et quocumque tempore sequuturis ipso iure nulla, inania, invalida, irrita nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium decernimus et declaramus; et nihilominus ad abundantiorem cautelam et, quatenus opus sit, harum serie itidem improbamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus et pro improbatis, revocatis, cassatis, irritis et nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis haberi volumus et mandamus. Nec non idem decretum seu arrestum, tam impressum, quam manuscriptum, ubicumque et quomodocumque evulgatum, legi seu retineri prohibemus, illiusque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeter quam a nobis seu Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes pariter et auctoritate apostolica mandantes, ut quicumque decretum seu arrestum huiusmodi penes se habuerint, illud statim atque praesentes literae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus etiam et pari auctoritate decernimus, ut illae ad valvas basilicae principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campi Florae de urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; et sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent: atque ipsarum praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. februarii MDCCXXXVIII., pontif. nostri anno VIII.

XII.

Condemnatio societatis seu conventicularum de' Liberi Muratori *aut* de Françs Massons *sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, eius absolutione, excepto Mortis articulo, Summo Pontifici reservata.*

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus,

salutem et apostolicam benedictionem.

In eminenti apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia constituti, iuxta creditum nobis pastoralis providentiae debitum iugi, quantum ex alto conceditur, sollicitudinis studio iis intendimus, per quae erroribus vitiisque aditu intercluso, orthodoxae religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo catholico orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane, vel ipso rumore publico nunciante, nobis innotuit, longe lateque progredi atque in dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula, vulgo *de' Liberi Muratori* seu *Françs Massons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque religionis et sectae homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere, secundum leges et statuta sibi condita, invicem consociantur: quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum, cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat et clamorem edat, sui indicem, hinc societates seu conventi-

cula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis regionibus memoratae societates per saeculi potestates, tamquam regnorum securitati adversantes, proscriptae ac provide eliminatae iampridem extiterint.

Nos itaque animo evolventes gravissima damna, quae ut plurimum ex huiusmodi societatibus seu conventiculis, nedum temporali reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus tum canonicis minime cohaerere sanctionibus; cum divino eloquio doceamur, diu noctuque, more servi fidelis et prudentis Dominicae familiae praepositi, vigilandum esse, ne huiusmodi hominum genus, veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant atque innoxios sagittent in occultis, ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam; aliisque de iustis ac rationabilibus causis nobis notis, easdem societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula *de' Liberi Muratori* seu *Françs Massons* aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti nostra, perpetuo valitura, constitutione, damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae, sive laicis vel clericis, tam saecularibus quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat, praedictas societates *de' Liberi Muratori* seu *Françs Massons,* aut alias nuncupatas, inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium vel favorem, palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios, quoquo modo praestare, necnon alios hortari, inducere, provocare aut suadere, ut huiusmodi societatibus adscribantur, annumerentur seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes, ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem, pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper et mandamus, ut tam Episcopi et praelati superiores aliique locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores, adversus transgressores, cuiuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque, tamquam de haeresi vehementer suspectos, condignis poenis puniant atque coerceant: iis enim et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impartimur. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarn. Dominicae MDCCXXXVIII., IV. kalendas maii, pont. nostri anno VIII.

XIII.

Ad perturbationis animorum aditum praecludendum, approbat decretum S. C. de P. F. praecipientem Scotiae clero subscriptionem contra Bai aliorumque propositiones etc. (1).

Venerabilibus fratribus Episcopis Nicopolitano et Bianensi, Vicariis Apostolicis, nec non Episcopo Misinopolitano, Nicopolitani coadiutori, et dilectis filiis missionariis in Scotiae regno,

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Supremum apostolatus nostri munus a misericordiarum Patre in Catholicae Ecclesiae procuratione infirmitati nostrae iniunctum, iure ac merito exigit, ut in visceribus Iesu Christi cunctas totius orbis christianas nationes complectamur, nec ab iisdem omnes pontificiae providentiae et sollicitudinis nostrae partes desiderari patiamur. Quod sane officium ut sine personarum acceptione a Nobis praestetur, nostrum esse ducimus in primis opportune adesse eximio pastorum aliorumque evangelicae veritatis ministrorum zelo, qui, in opus ministerii nostri cooperatores adsciti, in procuranda animarum salute alacriter adlaborare student. Inter ceteros vero, qui ad populos sive veram religionem profitentes in eiusdem confessionis stabilitate confirmandos, sive in tenebris ambulantes et in umbra mortis sedentes Evangelii lucem ab omni prorsus etiam levi erroris nebula puram edocendos, ubique advigilare pergunt, praecipua apostolicae caritatis studia conciliasse nobis videmini vos, venerabiles fratres, dilecti filii, qui in Scotiae regno animas vestras pro fratribus vestris assidue ponere non dubitatis. Eapropter sacerdotalem pastorum ab aperta hominum vi et ab occultis tartareorum hostium insidiis orthodoxum Christi gregem sapientissime tutantium vigilantiam dignis laudibus commendare satis non possumus, non secus atque incredibilem operariorum etiam in summa temporum asperitate constantiam, invicta fortitudine, ab excolendo agro illo olim fertilissimo, nunc tot vepribus tribulisque oppleto, nusquam defatigatam; imo plurimum in Domino utrosque commendantes, de parta per apostolicos labores uberrima fructuum, idest populorum ad amantissimae catholicae Ecclesiae sinum in dies redeuntium, copia, maximopere semper laetati sumus. Augebatur animi nostri laetitia et incredibili voluptate magis magisque perfundebamur, quotiescumque nova et optatissima de rebus huiusmodi nuntia ad venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, negotiis propagandae fidei praepositos, saepe allata ad nos, referebantur, ac potissimum cum ex dilecto filio nostro Dominico eiusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Rivera nuncupato, istarum missionum apud nos et hanc Sanctam Sedem protectore omnia intelligebamus. Verum deinde tantum, quo perfruebamur, solatium nobis interceptum sensimus, cum dolentes accepimus, non levem animorum perturbationem istic exortam esse, unde verendum erat, ne fraterna inter evangelicos operarios hactenus laudabiliter custodita concordia et consentanea institutaque agendi sentiendique ratio, quae res duae, in provehendis evangelicae legis ab omni prorsus contentione alienae, et in pacis tranquillitate positae, commodis et triumphis plurimum possunt, una insimul interdicerent. Quamobrem in mandatis dedimus, ut iidem Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi opportuna malis, quae imminere formidabamus, avertendis reparandisque remedia adhiberent: hi autem postquam ea, qua par erat, consiliorum maturitate rem expendissent, die X. decembris MDCCXXXVI. ediderunt decretum tenoris qui sequitur:

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS PARTICULARIS DE PROPAGANDA FIDE, HABITAE DIE X. SEPTEMBRIS MDCCXXXVI.

Referente R. P. D. Philippo de Montibus secretario statum Missionum tum in provinciis planioribus, tum in montanis insulisque adiacentibus regni Scotiae, eminentissimi Patres rem ab exordio repetentes, iterum promerita laude commendarunt zelum utriusque Vicarii Apostolici omniumque respective missionariorum, qui ad ostendendam atque proban-

(1) Vide notulam vol. II. *Iuris* pag. 317.

dam suam filialem ac sinceram erga Sanctam Apostolicam Sedem, nec non erga Summorum Pontificum constitutiones et decreta, observantiam, submissionem et obedientiam, de mandato eorumdem RR. PP. DD. Vicariorum Apostolicorum VIII. idus iulii anni MDCCXXXIII. edito, subscripserunt formulae tenoris sequentis; videlicet: - Ego NN. constitutionibus S. Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII. summorum Pontificum contra propositiones in Baio damnatas, nec non constitutioni apostolicae Innocentii X., datae die XXXI. maii MDCLIII., constitutioni Alexandri VII., datae die XVI. octobris MDCLVI., ac brevibus Innocentii XII., datis die VI. februarii MDCXCIV. et die XXIV. novembris MDCXCVI. ad Episcopos Belgii, item constitutioni eiusdem, die XII. martii MDCXCIX. contra librum inscriptum *Maximes des Saints* etc., nec non constitutioni Clementis XI., datae die XV. iulii MDCCV. me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, etiam in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno: speciatim vero constitutioni *Unigenitus*, a Clemente XI. datae die VIII. septembris anni MDCCXIII. contra centum et unam propositiones ex libro Reflexionum Moralium Paschasii Quesnelli excerptas, necnon omnibus aliis Sedis Apostolicae constitutionibus, decretis, brevibus tam ante Clementem XI., quam post ipsum, de praedictis materiis, vel contra propositiones ad mores spectantes, editis, me sincere subiicio, et ita spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia. — Verum, etsi alias eadem Sacra Congregatio arbitrio et prudentiae dictorum Vicariorum apostolicorum facultatem reliquit deinceps requirendi eiusmodi formulae subscriptionem ab iis tantum futuris missionariis, quos ipsi peculiaribus ac rationabilibus ex causis ad id praestandum adigendos fore putaverint, nihilotamen minus cum illam admodum utilem, imo necessariam, eminentissimi Patres norint ad repellendam ab evangelicis illarum partium operariis quamcumque inobedientiae suspicionem ac labem, ideo, non obstantibus praemissis, statuendum esse censuerunt, sicuti re ipsa statuerunt, quod omnino imposterum quicumque sacerdos sive saecularis, sive regularis cuiuslibet Ordinis et instituti, etiam Societatis Iesu, qui ad illam Domini vineam excolendam accesserit, cum primum se praesentaverit Vicario apostolico illius districtus, in quo operam suam ei navare contigerit, et antequam ab ipso facultates ad munus missionarii exercendum accipiat, coram illo vel coram aliis, ab eo deputandis, et duobus testibus praesentibus, praefatae formulae subscribere teneatur, idemque Vicarius Apostolicus actum huiusmodi ad antedictam Sacram Congregationem per authentica scripta transmittere debeat. Quoniam vero, posteaquam praefata formula exarata atque, ut praefertur, probata fuerat, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis divina providentia PP. XII. a Sacra Congregatione Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis prohibiti et damnati fuerunt quidam libri anglica lingua conscripti et typis editi sub titulis, de quibus infra, eapropter iidem eminentissimi domini praeceperunt antedictae formulae addendam esse, immediate ante verba: *Et ita spondeo* etc., particulam sequentem, nempe: — Pariterque libros anglico idiomate impressos, atque per decreta S. Romanae et Universalis Inquisitionis sub diebus VII. decembris MDCCXXXIV. et XII. ian. MDCCXXXV. palam improbatos, quorum tituli: « Catechism or abridgement of Christian Doctrine printed in the year MDCCXXV. Instructions ardprayers for Childrenwith a Catechism for young Children printed in the year MDCCXXIV.; et a Catechism for chose thalare more ad vanced in years and Knouuledge printed MDCCXXIV. », expresse respuo, reiicio ac damno. Huic autem ampliori formulae utrumque Vicarium Apostolicum, coadiutorem, omnesque et singulos utriusque vicariatus missionarios, qui pridem anno MDCCXXXIII. lubenti animo subscripsere, iterum in uberius suae obedientiae et religionis testimonium, atque ad maiorem apud Sacram Congregationem promerendam assequendamque laudem, subscribere debere iidem eminentissimi PP. declararunt, et ita exequi et servari mandarunt.

Datum Romae, ex aedibus praefatae Sacrae Congregationis, die et anno, quibus supra.

V. Card. PETRA Praefectus.

Philippus de Montibus Secret.

Interea temporis, manus nostras in caelum levantibus nobis et in humilitate cordis nostri speratum solatium praestolantibus, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, gaudium nostrum cumulare dignatus est. Luculenta enim debitae nobis atque huic Sanctae Sedi obedientiae testimonia et legitima omnium vestrum in subscriptione memorati decreti documenta a nobis excepta adeo laetificaverunt cor nostrum, ut neque pro laetitiae magnitudine a lacrimis temperaremus, neque a celebrandis tum fraternitatum vestrarum, tum missionariorum omnium meritis laudibus conquiesceremus. Quoniam autem caritas Christi urget nos, qui nihil optamus impensius, nihil sollicitiores nos facit, quam ut omnia vestra in caritate fiant, et hoc enixis precibus oramus, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri sine offensa in diem Christi, cuius factus est in pace locus eius, rogamus et hortamur, ut, digne ambulantes vocatione, qua vocati estis, et supportantes invicem in caritate, solliciti servetis unitatem spiritus in vinculo pacis. Ita enim factum iri confidimus, ut, omni perturbationibus praeeluso aditu, manifestiora sapientibus et insipientibus, quibus debitores sumus, facta per omne tempus commendentur vestrae erga apostelica mandata et praecepta paratissimae observantiae obedientiaeque argumenta. Quae quidem quo saepius reipsa comprobare unusquisque studuerit, eo maiora sibi apud omnes laudum praeconia comparabit apud Dominum, qui non respicit vultum hominum, neque iuxta hominis intuitum iudicat et praemia largitur, sed cor intuens non irridetur, uberiora sibi caelestium charismatum munera promerebitur. Quamobrem, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum consilio, fraternitatibus vestris mandamus, ut praesentes nostras in forma brevis literas, quarum exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, omnibus et singulis per Scotiam missionariis notas facere curetis, ut non solum sciant quanta sit nostra erga eosdem paterna benevolentia et praecepta de ipsorum virtutibus opinio atque existimatio, verum etiam ut ipsi, fraternitatibus vestris praeeuntibus, vicissim praeinsertae decreto formulae alacres iterum subscribentes, ceteris imposterum missionariis, etiam Societatis Iesu, (a quibus omnibus eamdem formulam futuris temporibus omnino, toties quoties opus fuerit, subscribendam esse edicimus et statuimus), exemplo sint atque incitamento. Huic vero formulae saepedictae adiiciendum atque subscribendum etiam esse censemus, neque a vobis ipsis in edocendis instituendisque fidelibus ullum unquam factum iri, neque vos fore passuros ab aliis quoque faciendum usum Catechismi Montis Pepulani quocumque tempore, ubicumque locorum et quovis idiomate editi, promulgati ac versi, qui gallica lingua hunc praefert titulum: — Instructions générales en forme de Catechisme ou l'on explique en abrégé par l'Ecriture Sainte, et par la tradition, l'Histoire et les Dogmes de la Religion etc. imprimées par ordre de Messire Charles Joachim Colbert Evêque de Montpellier. — Quo quidem catechismo quibuscumque explicationibus sive additamentis, quaecumque haec sint, cuiusvis generis et quovis tempore et ubicumque locorum et quovis idiomate in lucem sive edita sive edenda fuerint adaucto et adaugendo, uti omnino prohibemus. Praeterea quemadmodum a singulari omnium vestrum erga nos observantia assiduis sincerae pietatis testimoniis vos votis nostris libenter obsecundaturos esse nobis certo pollicemur, ita in spem erigimur, omnes ac fraternitates vestras praesertim adnixuras esse, ut, pro iniuncto sibi debito pastoralis vigilantiae onere, quicumque libri, ingenti cum animarum iactura, sive in lucem editi sive edendi, doctrinam minus sanam aut saltem suspectam continentes, ac praesertim ii, qui ab hac Sancta Sede expresse prohibiti ac damnati sunt, ab omnium manibus eripiantur ac flammis abolendi tradantur. Ex horum enim aliorumque librorum, qui, ad blanda errorum venena sub ficta pietatis dulcedine hominibus, sacrarum doctrinarum inexpertis, inspiranda, fraudolenter compositi sunt, lectione etiam fortuita, nullam, ne ex alloquiis quidem familiaribusque sermonibus, unquam exitiosiorem, nec facile avertendam depellendamque, pestem esse importatam probe

intelligentes, a fraternitatibus vestris eapropter vehementer exposcimus, ut sedulitatem, vigilantiam operamque vestram hanc quoque in partem collocetis salutarem. Denique, venerabiles fratres, dilecti filii, gaudium et corona nostra, scientes parvas res concordia crescere, discordia maximas dilabi, veritatem facientes in caritate crescatis oportet in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augumentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. Vos igitur, dilecti filii, obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri. Et vos, venerabiles fratres, si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem cum omnibus habentes, atque cum iis potissimum, quos, cum istinc ad nos accessissent, iterum ad vos remittimus. Hos sane quemadmodum paterna benignitate complexi sumus, ut ita amantissime suscipiatis, fraternitates vestras etiam atque etiam rogamus et hortamur, atque unanimes idipsum sentientes nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores invicem arbitrantes: singuli vero, non quae sua sunt, sed quae aliorum considerantes, omnia facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. De cetero gaudete, perfecti estote, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Quo auspice et duce, timere non debetis quaecumque inimicus homo tentaverit superseminare contentionum, aemulationum, animositatum, dissentionum, detractionum, susurrationum, inflationum et seditionum zizania. Quae si forte, quod absit, sata suboriri noveritis, antequam subolescant, statim ad antedictos venerabiles fratres Cardinales referre adnitamini, ut nequitia opportune elidatur in semine. Interim apostolicam benedictionem, quam esse cupimus auspicium ad prosperos felicesque laborum vestrorum successus, et pignus aeternae retributionis in caelis, vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. iulii MDCCXXXVIII., pont. nostri anno IX.

XIV.

Const. Apostolatus officium *approbaverat regulas monachorum maronitarum Ordinis S. Antonii Abb. ex Cong. Montis Libani, praesenti approbat regulas eorundem ex Cong. S. Isaiae in Syria* (1).

CLEMENS PP. XII.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Misericordiarum Pater et Deus totius consolationis, qui semper, ac praesertim inter gravissimas sacrosancti apostolatus curas et sollicitudines, consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut et ipsi paterna caritate complectentes, eos qui in omni pressura sunt, consolari possimus, ineffabili bonitate sua consolatus est nos in adventu dilecti filii Petri Hataya monachi expresse professi ac primi diffinitoris Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Syriae, S. Isaiae appellatae.

§ 2. Hic autem e Syria, ubi orthodoxa catholica fides inter adversas superstitionis et haeresis sectas a maronitica natione huic Sanctae Sedi semper addictissima integerrime colitur et custoditur, adveniens, nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Simonis Hariddi Abbatis Generalis et Abrahami Esaf, Bimini Agia, Petri et Pauli Chiami diffinitorum, atque omnium monachorum Ordinis et Congregationis praefatae exponi fecit, quod, licet ipsi easdem constitutiones in nonnullis levibus rebus immutatas, quas, per alias nostras in simili forma brevis die XXI. martii anno MDCCXXXII. expeditas literas a nobis approbatas et confirmatas, dilecti itidem

---

(1) Vide *Iuris* vol. II., p. 428; et vol. III. Ben. XIV. const. *Supremum gravissimumque*, et lit. *Quanta quidem*. In secunda parte eiusdem *Iuris* invenietur *Instructio ad Monachos Maronitas Baladitas Ordinis S. Antonii Abbatis Congr. Montis Libani, qua quaedam praescribuntur de voto paupertatis et vita communi*, probata in Congr. Generali Emorum ac Revmorum PP. christiano nomine propagando praepositorum pro negotiis ritus orientalis die IV. februarii MDCCCXCV.

filii monachi syri maronitae eiusdem quidem Ordinis Sancti Antonii Abbatis, sed Congregationis Montis Libani dictae, observent, deque ipsorum Congregatione S, Isaiae in praefatis literis nostris facta fuerit mentio, tamen, ut fidelem et constantem, quam eidem S. Sedi profitentur, observantiam et obedientiam alacrius testatam faciant et nationalis Synodi novissime in Monte Libano praedicto celebratae decreto, in quo praescriptum fuit, ut monachi omnes maronitae suas constitutiones ab Apostolica Sede praefata approbandas et confirmandas curarent, parere satagant, constitutionum huiusmodi, ut praemittitur, iam approbatarum confirmatarumque pro eadem Congregatione Montis Libani approbationem confirmationemque pro ipsorum Congregatione S. Isaiae desiderantes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et de apostolica benignitate indulgere dignaremur.

§ 3. Constitutiones autem sunt tenoris sequentis, videlicet:

« Constitutiones monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis congregationis Sancti Isaiae Syriae nuncupatae. - Pars prima. - Caput I. *De obedientia* » (1).

§ 4. Nos igitur ipsorum Simonis Abbatis, et Abrahami, Bimini ac Pauli definitorum et monachorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, istiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas regulas ac constitutiones praeinsertas et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumlibet in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter, vel accessorie, aut alio quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, penitus et omnino supplemus et sanamus.

§ 5. Decernentes easdem presentes literas ac regulas et constitutiones praeinsertas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praedictae Card. etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis Nuntios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam Congregationi et Ordini praedictis illorumque superioribus, monachis et personis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis,

---

(1) Pro brevitate, reliqua non transcribimus. Has vero regulas, ex arabico idiomate a Iosepho Assemani in latinum versas, invenies in *Regularum collectione* N. 225 asservata in Tabulario S. Congr. de Prop. Fide; et huic Assemani versioni addita fuit ea, quae sequitur,

APPROBATIO

Ex mandatis SS. Patris Clementis XII. Pont. Max. Regulas et Constitutiones Monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani praesenti volumine comprehensas diligenti exanime expendimus. Cumque nihil contineant, quod Orthodoxae Fidei, eximiae pietati, bonis moribus exactaeque Instituti Monastici observantiae adversetur; existimamus, eas apostolicis literis in forma Brevis munitas confirmari posse, ac typis etiam S. Congregationis de Propaganda Fide evulgari.

Datum Romae, ex aedibus nostris die XVII. ianuarii anno domini MDCCXXXII.

N. Cardinalis SPINULA

V. Cardinalis PETRA.

irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis sic impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. ianuarii MDCCXL., pontificatus nostri anno X.

BENEDICTUS PAPA XIV.

An. C. 1741

I.

Ad Regem Aethiopiae, exoptantem ut catholica fides in eo regno propagetur, mittit nonnullos fratres ex Ordine Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae, quos illi commendat, alios, cum opus fuerit, missurus, eumque excitat ad fovendam patrocinio suo eamdem propagationem (1).

Illustri ac potentissimo Aethiopiae regi,

BENEDICTUS PP. XIV.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Cum ad nos relatum fuerit, celsitudinem tuam catholicae religioni amicum animum gerere, atque exoptare, ut tuo patrocinio per latissimas regni tui regiones libere propagetur, mirifice hac tua benignitate delectati sumus maximamque habemus tibi gratiam, quae, quanta sit, explicare haudquaquam possumus. Id unum pro certo habeas, parem esse aegritudini qua iampridem conflictabamur, cogitantes, frequentissimam tot hominum multitudinem latissimas regiones tuas incolentium, qui soli tot inter Africae nationes Christi nomen perpetuo venerati sunt, ad ipsius immortale regnum aditu prohiberi, quo SS. Patrum conciliorumque testimonio ii tantum accedunt, qui Romanae Ecclesiae doctrinam sequuti, Petri navicula pervehuntur. Igitur ubi celsitudinem tuam in eam propenso animo esse audivimus, sustulimus illico ad caelum manus, Deum Opt. Max. summis precibus obtestati, ut huic saluberrimo consilio tuo propitius adesse velit. Quod quidem consilium ut facilius ac celerius explicari possit, ad te nulla mora ire iussimus, cum aliquot sociis, quibus praeesse debet, dilectum filium Michaelem a Vastignè e religiosa divi Francisci familia severioris Observantiae, hominem ob doctrinae praestantiam, rerum agendarum prudentiam, morum gravitatem nobis apprime carum. Is cum altero dilecto filio comite Esneval e maioribus armorum praefectis has nostras celsitudini tuae reddet literas, pluraque nostro nomine adiiciet, quibus, si quid rei gerendae expediendum accidat, facile expeditum iri non dubitamus. Ab iis intelliges quam incredibili feramur aeternae vestrae salutis desiderio, et nihil esse in Apostolicae Sedis, cui nos, licet immerentes, praesidemus, auctoritate, quod in huiusmodi eventum adeo necessarium nobisque optatissimum non simus libenter collaturi. Nam caritas Christi nos urget, ac propterea adeo te praestantissimum excultissimumque virtutibus regem insigni benevolentia prosequimur, ut, si tibi impenso omni studio satisfacere posse arbitremur, nostrum utique desiderium satis aequaturi esse videamur. Sodales illos, quos tibi allegamus, ut regia benignitate excipias ac tuo patrocinio iuves, te etiam atque etiam oramus, iisdemque volumus parem adhibeas fidem quam nobis alloquentibus adhiberes, dataque tibi nostra monita libenter complectaris, certus non alio tendere, quam ad praestandam curandamque tibi immortalem felicitatem; ab iis percipies quid maxime ad prosperum huiusce rei exitum conducere, et qua faciliori via, favente divina gratia, obtineri illa possit. Obtinendae vero si opem conferre tuam sedulo constitues, iisque, tua potestate fultis, liberum fuerit in id conniti, nos utique allicies ad alios eiusdem Franciscanae familiae socios transmittendos, qui depravatam istic Domini vineam labore suo iterum cultu nitescere studeant. Huc igitur adiice animum tuum docilesque Pontifici Maximo praebe aures, qui, ut Pastoris aeterni vices in terris gerit, ita exemplum imitaturus, errantes oves ad se reducere vehementer cupit. Nullum profecto iucundiorem nobis illuxisse diem reputaturi sumus, quam qui tuam gentem ad verum Christi ovile reducem fuisse renuntiabit. Idque ut prompte constantissimeque perficias, celsitu-

An. C. 1741

(1) Ex literis ad principes et alios huius anni.

dini tuae Divini Spiritus auram singulari amore imploramus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCXLI., pontificatus nostri an. I.

II.

Aliquas declarationes constitutionum monachorum Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani confirmat (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Semper probavimus laudavimusque singulare pietatis et sollicitudinis studium, quo religiosorum virorum superiores in generalibus uniuscuiusque Ordinis comitiis congregati, postquam de omnium cuiuslibet monasterii, conventus et domus alumnorum virtutibus ac defectibus docti fuerint, propter temporum vices salutare remedium afferre cupientes, interdum constitutiones regulasque suas iuxta facultatem ipsis ab Apostolica Sede concessam declarare, et, quatenus opus fuerit, etiam novas pro maiori regularis disciplinae incremento constitutiones ac regulas condere et addere satagant. Ea propter in sublimi hac sacrosancti apostolatus specula superiores huiusmodi non solum apostolicis laudibus commendamus, verum etiam declarationes novasque conditas constitutiones ac regulas, cum a nobis petitur, apostolicae firmitatis patrocinio communire non dedignamur.

§ 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Abbatis generalis et monachorum syrorum maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani nobis expositum fuit, quod ipsi quamvis eorumdem regulae et constitutiones ab Apostolica hac Sancta Sede approbatae et confirmatae fuerant, tamen considerantes easdem regulas et constitutiones nonnullis indigere declarationibus, auctoritate, quae per easdem regulas et constitutiones ipsis traditur, declarationes seu explicationes huiusmodi, prout sequitur, condiderunt:

« Declaratio constitutionum facta in Congregatione Abbatis generalis et hegumenorum anno Domini millesimo septingentesimo trigesimo septimo et millesimo septingentesimo quadragesimo.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti unius Dei, Amen.

« Anno Domini millesimo septingentesimo trigesimo septimo, die decima quarta maii, et anno millesimo septingentesimo quadragesimo, die nona februarii, in nostro monasterio Loaizae habita fuit Congregatio Abbatis generalis et hegumenorum, in qua nonnullas nostrae regulae constitutiones examinavimus iuxta facultatem nostrae Congregationi factam part. quinta constitutionum cap. ult. num. II. — Explicatio constitutionum et regulae pertinet ad solum Abbatem generalem cum consilio hegumenorum —, isque erit genuinus earum sensus, in quem maior pars hegumenorum consentit. Praefata itaque auctoritate muniti et sanctae synodi Montis Libani, apostolica auctoritate anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto celebratae, inhaerentes decretis, examinavimus et declaravimus sequentes nostras monasticas constitutiones.

« Primo, part. II., cap. IV., num. III., dicitur: Si quis ex professis permiserit se ordinari absque licentia Abbatis et congregationis monachorum, negotium eius ad Abbatem generalem deferatur, qui illum ab exercitio Ordinis suspendat aliisque poenis plectat, salva indulgentia, quam ei reverendissimus D. Patriarcha concesserit.

« Nos, hanc constitutionem explicantes, dicimus, suspendendum esse eum monachum ab exercitio ordinis, quando ab Episcopo aliquo etiam dioecesano fuerit ordinatus absque licentia Abbatis et congregationis monachorum; secus, si reverendissimus dominus Patriarcha ordinationem eius perfecerit: nam ipse est pater omnium nostrum, et si quem ex nostris monachis sacerdotio aut alia superiori dignitate ecclesiastica dignum iudicaverit, pro sua auctoritate patriarchali id praestare poterit; rogandus tamen a nobis est atque humillime obsecrandus, ut omnia circa monachos nostros negotia, non nisi auditis superioribus, peragere dignetur.

« Secundo, part. II., cap. V., num. II., ubi de sacerdotibus dicitur: Coeremonias

(1) Ex tabul. Congr. Vide, paulo superius, pag. 149.

sacrae liturgiae aliarumque ecclesiasticarum functionum accurate discant et observent. Sintque hac in re uniformes, patriarchalem sibi ecclesiam tamquam normam proponentes. Cantus etiam ecclesiasticos calleant.

« Hanc constitutionem ita declaramus, ut nimirum iis breviariis, missalibus, ritualibus divinisque officiis in ecclesia utamur, quae pro nostra natione a Sancta Sede Apostolica vel a reverendissimo domino Patriarcha fuerint approbata: in coeremoniis quoque et in cantu ecclesiastico, quoad substantialia et formalia, patriarchalem ecclesiam imitemur. Hinc est, quod ea, quae in synodo Montis Libani circa divinum cultum et nitorem ecclesiarum praescripta sunt, executioni demandare non solum fas nobis esse censemus, sed etiam omni studio et ope satagere debemus, nimirum

1. Quoad scamna psallentium in choro, (part. IV., cap. V., num. VI.) in maioribus autem ecclesiis et monasteriis inducendus est usus, ut unusquisque, loco suo stans, librum prae manibus teneat: indecorum enim esset, ingentem clericorum vel monachorum multitudinem inconfuse et inordinate ad lectorile convenire, ut ex uno codice omnes cantent.

2. Quoad pulpitum ad lectiones vel conciones in ecclesia collocandum (part. IV. synodi, cap. I., num. V.), in fine templi extra cancellos designetur locus chori et in boreali eius latere iuxta cancellos ipsos collocetur sedes, ubi praefectus chori sedeat. Tres sint in cancellis portae, quarum media maior dicitur, quae altare spectat, altera porta septentrionalis, tertia meridionalis; inter hanc et portam mediam sit pulpitus, ubi epistola legitur, et inter mediam et meridionalem sit alter pulpitus, ubi Evangelium enunciatur.

3. Quoad confessionalia in ecclesiis nostris ad instar ecclesiae cathedralis Alepensis collocanda (ex synodo part. II., cap. IV., num. X.), curent Ordinarii, ut confessarius habeat in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat, quae sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crate etiam perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa.

4. De arabicae linguae usu in divinis officiis (ex eadem synodo, part. II., cap. XIII., num. XI.), quia tamen in nostram ecclesiam a multis saeculis consuetudo invecta est, ut non solum lingua syriaca missam sacerdotes celebrent, sed multa etiam arabice recitent seu canant, ac praesertim apostolicas et evangelicas lectiones et plerasque preces, quae elatiore voce in missa dicuntur, idcirco usum eius linguae arabicae, nimirum, quae in nostris provinciis vulgaris est, quaeque in oriente passim in divinis officiis ab aliis etiam christianis nationibus adhiberi coepit, permittimus et concedimus, sic tamen, ut primum linguae syriacae usus in iisdem divinis officiis omnino retineatur et frequentetur, deinde in missalibus, ritualibus, pontificalibus ac divinis officiis si quid arabice versum tum in manuscriptis, tum in impressis ecclesiasticis libris occurrit, illud idem e regione syriaco idiomate describi debeat, ut semper in promptu sit, nec aliquando pereat.

5. Denique quoad cantus ecclesiasticos (part. IV. eiusdem synodi, cap. V., n. III.), curent autem Episcopi, ut in frequentioribus ecclesiis et monasteriis sit magister cantus ecclesiastici, qui tamen ecclesiasticos non profanos cantus doceat.

« Tertio, part. II., cap. V., num. III., dicitur: Curam animarum nemo ex nostris suscipiat, neque in iis, quae parochorum aut Episcoporum iuris sunt, se immisceat; si quando autem ab Episcopo aut reverendissimo domino Patriarcha iussus fuerit Abbas monasterii, ut ipse vel aliquis monachorum in monasterio aut vicinis seu remotis locis populum doceat, vel confessiones audiat, aut alia quaecumque sacramenta administret, ab eo facultatem in scriptis habere curet.

« In hac constitutione nobis non prohibetur quaevis sacramentorum administratio, sed ea, quae propria est parochorum erga saeculares, nam in nostris monasteriis divina officia omnia et sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis tam monachis quam familiaribus nostris, ibidem commorantibus, administrare nobis licet, et saecularibus etiam ad nostras ecclesias accedentibus, excepta communione paschali; alia de more sacramenta iuxta communem nationis nostrae consuetudinem, a reverendissimis Patriarchis approbatam, conferre possumus, quae non sunt iuris parochorum et Episcoporum. Curet autem Abbas monasterii et monachi nostri, universim perpetuam animarum curam, quantum in ipsis est, non suscipere, etiam sibi ab Or-

dinario vel reverendissimo domino Patriarcha sponte oblatam, maxime si extra monasterium ad eam exercendam habitandum sit, nisi quando spiritualis populorum necessitas urgeat, aut Sedis Apostolicae expressa et specialis dispositio adsit, ob defectum scilicet parochorum saecularium, vel quando visum fuerit Sanctae Sedi aliquos ex nostris monachis ad missionum exercitia destinare; quae omnia arbitrio Sanctae Sedis et reverendissimi domini Patriarchae, nec non Abbatis generalis, sunt relinquenda.

« Quarto, part. II., cap. VIII., num. I., dicitur: Nullum monasterium, nisi accedente consensu et benedictione Episcopi et reverendissimi domini Patriarchae, nobis a fundatoribus aut patronis oblatum, accipere debemus vel de novo fundare possumus. — Quod pariter dicitur, part. III., cap. III., num. II., § XII.: Item nova si offerantur monasteria, acceptare ex consilio hegumenorum et consensu Episcopi ac reverendissimi domini Patriarchae.

« Sensus harum et similium constitutionum est, requiri et sufficere alterutrius consensum et benedictionem, hoc est, aut reverendissimi domini Patriarchae aut Episcopi dioecesani. Et ita consequenter intelligenda sunt, quae deinde subiunguntur in praedicta constitutione, part. II., cap. VIII., num. I., de Abbate, qui sine Episcopi et Patriarchae consensu monasterium de novo fundaverit aut a fundatoribus oblatum acceptaverit, si nimirum id factum fuerit sine consensu Episcopi aut reverendissimi domini Patriarchae.

« Eumdem sensum habet constitutio, part. II., cap. VIII., num. XIII.: Si per pagos vel civitates propter gravem monasterii necessitatem mendicandum fuerit, id non fiat, nisi licentia ab Episcopo et reverendissimo domino Patriarcha in scriptis habenda; — nam alterutrius licentia sufficit, aut Episcopi dioecesani in sua dioecesi, aut reverendissimi domini Patriarchae in toto patriarchatu.

« Et sic respective sunt intelligenda disiunctive, quae alibi posita sunt copulative circa reverendissimum dominum Patriarcham et Episcopum dioecesanum; nam Episcopus dioecesanus in sua dioecesi tantum potest nobis, quae ad suam iurisdictionem spectant, prohibere, vel facultates concedere, at reverendissimi domini Patriarchae potestas ad totum suum patriarchatum extenditur.

« Quinto, part. II., cap. IX., num. II., dicitur: Antequam congregatio generalis fiat, eius (idest Patriarchae) benedictio ab Abbate generali petatur; postquam facta est, electi Abbas generalis et hegumeni ipsum adeant, benedictionem accepturi.

« Hoc ita declaramus, ut, quando reverendissimus dominus Patriarcha abest a loco, ubi Abbas generalis habitat aut ubi congregatio generalis celebratur, idem Abbas generalis et hegumeni reverendissimum dominum Patriarcham per epistolas, filiali devotione ac reverentia plenas, de supradictis rebus certiorem faciant; ipse autem reverendissimus dominus Patriarcha a nobis humillime rogetur, ut, quae ad liberam vocalium electionem vel ad congregationis generalis prorogationem, anticipationem aut convocationem iuxta nostras constitutiones faciunt, paterna sua benignitate sedulo adiuvare velit, omniaque impedimenta, quae intrinsecus vel extrinsecus huic sancto fini opponi possent, auctoritate patriarchali, cum nostra imbecillitate concurrente, removere dignetur.

« Sexto, ibidem dicitur: Si opera nostra in rebus ecclesiasticis ac temporalibus, ad sedem patriarchalem Antiochenam spectantibus, uti voluerit Patriarcha, paratos se exhibeant.

« Ista constitutio de spiritualibus intelligenda est ad animarum salutem spectantibus; quibus in rebus tum reverendissimi domini Patriarchae, tum Episcoporum dioecesanorum adiutores erimus, quando operam nostram requirent, ut supra expositum est; non item in temporalibus, a quibus quam longissime abesse curabimus.

« Septimo, ibidem: Nullum cum ipso Patriarcha aut reliquis praelatis dissidium habeant, neque in rebus ad eius sive praelatorum auctoritatem pertinentibus se immisceant, sed meminerint se illius et praelatorum, in quorum dioecesibus versantur, obsequentissimos filios esse. Si quis huic regulae quoquo modo contravenisse compertum fuerit, severissime puniatur.

« Haec regula prohibet quidem, ne immisceamus nos, aut dissidium habeamus cum reverendissimo domino Patriarcha et praelatis in rebus ad ipsos ipsorumque auctoritatem et iura pertinentibus, at nostra iura tueri etiam adversus prae-

latos coram reverendissimo domino Patriarcha, aut etiam adversus reverendissimi domini Patriarchae procuratores coram Sancta Sede, si eos illa pervertere contingat, nullo modo prohibet, dummodo id a nobis modeste ac religiose et sine ipsorum dignitatis contemptu fiat. Eadem ratione declaranda est constitutio, quae habetur part. v., cap. xiii., num vii., de poenis in violatores huius regulae inflictis.

« Octavo, part. ii., cap. ix., num. iv.: Ne ullam sacram functionem cum saecularibus vel erga saeculares exerceant, nisi iussu Episcopi et beneplacito parochorum. Curam animarum perpetuam monachi ne gerant, neque ad tempus in civitatibus, sine licentia reverendissimi domini Patriarchae ac Episcopi ordinarii.

« Hanc constitutionem ita intelligimus sicut supra expositum est num. iii. Quod autem additur, de cura animarum etiam ad tempus in civitatibns sine licentia reverendissimi domini Patriarchae et Episcopi ordinarii non admittenda, declaramus alterutrius licentiam in eo casu sufficere, idest, vel reverendissimi domini Patriarchae vel Episcopi ordinarii: et sic de missionibus in civitate vel in dioecesi Episcoporum faciendis intelligendum est.

« Nono, part. ii., cap. xiv., num. i.: Monialium curam ordo noster non suscipiat, nisi de consensu reverendissimi domini Patriarchae et Episcopi dioecesani in scriptis habendo.

« Haec pariter constitutio disiunctive requirit vel Episcopi dioecesani vel reverendissimi domini Patriarchae consensum, idque tam quoad monasteria monialium fundata, quam quoad nova fundanda.

« Decimo, ibidem num vii.: Nulla Abbatissa vel monialis ultra triennium in eadem dignitate vel officio manere potest, aut confirmari, nisi a dignitate vel officio per integrum triennium vacaverit, nisi necessitas ad petendam dispensationem a reverendissimo domino Patriarcha coegerit.

« Id ita intelligendum, ut, ubi Abbatissa et officiales existunt in dioecesi Patriarchae, dispensatio eidem reverendissimo domino Patriarchae sit reservata. Ubi vero monialium monasterium in dioecesi Episcopi situm est, a dioecesano Episcopo vel reverendissimo domino Patriarcha dispensatio petenda erit. Eodem modo declaranda est constitutio, quae ibidem habetur num. x., Abbatissam, scilicet, ante expletum triennium non posse deponi absque Episcopi aut reverendissimi domini Patriarchae licentia.

« Undecimo, part. iii., cap. iii., num. ii., § ix.: Potest Abbas generalis congregationem generalem, etiam ante praescriptum tempus, convocare ex rationabili causa, vel post exactum terminum differre in aliud tempus usque ad biennium vel triennium, consultis tamen hegumenis et habita facultate a reverendissimo domino Patriarcha.

« Quoad triennalem ordinariam congregationis generalis convocationem, suffragio hegumenorum obtento, reverendissimum dominum Patriarcham certiorem faciat Abbas generalis, ut supra dictum est, n. v. Ubicumque enim constitutiones nostrae aliquid praescribunt circa auctoritatem reverendissimi domini Patriarchae aut Episcopi dioecesani, in nos et nostra monasteria id intelligendum est iuxta decreta Sacri Concilii Tridentini et secundum bullas Summorum Romanorum Pontificum, quibus nos humillime obtemperare profitemur. Prorogari autem vel anticipari Congregationem generalem (nisi per obitum Abbatis generalis) non licebit, sine expressa reverendissimi domini Patriarchae facultate, quemadmodum in synodo Montis Libani part. iv., cap. ii., num. vi., praescribitur in haec verba: — Sic etiam, quum triennalis congregatio habenda erit, non liceat monachis, neque generali eorum congregationi, illam ad aliud tempus, etiam brevissimum, differre, sine expressa licentia reverendissimi domini Patriarchae in scriptis habenda: alioquin, elapso praefiniti temporis spatio, etiam unius diei, ipse reverendissimus dominus Patriarcha, inconsultis monachis, Abbates et alios ministros creabit, eaque omnia aget, constituet ac disponet, quae in ea congregatione generali essent agenda et constituenda. —

« Duodecimo. Constitutionem denique, quae habetur part. iii., cap. ii., de regimine, ordine atque praeeminentia Abbatum, sic declaramus, ut Abbatum nomine significetur primo Abbas generalis; deinde quatuor Hegumeni; tertio Vicarius generalis; quarto Abbates provinciarum; quinto Abbates monasteriorum.

« Item definimus Abbates huiusmodi, sive actu gubernantes sive officio suo de-

functos, semper Abbatis nomine et privilegio gaudere. Commune autem Abbatum omnium hoc privilegium esse, ut pallium sine manicis deferant, quemadmodum in synodo Montis Libani de supremo monachorum Ordine exponitur (Part. IV., cap. II., num. XVI.): — Vestis propria monachorum tertii ac supremi Ordinis, loco pallii, in quo sunt manicae, pallium laneum sine manicis, quod *maalana* seu *superna* vocatur.

« Abbatum vero generalium dumtaxat eorumque, qui hoc officio functi sunt, speciale privilegium esse in nostra congregatione monastica, ut in ecclesiasticis functionibus, mitra, baculo et annulo et cruce pectorali uti possint, quemadmodum in constitutionibus, a Sanctissimo Domino nortro Clemente XII. Pontifice Maximo confirmatis, part. III., cap. III., de Abbate generali num. II., § XVIII., continetur. Denique Abbas generalis et quicumque hac dignitate functus fuerit, potest uti mitra et baculo pastorali in ecclesiis monasteriorum nostrorum tantum: extra autem illas non nisi cum facultate reverendissimi domini Patriarchae aut Ordinarii.

« A primo autem ad ultimum declaramus et profitemur, nos acceptare quidquid Sancta Sedes Apostolica et Summus Romanus Pontifex Christi Domini Vicarius et Beati Petri Apostolorum Principis successor, tam circa nos et monachos nostros, quam circa nostra monateria, decernendum iudicaverit.

« Datum in nostro monasterio de Loaiza, Sanctissimae Deiparae dicato, anno, mense et die, ut supra.

« Thomas Budi Abbas generalis monachorum congregationis Montis Libani Ordinis Sancti Antonii monachorum Protopatriarchae.

Ioseph Caraili, primus Definitor.
Michael Scander, secundus Definitor.
Abdella Habacuc, tertius Definitor.
Benedictus Hobaid, quartus Definitor.

§ 3. Quoniam autem praeinsertas declarationes seu explicationes regularum et constitutionum dilecto filio nostro Alexandro Sanctae Agathae in Montibus, diacono Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, Albano nuncupato, apud nos et Apostolicam Sedem praefatam eiusdem Ordinis et Congregationis protectore revisas et approbatas, quo firmius subsistant et serventur exactius, iidem exponentes apostolicae confirmationis nostrae munimine corroborari desiderant: Nos ipsos oratores specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas declarationes seu explicationes memoratarum constitutionum et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisve quibuvsis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensi dioecesis, sub annulo Piscat., die v. octobris MDCCXLII., pontificatus nostri an. III.

III.

Petro Abraham Patriarchae Armenorum nobilitatem etc. concedit (1).

Ven. fratri Petro Abrahamo nuper Archiepiscopo Alepen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia eas consuevit personas praecipue favoribus et gratiis prosequi, quas sibi et Apostolicae Sedi devotas et obsequiosas ac plurimis cognoscit meritis adiuvari. Hinc est quod nos te, qui praelatus domesticus noster et in capella nostra assistens existis, tuis meritis et obsequiis exigentibus, condignis favoribus et gratiis, tituloque et honoribus decorare volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, te nobilem facimus et creamus et nobilitamus, nobiliumque insigniis et titulis decoramus, nec non aliorum nobilium numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro nobili haberi et reputari ac nominari volumus et mandamus; tibique, ut omnibus et singulis privilegiis et immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, dispensationibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii nobiles de nobili Comitum genere, qui illustres deputantur, et, ex utroque parente procreati, de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possis et valeas vere et non ficte in omnibus et per omnia, ac si de illustri generi ex utroque parente procreatus fores, ita quod inter te et ipsos illustres, quoad nobilitatem et alia ad ipsam necessaria, nulla penitus sit differentia, nec fictio habeat locum, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus. Nec non te, dum in curia praesens existis, a solutione vectigalis vini pro sex vegetibus, de quibus pro tuo arbitrio disponere valeas ad instar cameralium, eisdem auctoritate et tenore eximimus et liberamus ac liberum exemptumque esse volumus. Insuper tibi unam portionem ***panis honoris*** nuncupati ex palatio apostolico dietim habere et percipere ac consequi, auctoritate et tenore praefatis concedimus et assignamus. Ac tibi tres viros, vitae et morum probitate ac aliis virtutum donis commendatos, qui nostris et Apostolicae Sedis obsequiis insistere proponant, in nostros et eiusdem Sedis notarios, auctoritate nostra apostolica, recipiendi et admittendi, aliorumque nostrorum et dictae Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi, illisque etiamsi habitum et rocchetum non deferant, ut nihilominus omnibus et singulis honoribus, favoribus, indultis, privilegiis, gratiis, exemptionibus et praeeminentiis, quibus alii nostri et dictae S. Sedis notarii, tam de iure quam de consuetudine, aut alias, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere possint et valeant, sine tamen aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum de numero participantium praeiudicio, et citra exemptiones a Sac. Conc. Tridentin. sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceant Ordinariis, et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi aliaque similia privilegia, eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, quibus nullibi notarii, a te vigore praesentium creandi, uti valeant, et si secus ab eis factum fuerit, irritum et inane existat, indulgendi; nec non etiam alios octo viros nobiles et idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos, auratae militiae equites, eadem auctoritate creandi et deputandi, illorumque quemlibet aliorum militiae huiusmodi equitum numero et consortio favorabiliter aggre-

(1) Vide *Ius* vol. III., pag. 83, 576 const. huius Pont. et suppl. infra alloc. *Septem*, vol. IV., pag. 262.

gandi, ac eisdem ut torquem aureum et aurata calcaria gestare, omnibusque privilegiis, gratiis, indultis et praerogativis, quibus alii equites huiusmodi utuntur, fruuntur et gaudent, similiter uti, frui et gaudere valeant, circa tamen exemptiones a dicto concilio sublatas, concedendi facultatem, auctoritate et tenore praefatis concedimus et impertimur. Nec non pro spirituali tua consolatione, ut in privato domus tuae, etiam in alma urbe nostra existente, oratorio, ad hoc decenter muro extructo et ornato seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eadem urbe Vicarium in spiritualibus gener. prius visitando et approbando, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret et alteri concessa non fuerit, per teipsum celebrare, seu per quemcumque sacerdotem approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni festis, duobus exceptis, in tua ac familiae tuae praesentia celebrari facere, libere et licite possis ac valeas: ita tamen, ut familiares servitiis tuis non necessarii inibi missae huiusmodi interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Praeterea tibi, ut quicumque loci Ordinarius, vel canonicus metropolitanae, aut alterius cathedralis ecclesiae, vel persona in dignitate ecclesiastica constituta, tam in Romana Curia quam extra eam, ad id per te coram notario publico et testibus fide dignis, eligendus vel eligenda, quascumque pensiones annuas super mensarum abbatialium, seu capitularium, ac episcopalium, ac archiepiscopalium, ac quorumcumque beneficiorum cum cura et sine cura saecularium, et quorumvis Ordinum Regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, tibi nunc et pro semper reservatas et assignatas ac reservandas et assignandas, pro summa videlicet quingentorum ducatorum aurei de Camera, quandocumque tibi placuerit semel vel successive, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus et redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per te nominandis, et quemcumque, quodcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, clericali saltem charactere insignitis seu aliis pensionum huiusmodi capacibus, etiam quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus ad id alias speciale mandatum habentibus, eisdem modo et forma, quibus tibi reservatae et assignatae fuerint, etiam absque consensu pensiones easdem solvere debentium desuper praestando vel requirendo, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam literis apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, et alias, cum omnibus et quibuscumque exemptionibus et privilegiis, decretis, clausulis et conditionibus, vinculis, obligationibus, cautelis et censuris ac poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis integre persolven., servata tamen forma constitutionis fel. rec. Innocentii PP. XI. praedecessoris nostri super translatione pensionum editae, reservare, constituere et assignare valeas, eisdem modo et forma de speciali gratia indulgemus; nec non tibi ultra alias quascumque facultates tibi competentes, et de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis iurisdictionalibus ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium tibi pro tempore commissorum, seu alicuius eorum speciali servitio vel ministerio, aut alias divino cultui vel usui dicata vel ad eius usum confecta seque moventibus cuiuscumque quantitatis, qualitatis, valoris, speciei et conditionis existentis, ac iuribus et actionibus ad te ratione patriarchalis Ciliciae Armenorum, cui praees, et quarumcumque aliarum cathedralium etiam metropolitanarum et patriarchalium ecclesiarum, ad quas forsan deinceps te transferri, et quibus te praeesse contigerit, nec non monasteriorum, prioratuum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordi-

num regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam vel administrationem, vel alias quomodolibet obtinueris, obtines et obtinebis, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, nec non pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus tibi reservatorum et assignatorum ac reservandorum et assignandorum, quos et quas percipis et percipies in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque, Romanae Curiae officiorum aut alias quomodolibet spectan. et pertinen., nec non tua industria quomodolibet et undecumque (licite tamen) acquisitis et acquirendis, ac alias etiam de muneribus et officiis, quae exercueris et exercere contigerit, et alias quavis occasione vel causa ad te perventis et perventuris, etiamsi in pecunia numerata ac iocalibus et gemmis aliosque pretiosioribus rebus consistant, tam in Curia quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existen., quorum omnium qualitates ac veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum et supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, perinde ac si specifice et singillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis et declaratis haberi volumus, servata tamen in omnibus et per omnia rec. mem. Urbani Papae VIII. praedecessoris nostri et aliorum, si quas tam per nos quam successores nostros edi contigerit constitutionum forma super fructibus inexactis usque ad summam mille ducatorum auri de camera, tam pro honestis et decentibus impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui tibi viventi inservierint, etiam ultra servitii meritum ac in tuorum consanguineorum et affinium ac quorumcumque locorum piorum favorem et usum, et alias pro arbitrio et voluntate tua, absolutis prius tamen de praefatis bonis omnibus aere alieno, et aliis, quae pro restaurandis domibus seu aedificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum per te obtentorum, culpa et negligentia tua ac procuratorum tuorum destructis vel deterioratis, nec non recuperandis bonis et aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis ex culpa et negligentia supradictis fuerint, opportune deductis, et sine praeiudicio literarum et constitutionum apostolicarum, super residentia editarum, ac iurium camerae apostolicae quoad bona iurisdictionalia testamento, codicillis, fideicommisso, legatis, donationibus tam inter vivos quam causa mortis, et aliis quibuscumque modis et clausulis, scriptura etiam minus solemni coram duobus vel tribus testibus, ac etiam schedula manu tua scripta vel subscripta, ac alias, in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum tibi videbitur, etiam in ipsa Curia, etiam in mortis articulo, etiam nulla facta mentione praesentis vel aliarum pro tempore tibi concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velis et intendas, atque iterum ac pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid gestum aut ordinatum vel alias a te dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, et alias, omni meliori modo valeat et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, donationes, dispensationes et ordinationes, legata et statuta pluries et toties, quoties tibi videbitur, moderari, limitare ac etiam in totum revocare et alia de novo edere, libere et licite valeas, auctoritate et tenore praesentis, plenam, liberam et omnimodam concedimus facultatem: nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispensationes et alia de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, ac alias quomodolibet a te facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per te in futurum fient quomodolibet, ex nunc prout ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, omnesque et singulas iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, nec non substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in iisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis et specifica de illius mentio habenda praesentibus esset, supplemus: districtius inhibentes quibusvis Archiepiscopis et Episcopis, et aliis ecclesiarum Praelatis, nec non fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, etiam Cruciatae Sanctae et aliis collectoribus et subcollectoribus ac aliis cuiuscumque dignitatis et conditionis existentibus et quavis auctoritate et potestate fungentibus, ne universitates, collegia et loca, legatarios, haeredes, per-

sonas, nec non testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio molestare audeant quoquo modo, vel perturbare; ac decernentes praefata omnia et singula, ac in illis contenta, nec non testamenta, codicillos, donationes, dispensationes, et alia quaecumque, nec non quae in praemissis facta sunt, aut earumdem praesentium vigore fieri contigerit tam vigore praesentis, quam aliarum concessionum tibi factarum et deinceps in genere vel in specie faciendarum, cum inde secutis et secuturis, valida, firma et efficacia fore, nec non perpetui valoris firmitate subsistere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; nec non etiam per translationem ad alias cathedrales et metropolitanas vel patriarchales ecclesias, vel etiam quamlibet status et personae tuae mutationem cessare, aut per similes et dissimiles gratias tibi concessas et concedendas confundi, sed ipsas in omnibus et per omnia tibi suffragari; et si quid in una ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec haeredes, legatarios et loca ad quae seu quos bona, iura et actiones huiusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut exequutores praedictos ad tertiam seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc tibi ac locis, haeredibus, et donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus, camerae seu fabricae aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles et quibuslibet aliis, quamtumlibet piis, usibus solven. ac cum eis desuper componen., vel ad aliam particularem licentiam seu indultum aut confirmationem a nobis seu successoribus nostris Romanis Pontificibus petendam aut impetrandam, vel etiam in alia simili gratia vel eius confirmatione, tibi quomodocumque conceden., de praesenti mentionem aliquam facien., teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse. Sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices ordinarios et religiosos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, nec non pro tempore existentes eiusdem camerae commissarium, praesidentes, clericos aliosque officiales et ministros, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi Cardinalibus Episcopis ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tua seu haeredum donatariorum et legatariorum tuorum aliorumque praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, tibique et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praemissa omnia et singula ac easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque firmiter observari, non permittentes, te vel alios praefatos, per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, earumdem tenore praesentium indebite molestari vel perturbari, contradictores et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate praesentium, in iudicium non trahatur, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, et de consensu praestando in pensionibus et quibuscumque aliis etiam per nos et Sedem praefatam editis et in posterum edendis Cancellariae Apostolicae regulis, et stylo hactenus observato, ac rec. mem. Alexandri VI. tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Camerae praefatae deberi inter alia disponen., et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac quibusvis aliis apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praefatae patriarchalis Ciliciae Armenorum et qua-

rumque aliarum ecclesiarum, monasteriorum et ordinum, collegiorum, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et officiorum dictae Curiae, et Urbis aliarumque civitatum et locorum ac Camerae praefatae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, militiis, collegiis et hospitalibus, eorumque praesulibus et superioribus, magistris et praeceptoribus, et militibus, capitulis quoque, conventibus, civitatibus, locis aliisque praefatis, nec non illorum communitatibus ac etiam vectigalis vini huiusmodi exactoribus et appaltatoribus seu detentoribus et aliis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praefatam, etiam consistorialiter et de S. R. E. praefatae Cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantia, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac alias qumodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, etiamsi in eis et statutis praefatis caveatur expresse, quod exactores et appaltatores vectigalis praefati vectigal huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem vel contributionem cogere et compellere possint et debeant, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis tam ex eorum institutione, quam ex stabilimentorum dispositione, pensionibus, clericis et aliis personis, etiam auctoritate apostolica reservandis, gravari non possint; quodque stabilimentis ac privilegiis praefatis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendo etiam per literas apostolicas, ac etiam derogatariarum derogatorias efficacioresque et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consensu eorumdem Cardinalium fiat, ac tunc demum conventus et magistri praefatorum ad id accedat assensus, sintque literae derogationis huiusmodi per d. magistrum subscriptae ac illius conventui praefato per diversas in forma brevis literas, diversis temporibus, cum certis intervallis intimatae et insinuatae, et non alias nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient etiamsi de simili consilio derogationibus sit apposita clausula, quod illorum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non alias, nec alio modo: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod notarii, per te vigore praesentium creandi, antequam exercitio tituli insignium et privilegiorum, notariis huiusmodi competentium perfrui incipiant, nedum in manibus tuis vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos emittere, et solitum fidelitatis iuramentum praestare teneantur, sed ulterius ante praedictum exercitium et ante tres menses ex tunc proximos, etiam sub inhabilitatis ad quascumque pensiones et beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda, aliisque, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio, poenis exhibere seu exhiberi facere exemplum seu transumptum authenticum tuarum literarum eorum creationis in notarios penes nostrum et eiusdem Sedis secretarium brevium omnino debeant, quodque de hac voluntate nostra in tuis literis praedictis fiat mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. ianuarii MDCCXLIII., pontif. nostri anno III.

IV.

Capitulum generale Ordinis Sancti Basilii Magni Ruthenorum, Dubni habitum, iuxta modum, confirmat etc. (1).

Venerabili fratri Athanasio Szeprychi Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, nec non dilectis filiis Proto-Archimandritae, Archimandritis, Abbatibus et Monachis Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Delata ad nos rerum gestarum serie atque habita coram nobis Congregatione ven. fratrum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, sub die prima Maii anni MDCCXLII., facile coniecimus, non levis momenti dissensiones inter veterem et novam congregationem oriri posse, nisi opportunis remediis eisdem occurreretur, cum ea iam quaestio excitata esset, utrum scilicet nova congregatio Polonica proprio et distincto Proto-Archimandritae subesse deberet, an vero alteri congregationi Lithuanicae unienda et illius Proto-Archimandritae, tamquam Superiori Generali totius Ordinis Basiliani, subiicienda esset. Proindeque, ad tollendam omnem controversiam resolutum fuit, quod ex omnibus utriusque provinciae monasteriis unica efformaretur congregatio, et cogeretur capitulum generale pro electione Proto-Archimandritae; huic vero capitulo praesideret Metropolitanus Russiae, eidemque interesset Nuntius apostolicus, vel per se, vel, si ipse non posset, per alium ab ipso substituendum, aliaque plura constituta fuerunt, quae legi possunt in decretis sub praedicta die emanatis; atque inter cetera supradictae Apostolicae Sedis in regno Poloniae Nuntio commendatum fuit, ut inter duas praefatas provincias ***alternativam*** pro electione Proto-Archimandritae constitui curaret, cuius alternativae initium a provincia Lithuanica desumeretur. Cumque praedictus Nuntius convocationem capituli generalis indixerit in civitate Dubnensi de mense maio anni MDCCXLIII., Metropolitano Russiae in eo praesidente atque interveniente Episcopo Zenopolitano, ab ipso Nuntio subdelegato, in eodem capitulo, favente Deo, constabilita fuit unica congregatio, ex duabus praefatis provinciis composita, sub regimine unius Proto-Archimandritae; supradicta etiam alternativa proposita et stabilita fuit, et secundum eam electus fuit Proto-Archimandrita, atque ex Lithuaniae provincia electi pariter fuerunt officiales inferiores, consultores nimirum et secretarii, aequali numero, tam ex una quam ex alia provincia; aliaeque plures constitutiones et resolutiones emanarunt, pro felici regimine huius novae congregationis ex duabus provinciis compositae.

§ 2. Cum autem, pro supradictorum omnium firmitate, nostrum, ut par erat, apostolicum beneplacitum reservatum fuerit; nos vero, cum consilio ven. fratrum nostrorum, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, nobis procedendum esse censuerimus, convocatis eisdem coram nobis die trigesimo mensis martii currentis anni MDCCXLIV., omnibusque in eadem Congregatione perpensis, quae ad praedictum capitulum generale Dubni habitum, ad unionem duarum congregationum, ad constitutam inter eos alternativam atque electionem Proto-Archimandritae totius Ordinis ibi peractam pertinerent, libenti prorsus animo adducti sumus, ut, approbaremus quemadmodum per praesentes nostras apostolicas litteras approbamus et confirmamus, tam capitulum generale, quam unionem alternativam atque electionem Proto-Archimandritae aliorumque officialium in eodem capitulo decretas et respective peractas, quae omnia ad utilitatem ipsius Ordinis S. Basilii, quem paternae caritatis affectu prosequimur, salubriter expedire iudicavimus atque ideo iudicamus.

§ 3. Ab approbatione capituli generalis, nec non unionis, electionis, alternativae aliorumque praemissorum, gradum facimus ad nonnullas resolutiones, quas in praedicto capitulo propositas utraque provincia unanimiter iudicio nostro remisit.

§ 4. Prima occurrit ea, quae pertinet ad titulum Congregationis ex duabus provinciis compositae, cum provincia Lithuaniae pro conservatione tituli SSmae Trinitatis unitarum, provincia vero Poloniae

(1) Ex Bul. Congr. ap. vol. II., pag. 108.

pro nova denominatione Divinae Providentiae suum respective desiderium significaverint. Nos vero considerantes, provinciam Lithuaniae suum iam pridem obtinere titulum *Sanctissimae Trinitatis*, sicuti Poloniae provincia alium habet *Protectionis Beatissimae Virginis;* duplicis autem generis actus ab eisdem provinciis exerceri posse, alios nimirum universo Ordini communes, alios vero proprios singularum Provinciarum, opportune decernendum iudicamus, quod actus communes expediantur sub titulo *Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum*, in actibus vero peculiaribus provinciae Lithuaniae addatur titulus *Sanctissimae Trinitatis Unitarum*, atque in iis, qui proprii sint provinciae Poloniae, adiungatur alius *Protectionis Beatissimae Virginis Mariae*, et ita utrique provinciae suus praecedens titulus conservetur.

§ 5. Altera ex eo ortum habet, quod provincia Lithuaniae monasterium Lublinense cessit provinciae Poloniae cum aliquibus conditionibus, et signanter cum ea, quod huiusmodi cessio seu dimissio eatenus valere debeat, quousque a S. Sede decidatur, utrum alia duodecim monasteria, quae infra fines provinciae Poloniae constituta esse dicuntur, et quorum possessio est apud provinciam Lituaniae, praedictae provinciae Poloniae debeant assignari. Verum in praesenti rerum statu nos nihil aliud respondere possumus, praeterquam supradictam cessionem monasterii Lublinensis a nobis approbari. Circa reliqua vero ulteriores opportunae facti informationes vobis exhibendae erunt, ut super aliorum duodecim monasteriorum pertinentia iudicium nostrum efformare possimus. Equidem in cumulo scripturarum, quae nobis communicatae fuerunt, de eorum possessione apud provinciam Lithuaniae minime dubitatur. Illud quoque asseritur, nonnulla ex iis fundata fuisse pro Lithuanis. Haec nimirum facta dilucidanda sunt, recognoscendae fundationes, explicandae causae propter quas provincia Poloniae eorum cessionem nunc sibi deberi contendit. Quae omnia, si libet, intra breve tempus et absque magna impensa perfici possunt, concordando scilicet factum coram nostro Nuntio apud Poloniae regnum residente, vel coram illius auditore seu alio ministro ab eodem deputando, ad hoc, ut deinde ad nos remittatur veridica relatio, tum facti, tum etiam rationum omnium, quae coram ipso utrinque deducentur, quibus peractis, minime cunctabimur opportunam resolutionem proferre etc.

§ 6. Inter haec autem, dum Metropolitanus rationum momenta quae ab ipso sunt, atque Abbates similiter ea quae ipsorum intentioni favere possunt, maiori qua poterunt celeritate, nobis indicare curabunt, statuimus, ut Metropolitanus in illius iuris, quod in Abbatum personas obtinet, possesione perseveret.

§ 7. Huic autem epistolae nostrae finem imponere nullo modo possumus, quin debitis laudibus prosequamur ven. fratrem Athanasium hodiernum Russiae Metropolitanum, cuius eximia virtus atque ardens religionis catholicae studium sinceraque devotio erga Apostol. Sedem, et saepe alios *(sic!)* et in harum quoque rerum tractatione luculenter eminuerunt. Hinc est, ut nulli melius, quam ipsi demandari posse iudicemus gravioris momenti negocium, quod hic subiungimus. Plura nempe monasteria in provincia Poloniae esse novimus ad eam paupertatem redacta, ut vix duos aut tres monachos alere possint; in huiusmodi rerum statu, canonicae leges praecipiunt, plurium monasteriorum unionem faciendam esse, donec in singulis monasteriis decem vel saltem octo monachi commode congregare valeant. Ad multa igitur laudabiliter hucusque peracta, hoc etiam addat Metropolitanus (cui nos idipsum demandamus omnesque facultates ad hoc necessarias et opportunas impertimur) ut simul cum Proto-Archimandrita et consultoribus generalibus, nec non provinciali Poloniae eiusdemque provinciae consultorio, ad huiusmodi tenuiorum monasteriorum unionem peragendam incumbat. Quod sane proficuum opus, ipsius cura, ut confidimus, recte perficiendum, ubi ad Apostolicam Sedem ipsius relatio deferetur, auctoritate nostra comprobare et confirmare non dubitavimus etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. maii MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

V.

Carolo Emmanueli, Sardiniae regi, quaedam privilegia confert pro cappellanis castrensibus etc.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Quoniam de exercitibus carissimi in Christo filii nostri Caroli Emmanuelis, Sardiniae regis illustris, multa saepe contingere possunt, in quibus pro recta Sacramentorum administratione salubrique directione et cura animarum illorum, qui in castris degunt et versantur, nec non pro cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera et industria unius seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit, propterea quod non facile ad proprios parochos et locorum Ordinarios aut ad nos et Sedem Apostolicam recursus haberi potest; idcirco nos, supplicationibus ipsius Caroli Emmanuelis regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, cappellano maiori exercituum huiusmodi, ab eodem Carolo Emmanuele rege pro tempore deputato, infrascriptas facultates per se vel alium seu alios sacerdotes probos et idoneos per ipsum cappellanum maiorem, praevio diligenti ac rigoroso examine, repertos ac approbatos (quatenus iam ab aliquo suo Ordinario approbati non essent) et ab eodem cappellano maiore subdelegandos, erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes, tantum exercendas, videlicet administrandi omnia Ecclesiae Sacramenta, etiam ea, quae nonnisi per parochialium ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, praeter Confirmationem et Ordinem, reliquasque functiones et munia parochialia obeundi; absolvendi ab haeresi, ab apostasia a fide, et schismate in ditionibus dicto Carolo Emmanueli regi subiectis, intra Italiam quidem illos tantum, qui in eis locis ubi haeresis impune grassatur nati sint, nec unquam errores iudicialiter abiuraverint, vel S. R. E. reconciliati fuerint; extra Italiam vero et ditiones praedictas quoscumque etiam ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares, eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium inquisitionis adversus haereticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi haeresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi similiter grassatur haeresis, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae dumtaxat; absolvendi quoque a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus nobis et eidem Sedi Apostolicae specialiter reservatis, ac etiam contentis in literis die Coenae Domini quotannis legi solitis; retinendi in ditionibus praedictis solummodo, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos haereticorum vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et haereticos seu infideles in castris forte degentes, ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, et libros de astrologia iudiciaria tractantibus, ac ita, ut dicti libri prohibiti ex provinciis, in quibus haereses impune grassantur, minime efferantur; celebrandi missam una hora ante auroram et alia post meridiem, et, si cogat necessitas, etiam extra ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio vel sub terra, et, gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori missa ablutionem non sumserit ac ieiunus fuerit), nec non super altari portatili, etiam non integro seu diffracto aut laeso et sine sanctorum reliquiis, ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiae, etiam praesentibus haereticis aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missae non sit haereticus vel excommunicatus; concedendi primo conversis ab haeresi vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus christifidelibus ad praedictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, nec non in Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae festis diebus, vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem; singulis autem dominicis et aliis festivis diebus de praecepto relaxandi iis, qui eius concionibus intervenerint, decem annos de iniunctis illis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, easdemque indulgentias sibi lucrandi singulis secundis feriis cuiuslibet hebdomadae officio novum lectionum non

impeditis, vel, eis impeditis, die immediate sequenti; celebrandi Missam de *requiem* in quocumque altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit) et per eius applicationem liberandi animam alicuius ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii; deferendi, si in locis versentur, ubi ab haereticis vel infidelibus periculum subsit sacrilegii vel irreverentiae, sanctissimum Eucharistiae sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem in praedictis casibus retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen apto atque decenti; induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter haereticorum vel infidelium insultus aliter transire vel in illis morari non possent) vestibus saecularibus, licet sacerdotes etiam regulares fuerint; benedicendi quaecumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria et pertinentia, exceptis tamen iis in quibus sacra unctio adhibenda erit; reconciliandi ecclesias et cappellas ac coemeteria et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum Ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missae dominicis et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta: praeterea eidem cappellano maiori per se pariter, vel alium seu alios ab eo subdelegandos probos et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos, iuxta attestationem et informationem ab eorum Ordinario aliisve personis fide dignis, per ipsum cappellanum maiorem desuper exquirendam, omnem et quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus praedictis pro sacramentorum administratione, nec non spirituali animarum cura et directione pro tempore inservient, sive clerici vel presbyteri saeculares, sive quorumvis etiam mendicantium Ordinum regulares fuerint, perinde ac si, quoad clericos saeculares, eorum veri praesules et pastores, quoad regulares vero, illorum superiores generales essent, omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praedictas aliasque personas in excercitibus praedictis commorantes, ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et forma iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi ac fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras et poenas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam saepius reaggravandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi; eisdem insuper christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus quadragesimae et aliis anni temporibus et diebus, quibus eorum usus est prohibitus (feria sexta et Sabbato cuiuslibet hebdomadae ac tota maiori hebdomada, quoad carnes, exceptis) vescendi, ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi et absolvendi respective, prout et in quantum Episcopis locorum ordinariis iuxta sacros Canones et Concilii Tridentini decreta facere licet seu permittitur, quoad vota, iuramenta, irregularitates et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones et interdicta, nec non quoad omissionem omnium seu aliquarum ex denuntiationibus, quae matrimoniis personarum ad praedictos exercitus pertinentium et cum illis commorantium contrahendis praemitti deberent, ad septennium, ac interim, ad nostram et Sedis Apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Volumus autem, ut ii sacerdotes, quos idem cappellanus maior per sacramentis etiam parochialibus, militibus aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis (ut praescribitur) deputandos duxerit, nullatenus quidem huiusmodi facultatibus uti valeant erga milites praesidiarios, qui continuae arcium seu aliorum locorum custodiae adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis et Ordinariis in omnibus et per omnia subesse debere declaramus, sed dumtaxat erga milites et personas exercituum praedictorum ad vagas belli operationes destinatas, tam ubi in actuali expeditione reperiuntur, quam etiam cum in quibuslibet accidentalibus et temporaneis sive hybernis sive aestivis etiam praesidialibus stationibus pro tempore detinebantur, ita tamen ut, statim atque iidem sacerdotes, quos cappellanus maior subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint,

literas testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione ac facultatibus, sibi vigore praesentium concessis pro eiusmodi munere exercendo, parochis locorum exhibere debeant. Quibus visis, hi non impediant, quominus missam in suis ecclesiis celebrare ac in vim earumdem facultatum sacramenta etiam parochialia ministrare valeant; quodsi eo tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec parochus sine sacerdote huiusmodi, nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi eiusmodi matrimonii assistat aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul atque aequaliter stolae emolumenta, si quae licite percipi solent, accipiant et inter se dividant. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, sub annulo Piscat., die XXVIII. maii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI. (1).

VI.

Ingemiscit quod persecutio in Sinis fundamenta Ecclesiae convellere videatur; tamen praesules hortatur ad praelium Dei praeliandum (2).

Venerabilibus fratribus et dilectis filiis Antistitibus, vicariis et missionariis apostolicis in Sinarum imperio constitutis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venn. fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Certiores facti de coorta saevissimae persecutionis tempestate, propter quam partim ex vobis Amacaum in exilium tractos, partim carceribus vinculisque mancipatos, partim latibulis ac tenebris abditos, partim in alias provincias profugos esse accepimus, per hasce nostras in forma brevis litteras, quas insignis apostolicae nostrae erga vos caritatis testes damus, congratulemurne vobiscum an commoneamus, vobis considerandum relinquimus.

Nos quidem, de propagandae christianae religionis rationibus et incrementis solliciti, ad funestissimum huiusmodi nuntium, veluti acerbissimo inflicto vulnere perculsi, paene concidimus, dolentes maxime quae, vobis inde eiectis, fundamenta Ecclesiae istic locata convelli viderentur, et, vobis pastoribus in captivitatem abductis, oves Christi fierent in dispersionem, atque ipsa christianae legis ab antecessoribus vestris, de catholica fide benemerentissimis, per tot labores ac vitae discrimina confirmata sanctitas veneratione habita, opprobriis et calumniis traducta, ab istorum populorum cordibus penitus extingueretur.

Divina vero promissa et illustria apostolicorum virorum exempla nos, in gravissimo moerore iacentes, in tantam spem erexerunt, ut vestris tribulationibus communicari, vestris etiam coronis participes futuri optaremus. Vestram enim fidem, quae multo pretiosior est, probare, veluti ipsum aurum, vult misericordiarum Pater et bonorum omnium largitor Deus, ut per praeclara christianae fortitudinis et patientiae vestrae documenta ac merita iidem quidem populi a vobis instructi magis magisque in traditis evangelicae doctrinae praeceptis confirmentur, vos vero legitime certantes repositam in coelis iustitiae mercedem plenam uberioremque accipiatis.

In memoriam vestram revocate, venerabiles fratres, dilecti filii, quod vos in eorum locum successistis, qui, sicut oves inter lupos a Domino missi, humanis subsidiis destituti, sed fidei potentia armati, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, nec faciebant animas suas pretiosiores, quam ut illas ponerent pro inimicis suis. Certate igitur bonum certamen, cursum consummate, et sustinete momentaneum et leve tribulationis vestrae, quod aeternum gloriae pondus operatur in coelis. Nolite amittere confidentiam vestram et constantiam fidei, quam praedicandam suscepistis, et ad Christum ducem e coelo spectantem agones vestros et vobiscum certantem et vobis suppetias ferentem respicite. Ille enim in vobis vincere amans, iustus remunerator

(1) Ex vet. Bullar. S. C. de P. F. tom. 2, pag. 129. — (2) Dal Bol. portogueze pag. 932.

et iudex iam victoribus praemia dispensat. Levate capita vestra; ecce appropinquat redemptio vestra. Bonum est praestolari cum patientia salutare Dei.

Nos interea, venerabiles fratres, dilecti filii, ponentes faciem nostram ad Pastorum Principem, cuius vices in terris immerentes gerimus, rogamus et deprecamur, ut visitet vineam istam fundatam dextera sua, et mittat auxilium de sancto, et de coelesti Sion tueatur eam in perpetuum. Felix denique votorum et obsecrationum nostrarum auspicium et tribulationum vestrarum levamen ac solatium et apostolicae studiosaeque caritatis nos pignus esse cupimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXLVIII., pontif. nostri an. VIII.

VII.

Sacerdotibus commorantibus in regnis et dominiis regum Hispaniarum et Portugalliae concedit, iuxta modum, tres missas celebrare in die commemorationis omnium fidelium defunctorum (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quod, expensis omnium rationum momentis et gravissimis suffragiis virorum dignitate, pietate ac sapientia insignium concurrentibus, alias a nobis decretum est, id, ut solemnioribus apostolicae auctoritatis nostrae documentis confirmatum, quemadmodum est hoc in more positum laudabilique praedecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, instituto commendatum, maiori cum observantia debitae executioni mandetur, novo apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire exoptamus.

Petitio.

§ 1. Sane nuper edidimus decretum tenoris sequentis:

BENEDICTUS PP. XIV.

« Cum nobis charissimus in Christo filius noster Ferdinandus VI., Hispaniarum rex catholicus, enixam piamque petitionem exhiberi fecisset, ut quae disciplina viget in suae Aragoniae regno (cuius appellatione tum ipsa Aragonia tum etiam valentiae, Cataloniae et Maioricae ditiones comprehenduntur), ut scilicet in die commemorationis omnium fidelium defunctorum quilibet sacerdos saecularis duas, regularis autem tres, missas celebrare possit, eadem ad cetera quoque regna et dominia eidem Ferdinando regi subiecta, auctoritate nostra extenderetur; cumque eodem fere tempore charissimus quoque in Christo filius noster Ioannes V., Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, similem instantiam apud nos promoveri fecisset, ut nempe in omnibus regnis atque dominiis sibi subiectis cuilibet sacerdoti, tam saeculari quam regulari, facultas per nos fieret tres missas praefato die celebrandi: nos quidem huiusmodi petitionum gravitatem pensantes, ac memores similium postulationum, quae aliis Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, parum felici exitu exhibitae fuerunt, necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subiicere: quamvis minime hospites in ea nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momenti, pro officio, quod tunc gerebamus, secretarii congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini executioni et interpretationi praepositae, diligenter nobis exponenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro opere *de Festis Domini, part. I. pag. 247,* item in tractatu *de Sacrificio Missae, sect. 2, pag. 169* (iuxta editionem Patavinam), et in una ex institutionibus pastoralibus pro nostro Bononiensi clero populoque editis, quae est XXXVI. in latina versione Romae impressa, p. 185 et 186, ac demum in nostris litteris ad Episcopum Oscensem, datis die XVI. martii anni MDCCLVI., quae, iam seorsim typis vulgatae, in Bullarii nostri tom. II., propediem edendo locum habebunt.

« Sane quum nos in minoribus constituti, praefatae Congregationi Concilii, ut supra diximus, a secretis essemus, oblatusque fuisset supplex libellus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V., Hispaniarum regis, idipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando rege, ipsius filio, iterum petitur, officii nostri esse pu-

(1) Ex Bul. Coquelin. tom. II., const. 61.

tavimus, instantiam huiusmodi maiori cum apparatu, quemadmodum catholici regis dignitas postulabat, Congregationi repraesentare. Idcirco peculiaris dissertatio a nobis elucubrata fuit, quae inserta est in consueto folio relationis causarum, quod a secretario confici et singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum dissertatione rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus, neque omisimus originem investigare illius disciplinae, quam diximus in Aragoniae regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quae alias ad huiusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quae olim pro Portugalliae regnis facta fuerat praedecessori nostro Clementi Papae IX., ut trinas liceret missas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit: quibus omnibus addidimus quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quondam rege Philippo IV. pro omnibus, tam saecularibus quam regularibus, regnorum suorum sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur, ideoque plura rationum factorumve monumenta pro huiusmodi concessione impetranda collecta tum fuisse constaret, nobis datum non fuerat huiusmodi collectiones ad causam maxime opportunas reperire: ut videre est in folio pro Congregatione diei II. maii anni MDCCXXII. a nobis conscripto, quod nunc in thesauro resolutionum praefatae Congregationis Concilii *Tomo II., pag. 169 et seqq.* impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi praedicta die habitae interfuisset, meminimus ipsum de nostra dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam devenisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inspicere, ipsumque in se recepisse ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter rescriptum prodiit: *Non proposita:* eoque rescripto factum est, ut instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino et perpetuo reiecta, quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum atque factorum examini, si quae aliquando ad ipsam petitionem magis iuvandam deducerentur.

« Quum itaque nunc ad nos ipsos in Apostolica Sede, inscrutabili Dei iudicio, collocatos praefatae petitiones iamdudum desertae, instantibus praefatis charissimis in Christo filiis nostris, delatae fuerint, omnia, quae ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quaeque olim desiderata sunt in lucem proferri. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum virorum Congregationem ad negotii huius examen deputavimus; in qua adscriptos voluimus venerabilem fratrem nostrum Antonium Xaverium, Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Gentili nuncupatum, praedictae Congregationis Concilii Praefectum, dilectosque filios nostros eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales presbyteros, Sylvium Valentini Congregationis de Propaganda Fide Praefectum, Carolum Albertum Cabalchini Praefectum item Congregationis super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, Fortunatum Tamburrini Praefectum Congregationis Sacrorum Rituum et Ioachimum Besozzi Maiorem Poenitentiarum; ac praeterea venerabilem fratrem Sylvestrum Merani Episcopum Porphyriensem Apostolici Sacrarii Praefectum, quem peculiaris huiusce Congregationis secretarium declaravimus, ac dilectos filios, magistrum Ludovicum Valenti in utraque signatura nostra referendarium, Protonotarium apostolicum et fidei promotorem, fratrem Michaelem a Sancto Ioseph priorem generalem Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, Coelestinum Orlandi procuratorem generalem Congregationis monachorum Coelestinorum, Ioannem Andream Onofrii Ordinis Eremitani Sancti Augustini procuratorem generalem, Thomam Sergium presbyterum congregationis Piorum Operariorum, Sanctae Inquisitionis consultorem et Praefectum studiorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, fratrem Ioachinum Pucci Ordinis Praedicatorum magistrum, Episcoporum et cleri Romani examinatorem; Dominicum Turanum Societatis Iesu presbyterum, Apostolicae Poenitentiariae consultorem theologum, et Aegidium Giuli eiusdem Societatis presbyterum, alterum examinatorem Episcoporum et sacrorum canonum professorem in collegio Germanico Hungarico ad Sanctum Apollinarem. His omnibus et singulis exhiberi man-

davimus quaecumque ad causam pertinebant, eaque potissimum, quae nuper reperta sunt, sed in praecedentibus propositionibus exhibita non fuerant; quae omnia iusto volumine comprehensa typis edita sunt Romae hoc anno MDCCXLVIII., datoque aliquot mensium spatio, quo res accurate perpenderetur, iussimus ut singuli sententiam suam scripto traditam ac sigillo obsignatam ad nos transmitterent: quae omnia diligentissime sunt peracta.

« Denique nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum privataque studia nostra eorum studiis adiunximus; et inspectis libratisque tum novis documentis, tum ipsorum consultorum suffragiis (ex quibus, quum quatuordecim numero fuerint, duo dumtaxat petitionem reiiciendam esse, reliqui vero duodecim indultum concede posse censuerunt), omnibus rite ac mature pensatis, invocato etiam Divini Luminis adiutorio, piis ac religiosis precibus dictorum charissimorum in Christo filiorum nostrorum, Ferdinandi VI., Hispaniarum catholici, et Ioannis V., Portugalliae et Algarbiorum, regum illustrium, libenter annuentes, omnibus et singulis in eorum regnis atque dominiis actu commemorantibus, tum saecularibus quam regularibus, sacerdotibus nunc exsistentibus, ac pro tempore futuris, quamdiu in praedictis regnis atque dominiis moram traxerint, et non alias, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam concedimus et impertimur, ut singulis annis, die secunda novembris seu die sequenti, iuxta rubricas missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres missas singuli celebrare possint et valeant, contrariis quibuscumque constitutionibus, litteris, regulis, ritibus et consuetudinibus minime obstantibus.

« Novimus sane, inter scriptores rerum moralium non satis convenire, an sacerdotibus celebrantibus missam pro defunctis iuxta praedictas rubricas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, liceat huiusmodi missae fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero, pro omnibus omnino defunctis fidelibus illum applicare teneantur. Utcumque autem se se res habeat de hac controversia, nos eos quidem, quibus in Aragoniae regno licitum erat ante hoc nostrum indultum duas vel tres respective missas praedicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Christo quiescentibus applicent: his vero, qui in posterum huius indulti vi, aut tertiam in eodem regno missam, aut secundam et tertiam in aliis regionibus, ad quas hoc idem indultum extenditur, celebraturi sunt, districte iubemus atque praecipimus, ut earum fructum medium, non quidem alicui peculiari defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent; expresse declarantes hanc esse nostram mentem et voluntatem, neque nos alias, absque huiusmodi lege et conditione, hoc ipsum indultum unquam concessuros fuisse.

« Scimus etiam antiquis iustisque titulis innixum esse usum, quo solent presbyteri eleemosynam accipere pro celebrandis missis iuxta offerentium mentem; qua de re late disseruimus in nostra ***Institutione Ecclesiastica LVI.***, fusius autem in opere nuperrime vulgato ***de Synodo Dioecesana*** Lib. V., Cap. 8 et 9. An vero cum retroactis temporibus in regno Aragoniae duae missae a sacerdotibus, tres autem a regularibus, in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, seu respective triplex, eleemosyna acciperetur, id ignoramus; sed facile credimus id usitatum fuisse, quum ubique fere receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus missis tria recipiantur caritativa stipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniae regno, duas vel tres respective missas praedicta die celebrantes, duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus.

« Iis vero, qui in posterum in eodem regno tertiam missam vigore praesentis indulti celebrabunt, iustis de causis, ac sub poenis inferius dicendis districte prohibemus, ne pro ipsa missa ullam eleemosynam accipere praesumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis, hoc eodem indulto comprehensis, secundam tertiamque missam celebrabunt, simili ratione, ac sub iisdem poenis praecipimus atque iubemus, ut non nisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima missa dumtaxat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus constitntionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit.

« Decernentes nullam omnino causam, nullumque praetextum aut obtentum ad

declinandam huius praecepti nostri observantiam suffragari posse, ne voluntariam quidem fidelium oblationem; nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus, nec alium quemcumque colorem, quod nempe eleemosyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione missae; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus fidelibus defunctis; sive quod offerentes cupiant ipso dumtaxat oblationis merito defunctos iuvare; hi enim poterunt per alia pia opera, sive per alias eleemosynas in alios quoscumque, quam in sacerdotem eique coniunctos, erogandas, defunctorum animabus suffragari: non item gravem indigentiam aut paupertatem sacerdotis celebrantis, aut ecclesiae aut coenobii; quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit: nec magnam copiam eleemosynarum, quae congestae fuerint pro missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit; quum minime liceat eleemosynas accipere pro missis, quae celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus aut a legibus praefinitum: neque porro missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynae iam receptae aut attributi redditus iam percepti fuerint; nos enim nolumus huiusmodi onera impleri per celebrationem missarum, quae indulto nostro permittuntur: neque demum legem fundationis iam factae aut in posterum faciendae cum augmento eleemosynae pro secunda et tertia missa; quum nos huiusmodi fundationes sive factas sive faciendas, etiam ex nunc prout ex tunc et e contra, hac in parte nullas et irritas esse et fore decernamus.

Concessio. « In summa volumus et statuimus, huiusmodi missas de novo concessas omnibus in communi fidelium defunctorum animabus, absque ulla prorsus eleemosynae perceptione, applicari; contrafacientes autem poenam suspensionis a divinis ipso facto incurrere decernimus, eiusque relaxandae facultatem nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, expresse reservamus. Hanc vero facultatem communicamus venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis sive aliis locorum Ordinariis, ut auctoritate nostra apostolica, et tamquam Apostolicae Sedis Delegati, ubi sic expedire prudenter in Domino iudicaverint, eadem canonice utantur erga quoscumque praecepti huius nostri violatores, qui ad ipsos humiliter recursum habuerint, sive saeculares sive regulares, sive alio quocumque modo ab eorum iurisdictione exemptos; hac tamen apposita lege, ut incursam huiusmodi suspensionem numquam relaxare valeant, nisi prius eleemosynas a delinquentibus ratione praedictarum missarum perceptas ab ipsis reipsa receperint; quas ipsi Ordinarii in alios pios usus (non tamen in subventionem eorumdem sacerdotum aut personarum ipsis vel sanguine vel necessitudine coniunctarum, aut in eorumdem coenobiorum, domorum et ecclesiarum utilitatem, quantumvis ipsi aut personae, coenobia, domus et ecclesiae huiusmodi notoria paupertate laborarent), arbitrio suo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas huiusmodi, quam ad relaxationem suspensionis eo modo incursae iisdem delegamus, nequaquam extenditur ad dispensationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui post suspensionem, ut praefertur, incursam, in sacro altari ministrare praesumerent; huius enim dispensationis concedendae facultatem nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, privative et perpetuo reservamus.

« Ad hunc igitur solum et unicum finem, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, multiplicatis ecclesiae militantis suffragiis, piorum animae in Purgatorio detentae subleventur, omnibus tam e saeculari quam e regulari clero sacerdotibus in regnis atque dominiis duorum praedictorum regum ditioni subiectis nunc et in posterum pro tempore existentibus, concedimus et indulgemus, ut praedicta die tres missas singuli celebrare possint et valeant. In quo, sicuti praedictorum consultorum concordibus fere sententiis consiliisque adhaesimus, ita a piae Matris Ecclesiae spiritu nequaquam discessisse nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minime alienam fuisse Ecclesiam a permittenda sacerdotibus missarum iteratione in unico die, ubi de iuvandis defunctorum animabus ageretur, et quidem etiam postquam desierat vetus illa disciplina, de qua infra sermo erit, qua scilicet sacerdotibus licebat pluries in die rem divinam peragere, ac post latam legem de unica tantum missa, praeterquam in die Natalis Domini, ab unoquoque sacerdote celebranda.

« Nova haec disciplina a praedecessori-

bus nostris Innocentio III. et Honorio III., Romanis Pontificibus, stabilita fuit, quorum hac de re leges extant in libris decretalium tit. *De celebratione Missarum:* Innocentii quidem in cap. *Consuluisti;* Honorii vero in cap. *Te referente.* Quum autem Innocentius in citato cap. haec verba posuisset: *Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat;* non solum glossa canonica, eidem cap. apposita, huiusmodi necessitatis causam tunc fore dicit, quum celebranda sit missa pro aliquo recens defuncto, ibi: *sed quam dicit necessitatem? Respondeo: si celebravit de die, et postea etiam moriatur aliquis:* verum etiam in Synodo Oxoniensi post ipsius Innocentii obitum, sedente iam Honorio III., celebrata, decretum videmus, ut, si defuncti corpus ecclesiasticae sepulturae mandandum existat, sacerdos duas missas eodem die celebret, unam de officio diei, aliam pro defunctis, ut videre est in collectione Conciliorum Angliae, Londini edita anno MDCCXXXVII. (Tom. I., pag. 586, num. 7). Idque etiam distinctius in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus praescriptum est, ut sacerdos in prima missa purificationem non sumat, utque tunc solum secunda missa pro defunctis ab eodem sacerdote celebretur, quando cadaveris praesentia occurrat die dominico seu alio die festo, nec alius adsit sacerdos, qui huiusmodi secundam missam celebrare possit, quemadmodum habetur in constitutionibus Sodorensibus anno MCCXCI. conditis, cap. 36, in eadem Anglicana collectione (Tom. II., pag. 179); itidemque in Concilio Rotomagensi habito anno MCCXXXI., n. 14 in collectione Harduini (Tom. VII., pag. 187 et seqq.). Qua de re nos ipsi olim egimus in nostra *Institutione Ecclesiastica* XXXVI. pag. 186. Neque vero haec in praesenti a nobis commemorantur, quasi nunc etiam, praesente cadavere, duae missae ab eodem sacerdote celebrari possint, quum iuxta hodiernam disciplinam liceat presbytero, relicta missa de die, missam pro defuncto, si praesens sit corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas, quae missam pro defunctis omnimode excludat: sed ideo haec dicta sunt, ut appareat, quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam missarum iterationem, quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis fidelium defunctorum suffragiis ageretur. Quo nempe spiritu nos etiam adducti, missarum sacrificia in die commemorationis omnium fidelium defunctorum a singulis praedictorum regnorum atque ditionum sacerdotibus ter celebrari posse concessimus.

« Sed duae aliae praeterea causae, eaeque satis graves, ad id concedendum nos impulerunt. Prima est quod cum antiquissima sit in regno Aragoniae consuetudo, ut praedicta die tres missae a sacerdotibus regularibus, duaeque a saecularibus celebrentur; eaque non modo nunquam reprobata fuerit, sed etiam a praedecessore nostro Iulio III. aut Paulo III., vivae vocis oraculo confirmata asseratur (ut iam olim adnotavimus in folio pro Congregatione Concilii a nobis, ut supra diximus, exarato), utpote quae nec divino ne naturali iuri contraria, sed solum a iure communi ecclesiastico vetita dignoscatur; cumque constet, eamdem consuetudinem non solum in regno Aragoniae proprie dicto, atque in alio Valentiae, et in comitatu Cataloniae, sed etiam in regno Maioricae longius dissito, tamquam ipsius Aragoniae regni appendice, viguisse et vigere: utique nec novam omnino rem, nec in exemplum alibi trahendam nos fecisse censemus, dum huiusmodi consuetudinem sive ritum auctoritate nostra extendimus ad alia regna et dominia eidem Hispaniarum regi subiecta, atque insuper ad ea, quae alteri quidem principi, nimirum Lusitaniae regi, parent, sed magna ex parte finitima et proxima sunt praedictis Hispanici regis ditionibus. Regula quippe canonica est, ut in regionibus conterminis atque inter se proximis rituum ac disciplinae uniformitas statuatur atque servetur. Unde etiam praedecessor noster, Sanctus Siricius Pontifex Maximus, quum ad Himerium Episcopum Tarraconensem scripsisset de variis ecclesiasticae disciplinae capitibus, de quibus ille Sanctum Damasum, ipsius decessorem, consuluerat, eidem mandavit, ut apostolica rescripta non solum cum provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret *ad Carthaginienses ac Boeticos, Lusitanos atque Gallaecos.*

« Alteram vero causam, eamque plurimi apud nos momenti, cum magno paterni animi nostri gaudio, nobis suppeditavit enixum studium duorum charissimorum in Christo filiorum nostrorum, Hispaniae et Lusitaniae regum, tantis in

Ecclesiam promeritis illustrium, qui unico et sincero devotionis instinctu acti, nec retardati ob parum felicem exitum similium petitionum, quas a praedecessoribus suis propositas fuisse noverant, istorum pietatis haeredes erga fidelium animas purgatorio igne cruciatas sese professi sunt, auctoresque se praestiterunt, ut eorum levamen, recurrente quotannis generali fidelium defunctorum commemoratione, in suis respective regnis atque dominiis suffragia multiplicarentur. Quapropter magni praedecessoris nostri Sancti Gregorii Papae verba, quae is ad Brunichildem Francorum reginam conscripsit (epist. 50, lib. 6 ipsius operum, Tom. II., p. 858), iure ac merito ad praedictos reges transferre nos posse censemus: ***Epistolarum vestrarum series, quae religiosum animum et piae mentis studium continebat, non solum voluntatis vestrae fecit nos laudare propositum, sed etiam libenter invitavit postulata concedere.*** Tum etiam ea, quae alter rec. mem. praedecessor noster, Innocentius Papa III., ad regem Castellae scripsit (epist. 154, lib. 14): ***Cum personam tuam inter catholicos reges speciali diligamus in Domino caritate, in his, quae secundum Deum requiris a nobis, favorem tibi apostolicum libenti animo impertimur:*** atque alia, quae idem (epist. 24, lib. 15), scripsit ad regem Lusitaniae; ***Aequum est autem, ut quos ad populi regimen et salutem dispensatio coelestis eligit, Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu: et in iustis postulationibus studeat efficaciter exaudire:*** eadem sane praesentium Hispaniae ac Portugalliae regum pietati ac dignitati mirum in modum congruere videntur. Quorum praeterea consimiles postulationes hac de re nobis exhibitas, et parem pro religione zelum eximiumque christianae fidei in remotissimis etiam regionibus propagandae studium, perspicuis argumentis nobis assidue comprobatum, dum laeti suspicimus, haec etiam utrique simul aptanda censemus, quae noster quoque praedecessor S. Leo Magnus ad Theodosium Augustum scribebat (epist. 21 ipsius operum, Tom. I., pag. 238): ***Quantum praesidii Dominus Ecclesiae suae in fide vestrae clementiae praeparavit, his etiam litteris, quas ad me misistis, ostenditur; ut vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem praeter imperiales et publicas curas, piissimam sollicitudinem christianae religionis habetis.***

« Quamvis vero antehac in regno Aragoniae, sacerdotibus regularibus praedicta die tres missas celebrantibus, saeculares presbyteri duas tantum celebrarent, nos tamen aequum iudicavimus hos illis per omnia exaequare, ut esset inter ipsos ritus uniformitas: quae res in causa fuit, ut in Ecclesia catholica aliae quoque diversitates sublatae fuerint, quantumvis tolerabiliores videri possent. Ita quum in Gallias, regnante Carolo Magno, inductus fuisset, una cum Ordine Romano, ritus celebrandi tres missas in die Natali Domini Nostri Iesu Christi, quum antea duae tantum celebrari solerent; novum hunc ritum soli primum Episcopi adoptarunt, ac sibi suaeque dignitati proprium fecerunt; sed postea, ad evitandam difformitatem, huiusmodi facultas ad omnes inferioris quoque ordinis sacerdotes extensa fuit, quemadmodum a nobis demonstratum est in Tractatu *de Festis Domini*, par. I., pag. 248.

« Applicationem autem missarum hoc nostro indulto concessarum, tertiae nimirum a sacerdotibus saecularibus in regno Aragoniae, secundae vero ac tertiae ab omnibus existentibus in aliis regionibus hoc decreto comprehensis, iussimus fieri, non quidem pro aliquo peculiari defuncto, sed pro omnibus fidelibus defunctis in genere; tum quia id magis consentaneum visum est piae ac religiosae menti duorum regum huiusmodi indultum expetentium; tum quia Ecclesiae spiritus id maxime postulabat; siquidem constat generalem commemorationem omnium fidelium defunctorum secundae diei mensis novembris affixam, iam usque a saeculo IX. ab Amalario Fortunato propositam, vertente autem saeculo IX. a Beato Odilone Abbate pro omnibus monasteriis sibi subiectis receptam, atque ab his demum, praedecessoris nostri Ioannis Papae XIX. auctoritate, ad universam Ecclesiam propagatam fuisse, ea potissimum de causa est, ut, post celebratam praecedenti die festivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Christo regnantium, omnium quoque iustorum animae in purgatorio detentae ac coelestis gloriae consortium expectantes, generalibus Ecclesiae suffragiis adiuventur. De hac re latius disseruimus in opere, quod scripsimus in acta nonnullorum Sanctorum, quorum

officia celebrantur in nostra Bononiensi civitate ac dioecesi *(in editione Patavina, cap. 22)*. Unde satis patet, quam iusta de causa praedictas missas non aliquibus peculiaribus defunctis, sed omnibus in communi fidelibus in Chritso dormientibus applicandas esse voluerimus.

« Quam vero nobis semper cordi fuerit, ut, iuxta sacrorum Canonum praescriptum, a celebratione sacrosancti missae sacrificii omnem avaritiae speciem omnemque sordidi captandi lucri praetextum longissime arceremus, satis compertum esse putamus ex his, quae tum in archiepiscopatus Bononiensis, tum in supremi pontificatus administratione, in hunc finem praestitimus. Etenim inter *Pastorales Institutiones* nostras, praeter LVI., in qua plures hac de re ecclesiasticae disciplinae regulas demonstravimus, et omnino observari praecipimus, adest etiam XCII., in qua sanctissimis Apostolicae huius Sedis decretis inhaerentes, pravam quamdam damnavimus consuetudinem, qua contendebant nonnulli licitum esse missas ita celebrare, ut earum fructum medium in antecessum applicarent pro iis, qui postea eleemosynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter nostras vero apostolicas constitutiones in Bullarii nostri tom. I. impressas, extant XXII. et XXIII., quibus severissime vetitum per nos est, ne eleemosynae pro missarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus maior est earum taxa synodalis, ut deinde missae alibi celebrandae committantur, ubi huiusmodi taxa in minori quantitate statuta est. In novissimo autem tractatu nostro de *Synodo Dioecesana*, lib. 5, cap. 8, num. 9 et 10, alia complura ad hanc rem pertinentia studiose collegimus.

« Ab hoc itaque tramite neutiquam recedendum nobis esse iudicantes, decrevimus supra atque statuimus, ut pro celebratione aut applicatione missarum hoc nostro indulto concessarum, nullum prorsus stipendium quocumque praetextu aut colore accipi valeat; quod ut a nobis in praesenti casu decerneretur, specialis quaedam et urgens ratio nos impulit, praeter generales hasce, quas paulo ante indicavimus. Perspectum est enim omnibus in ecclesiastica historia paulum modo versatis, plures olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli sacerdotes plus quam semel missarum sacrificia peragebant, ut erat praeter Natalem Domini, prima dies mensis ianuarii, feria V. in Coena Domini, vigilia Ascensionis, tres dies ieiunii infra octavam Pentecostes, aliique dies festi nonnullorum Sanctorum memoriae dicati, ut Nativitas Sancti Ioannis Baptistae et Natalitium Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, de quibus nos ipsi monumenta protulimus in opere *de Festis D. Nostri Iesu Christi*, part. I., pag. 247.

« Ut autem huiusmodi consuetudo generaliter tolleretur, et facultas celebrandi plures missas uno die, ad solum diem Natalis Domini, coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiae et sordidis quaestibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur; quae scilicet ex eleemosynis pro missarum numero multiplicatis aut ortum habuerant aut oriri posse videbantur. Hunc esse proprium sensum can. *Sufficit, de Consecr. dist. I.*, iam demonstratum per nos est in litteris ad venerabilem fratrem Episcopum Oscensem datis, § *Excepta et sequentibus*. Ideo autem scripta nostra in hoc decreto frequenter in medium protulimus, ne quae iam alibi a nobis dicta sunt, hic denuo explicare, et quae alibi demonstravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id vero, quod supra posuimus, a duobus praeterea scriptoribus in ecclesiasticis rebus apprime versatis asseritur. Eorum alter est Thomassinus in opere *de veteri et nova Ecclesiae disciplina*, p. 3, lib. I., cap. 74, num. 6, ubi post allatam constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, videlicet: ***Nullus bis in die missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate***, haec subdit: ***Cum pecunia tunc ut plurimum ad missam offerretur, hinc avaritiae species vel suspicio quaedam iterationi missarum affricabatur.*** Alter est Vicecomes in tractatu *de antiquis missae ritibus*, lib. 3, cap. 28, circa fin., ubi postquam antiquam exposuit disciplinam, qua permittebatur sacerdoti plures missas in die celebrare, de ipsius disciplinae mutatione deinde sic ait: ***Abrogationis autem causam, quantum equidem divinare possum, dedere nundinatores quidam, qui maioris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non sunt veriti, et fecerunt ut libertas prisca saltem hisce regionibus erepta sit ac deserit.***

« Si igitur multiplicitas missarum, quae sacerdotibus olim pluribus per annum

diebus permittebatur, ideo sublata fuit, ut avaritiae quaestibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, iure ac merito nos indultum hoc nostrum, quo sacerdotibus in praefatis regnis atque dominiis commorantibus tres missas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrare permisimus, huiusmodi expressa lege atque districta sanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro missis de novo concessis, ullum stipendii genus, quacumque de causa, et quolibet praetextu aut colore, recipere posset.

« His accedit, quod, quum petitiones inspexerimus ab aliquibus peculiaribus Episcopis Apostolicae Sedis oblatas pro concessione celebrationis duarum aut trium missarum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, simulque contraria expenderimus rescripta tunc respective emanata, agnovimus praedictas petitiones huic potissimum rationi innixas fuisse, quod scilicet tanta esset eleemosynarum copia, quae ea die pro missarum celebratione a piis fidelibus offerebatur, ut aliter illis satisfieri non posse assererent, quam si facultas indulgeretur sacerdotibus, ut plures missas ea ipsa die celebrare possent: contra vero in reiiciendis iisdem petitionibus, id maxime spectandum fuisse agnovimus, ne per huiusmodi concessiones ordo sacerdotalis apud detractores in aviditatis suspicionem et infamiam adduceretur. Qua de causa nos hanc concessionem nostram, praedicta lege adiecta, suspicionibus huiusmodi nullum locum praebere posse voluimus.

« Haec sunt, quae concedenda esse iudicavimus, quaeque de praemissorum consilio et apostolica auctoritate nostra concessimus, atque haec sunt, quae in huiusmodi indulti concessione prae oculis habuimus; quaeque omnia exponenda duximus praesenti decreto, quod a nobis conditum, manu nostra subscripsimus hac die XXI. augusti anni MDCCXLVIII., anniversaria coronationis nostrae, ineunte pontificatus nostri anno nono ».

§ 2. Porro praeinsertum nostrum decretum atque in eo omnia et singula contenta ac praescripta, quo firmius subsistant et serventur exactius, atque etiam, quatenus opus sit, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus; illique et omnibus ac singulis contentis et praescriptis, apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque ita, ut praemittitur, omnino servari mandamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective sub irrogatis poenis et censuris inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. augusti MDCCXLVIII., pont. nostri an. IX. (1).

VIII.

Pallium concedit Patriarchae Minoris Armeniae atque Ciliciae Iacobo Archiepiscopo Aleppensi (2).

ALLOCUTIO

HABITA DIE XXIII. SEPT. MDCCL.

Venerabiles fratres.

Septimus supra trigesimum iam praeteriit annus, ex quo, cum Samuel Capa-

(1) HERNAEZ, *Colleccion de Bullas* etc. vol. II., seccion V., p. 55.

(2) Vide supra *Circumspecta R. P.* et Ius vol. III. p. 83, 576, vol. IV. p. 262.

Die prima mensis octobris anni MDCCXLIX. cum ex hac mortali vita discessisset in monasterio S. Salvatoris monachorum Armenorum Ordinis S. Antonii Abbatis Abrahamus Petrus Patriarcha Armeniae minoris et Ciliciae, convenerunt in ecclesia eiusdem monasterii quinque Archiepiscopi Armeni una cum presbyteris, clericis et populo, et unanimi omnium consensu electus est Patriarcha Iacobus Vartabiet

sulis Patriarcha Alexandrinus, post eiuratum schisma, Pallii honorem a praedecessore nostro fel. record. Clemente Papa XI. per legitimum procuratorem humillime petiisset, placuit eidem Summo Pontifici plurium S. R. E. Cardinalium ac Praelatorum, quos inter nos ipsi fuimus cooptati, Congregationem coram se habere.

Congregatorum autem, uti evenire solet, non una fuit opinio atque sententia. Putabant quippe nonnulli, honorem latini pallii Patriarchis atque Archiepiscopis Graecis minime convenire; alii contra, numero licet longe minores, inter quos fuimus et nos, factu optimum iudicabant, pallium Patriarchae Graeco, si de eius fidei integritate constaret idemque humillimas huic Sanctae Sedi preces porrigeret pro consequendo pallio, quod proprium dignitatis suae est ornamentum, pallium, inquam, concedere. Inter plurimas, quae ad hanc sententiam confirmandam tunc allatae sunt rationes, potissima ex sancti Gregorii Magni gestis petita fuit. Cum enim orientales Illyrici ecclesiae graeco ritu procul dubio uterentur, nihilominus tamen magnus ille Pontifex pallium mittere ad Ioannem primae Iustinianae Archiepiscopum non dubitavit: ***Ratam Nos eius consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus:*** quemadmodum in eius epistolis legitur (1). Hoc ipso honore decoratum etiam fuisse ab eodem Summo Pontifice Ioannem Corinthiorum Episcopum, Metropolitam Helladiae, liquet ex alia eius epistola (2), in qua haec habentur: ***Pallium, sicut per epistolam postulatis, direximus.*** Andream etiam antiqui Epiri Metropolitam honore pallii donatum testatur eiusdem Summi Pontificis epistola data ad Episcopos eius provinciae (3), in qua inter alia haec leguntur: ***Andreae Fratri et Coepiscopo nostro pallium nos direxisse cognoscite.*** Et, ut ad tempora minus remota descendamus, tradidit Innocentius III. Summus Pontifex Cardinali a se in Armeniam Legato pallium, ut eo Ioannem Patriarcham Armeniae catholicum ornaret, uti ex epistola deprehenditur eiusdem Patriarchae relata inter gesta illius Summi Pontificis (4), ubi haec habentur: ***Pallium a Vestra Beatitudine delegatum, solemnitate celebri ac cum omni humilitate suscipientes, promisimus etc.*** Cui exemplo conforme aliud est Gregorii IX., qui et ad Patriarcham Armenorum pallium transmisit, et, id ut faceret, sese ideo permotum dixit, quia a Summis Pontificibus deces-

---

Archiepiscopus Alepen., qui Petri nomen assumpsit. Postea tum ab Archiepiscopis electoribus, a clero et populo Alepen. armeni ritus, tum etiam a Patriarcha Maronitarum et missionariis Latinis Alepi degentibus, et ab ipso Patriarcha electo ad Sanctissimum Dominum Nostrum Benedictum PP. XIV. et emos Cardinales Sacrae Congregationis de Propaganda Fide literae missae sunt, quibus demississime Sanctitati Suae supplicaverunt, ut electionem seu postulationem novi Patriarchae admittere seu confirmare, et pallium pontificiae potestatis insigne ei tribuere dignaretur. Totius autem negotii examine per Sanctitatem Suam ad emos patres eiusdem Congregationis de Propaganda Fide remisso, in congregatione generali habita die XI. augusti currentis anni editum est huiusmodi decretum:

DECRETUM

Sacrae Congregationis generalis de Prop. Fide.

HABITAE DIE XI. AUGUSTI MDCCL.

Delatis per R. P. D. Nicolaum Lercarium secretarium literis Archiepiscoporum Armenorum catholicorum Armeniae minoris et Ciliciae, cleri et populi Armeni civitatis Alepen., necnon Patriarchae Maronitarum et Missionariorum latini ritus Alepi degentium, enixe supplicantium Sanctissimo Domino Nostro, ut dignetur approbare et confirmare electionem seu postulationem Patriarchae catholici pro ecclesia patriarchali Armeniae minoris et Ciliciae, vacante per obitum Abrahami Petri Patriarchae, a praefatis Archiepiscopis unanimi consensu peractam de persona R. P. D. Iacobi Vartabiet Archiepiscopi Alepen., qui Petri nomen assumpsit; eminentissimi patres habita notitia de orthodoxa fide, prudentia, zelo ceterisque virtutibus eiusdem R. P. D. Iacobi, censuerunt, consulendum esse Sanctitati Suae pro admissione electionis seu postulationis, de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, necnon ut praevia absolutione a vinculo ecclesiae archiepiscopalis Alepi dignetur providere praedictae ecclesiae patriarchali Armeniae minoris et Ciliciae de persona memorati Iacobi Archiepiscopi.

Quam Sacrae Congregationis sententiam, ab eodem D. Secretario relatam Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV. in audientia habita die XXIII. augusti anni MDCCL., Sanctitas Sua in omnibus benigne approbavit et annuit.

Postea die XXIII. subsequentis mensis septembris, indicto de more secreto consistorio, in eo primum SSmus Dominus Noster emis patribus significavit obitum Ioannis V. regis fidelissimi Lusitanae; deinde propositae fuerunt tum a Sanctitate Sua, tum ab aliquibus Cardinalibus diversae ecclesiae. Peractis autem ecclesiarum propositionibus, reseratae fuerunt portae consistorii, et per unum ex DD. caeremoniarum magistris D. Thomas Franciscus Scaramutius advocatus consistorialis et P. Marcus Antonius Seguran Soc. Iesu sacerdos, praefati electi Patriarchae procurator, introducti fuere, et e regione pontificiae sedis flexis genibus praedictus D. advocatus Scaramutius a Sanctitate Sua pallium pro Patriarcha petiit.

(1) Tom. 2, Oper. edit. Parisien. an. MDCCV., lib. 2, indict. 10, epist. 22, col. 585.
(2) Ibid. lib. 5, indict. 13, epist. 57, col. 788.
(3) Ibid. lib. 6, indict. 14, epist. 8, col. 797.
(4) Num. 117.

soribus suis sic factum fuisse constabat (1): ***Petitum a te Pallium, quod olim antecessoribus tuis fuit ab Apostolica Sede concessum, iam quasi prae nimia vetustate consumptum etc. fraternitati tuae per Nuntios mittimus antedictos.***

Itaque, cum his exemplis adductus praedictus decessor noster Clemens XI. praefato Samueli Capasulis Patriarchae Alexandrino pallium concedere statuisset; nos, qui eo tempore advocati consistorialis munere fungebamur, delecti fuimus, ut illud in semipublico consistorio pro eodem Patriarcha postularemus. Cui petitioni annuens Summus idem Pontifex, post habitam piam eloquentemque more suo orationem, pallium concessit. Integra eorum actorum series refertur tum inter consistoriales laudati Pontificis orationes publica luce donatas (2), tum inter eiusdem brevia et epistolas typis impressas (3). Hisce ergo vestigiis nos pariter inhaerentes, cum tempore nostri pontificatus Romam venisset Petrus Abrahamus Vartabiet, qui cum esset Archiepiscopus Alepinus, ab Armenis catholicis postulatus fuerat in Patriarcham Armeniae Minoris atque Ciliciae, post confirmatam eiusdem electionem admissamque in semipublico consistorio, maiori qua potuit solemnitate, pallii petitionem, manibus ipsi nostris in Pontificia, quam in festo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae celebravimus, cappella, pallium illius humeris imposuimus. Neque ipsum solum, sed in aliis postea semipublicis consistoriis Cyrillum Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et Simonem Petrum Evodium, qui a Damascena Ecclesia ad Patriarchatum Antiochenum Maronitarum evectus fuerat, quorum uterque pallium a nobis per legitimos procuratores suos instanter atque humiliter postulaverat, post confirmatam ipsorum electionem, pari honore decoravimus.

Porro, cum ex hac ad meliorem vitam concesserit praedictus Petrus Abrahamus Vartabiet, Archiepiscopi Armeni, Clerus et populus, iuxta orientalem disciplinam, ad supplendas defuncti Patriarchae vices postulaverunt Iacobum Vartabiet, qui Alepinam Ecclesiam aliquot annos egregie administravit, sibique Petri nomen assumpsit. Illorum vero postulationem cum nos, audito prius Congregationis de Propaganda Fide suffragio, admiserimus, eius nunc nomine per legitimum procuratorem pallium a nobis enixis precibus petitur. Novus hic Patriarcha vir profecto est magni meriti, archiepiscopalem Alepinam Ecclesiam rexit multa cum laude, pro amplificanda fide catholica Galatae, Angorae et Aleppi plurimum laboravit multasque persecutiones ab haereticis excitatas pertulit, cum ter carceribus inclusus, et bis in exilium fuerit amandatus. Quibus meritis illud etiam accedit, quod eum Patriarcham habuit sibi proxime superiorem, qui a nobis honore pallii donatus est. Neque quidquam inter utrumque discriminis intercedit, nisi quod ille pallium impetraturus Romam venit ipse per se; hic vero per procuratorem a se id muneris legitime destinatum eamdem a nobis gratiam humiliter deposcit. Qua in re quidquid antiquioribus temporibus factum sit, quibus, ut notat eruditus scriptor (4) in suis adnotationibus ad ***Poenitentiale*** Theodori, honor pallii minime concedebatur, nisi iis, qui Romam venissent, eumque per se a Summo Pontifice petiissent; pluribus tamen ab hinc saeculis consuevit Apostolica haec Sedes pallii honorem etiam per procuratorem petentibus concedere, sublata quoque consuetudine sequentibus temporibus introducta legatum mittendi, quoties absenti petentique pallium elargiebatur.

Itaque pallium, quod electus Patriarcha minoris Armeniae atque Ciliciae a nobis postulavit, concedimus: sermonemque hunc nostrum concludimus, eius Procuratori iniungentes, ut idipsum nostro nomine eidem pallium tradens dicat, quod nos ipsi decessori suo praesenti olim diximus, scilicet pallium non esse dumtaxat dignitatis ornamentum, sicuti scripsit Sanctus Isidorus ad Erminium iuxta interpretationem Habert (5), sed textum esse lana, non lino, et circa collum deferri, ad eam ovem significandam, quam cum esset amissa, bonus Pastor quaesivit, invenit, suisque humeris impositam ad ovile reportavit.

---

(1) Epist. 398, apud Raynald. ad an. MCCXXXIX., num. 83.
(2) A pag. 139 ad pag. 156.
(3) Tom. 2, pag. 316 et seq.
(4) Petit.
(5) In notis ad Pontificale graecorum.

IX.

Paulum Ep. Oriensem regni Avae Vic. Ap. exhortatur, ut missionarii in civitate Syria indigeno idiomate verbum Dei explicent, etc.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Supremi Principis Pastorum Iesu Christi, qui posuit animam suam pro ovibus suis, vices in terris atque adeo assiduam omnium ecclesiarum sollicitudinem procurationemque gerentes, tam praedecessores nostri Romani Pontifices, quam nos ipsi, ita districtam eidem Iesu Christo, aeterno iudici, de iisdem ovibus, quas proprio sanguine redemit, nempe de animabus omnium hominum ad suum ovile, catholicam scilicet Ecclesiam fidemque, adducendis, rationem reddendam esse, plane intelligimus; ut culpae imputetur nobis non solum nostra incuria, sed aliorum quoque, quibus illarum cura commissa est, Pastorum negligentia, si opportuna apostolicae providentiae remedia necessariaque pontificiae caritatis auctoritatisque officia ubique terrarum desiderari patiamur.

§ 2. Iam dudum Apostolica haec S. Sedes, acceptis pluribus certisque nuntiis, satis superque edocta, quod in regno Peguano, quod iurisdictioni spirituali illius episcopatus fraternitatis tuae subiacet, ad eam christifideles illarum regionum devenerant desolationem, ut salubria catholicae fidei alimenta, ipsis quaerentibus, non esset qui subministraret. Magnus enim inibi erat sacrorum operariorum a bon. mem. antecessoribus fraternitatis tuae ad illarum animarum curam missorum illuc aliquando appellentium defectus, atque istorum nulla erat habilitas ac peritia, haud laudabilis agendi vivendique ratio. Eapropter Apostolica haec S. Sedes pro supremo sibi divinitus iniuncto super omnes ecclesias onere, iniunctaque sollicitudine pastorali, in mandatis dedit bon. mem. Carolo Ambrosio Mediobardo, Patriarchae Alexandrino, Visitatori Apostolico in Sinis aliisque Indiarum Orientalium regnis, ut perspectae indigentiae opportunam conferret opem, quemadmodum per duos illuc missos sacros operarios, consentaneis facultatibus munitos, providere studuit.

§ 3. Hi autem operarii aliique deinde eiusdem instituti, aperta sibi ad alias regiones via, magno cum animarum profectu suum ministerium obire pergebant; interea illorum Christifidelium numero, praesertim in civitate Syria eiusdem regni Peguani adaucto, eadem S. Sedes, quo commodius propagationi sacrosanctae religionis consuleretur, apostolicum illarum partium Vicarium constituit Episcopum Climensem, adiunctis aliquot idoneis, probis doctisque missionariis, ab ipso quoad omnes facultates dependentibus, quorum labore, zelo ac praedicatione magis in dies augebatur credentium in Domino multitudo. Viam vero universae carnis laudato Episcopo Climensi atque duobus quoque missionariis eiusdem Episcopi in christiana pietate, ministerio et zelo sociis, fortuito casu ingressis, venerabilis frater Paulus Nerinius ex clericis regularibus Congregationis S. Pauli Decollati, Barnabitis nuncupatis, qui ab ipso Episcopo Climensi in suum Pro-Vicarium Apostolicum subdelegatus iam fuerat, illuc rediit, unde factum est, ut christifideles, qui sine Pastore, veluti errantes oves, et sine rerum spiritualium cultura remanserant, atque in varias partes dispersi sese receperant, statim invicem convenientes, exciperent ab ipso Paulo Pastore verba vitae aeternae, non sine magno animarum suarum spirituali fructu, tum potissimum quod proprio nativo idiomate catholicae fidei dogmata necessariaque ad salutem opera edocerentur. Quod sane numquam praestiterant regulares illi sacerdotes, illuc antea profecti tamquam ab ordinario Episcopo praedecessore fraternitatis tuae deputati; quippe qui preces obsecrationesque Portugalliae lingua dumtaxat iisdem christifidelibus, linguam illam ignorantibus, recitandas tradebant; atque nullam aliam etiam curam suscipiebant, ut illi christifideles in necessariis christianae fidei praeceptis erudirentur.

§ 4. Haec autem atque alia huiusmodi serio animo meditati, atque insimul certiores facti, quod et rerum spiritualium indigentia illic maior in dies evaderet, et maius iisdem christifidelibus accederet commodum et maiori cum decore munera ecclesiastica peragerentur, et maiori cum veneratione catholicae Ecclesiae sacramenta administrarentur, haud morati

fuimus, ipsum Paulum Nerinium in novum Vicarium Apostolicum, non amplius regni Peguani, sed regni Avae, quod in tua dioecesi non comprehenditur, deputare, episcopali etiam dignitate et charactere ac titulo Episcopi Oriensis insignitum et facultatibus necessariis et opportunis auctoritate nostra apostolica illi traditis ditatum, et quatuor alios missionarios in labores curarumque suarum levamen ac subsidium mittere.

§ 5. Quoniam autem nos non latet, ab eodem ven. fratre Paulo, Episcopo Oriensi, fuisse commodam ecclesiam in civitate Syria aedificatam et instructam, aedes quoque inibi excitatas, in quibus, veluti parvo seminario, filii gentilium de parentum suorum consensu in catholicis rudimentis christianisque moribus instruerentur, ut hisce, quoad fieri poterit, eruditi, suos eiusdem nationis homines deinceps pari ratione instituere possent; hisce itidem aedibus alias non dissimiles erexit (1), tamquam conservatorium pro christiana quoque institutione et educatione puellarum, eorumdem gentilium filiarum, sub cura custodiaque cuiusdam foeminae aetate gravis, morum integritate insignis prudentiaeque laude commendatae: quarum sane rerum bene gestarum causa, etsi ipsum Paulum Episcopum Oriensem regni Avae Apostolicum Vicarium deputavimus, nolumus tamen missionarios eiusdem instituti a civitate Syria discedere, quinimo ipsis mandamus, ut inibi permanentes, eadem omnia, quae peragebant, munera, maiori cum cura exercere pergant....

§ 6. Hae namque sunt muneris fraternitati tuae impositi partes, quas quidem cum adimplere studueris, laetari debes; cum vero neglexeris, dolere teneris. Quod propterea Apostolica haec Sancta Sedes defectum negligentiamque tam praedecessorum tuorum quam fraternitatis tuae, pro suprema sua auctoritate et providentia supplere quaesierit, exultandum potius tibi est, et debita agendarum gratiarum officia eidem Apostolicae Sedi persolvenda, quam querendum, quasi iurisdictio Episcopi Meliaporensis imminuatur per providam Apostolicae Sedis rationem, qua sane et Episcopi Meliporensis defectibus non parvi momenti suppleatur, ut aliquo pacto non levis ipsius incuria excusetur, et qua animarum saluti prospiciatur atque insimul facilis aperiatur aditus felici prosperaeque propagationi catholicae fidei iis in regionibus ob deficientiam operariorum omnino fere incultis. Ipsa vero missio ad unicam dumtaxat civitatem Syriam, in qua fundata reperitur, dirigitur, non ad totius regni Peguani ambitum, in quo operarii tui suos labores probare possunt, nec alia de causa, quam quod ex unico portu et civitate Syria ad regnum Avae patet transitus. Porro tibi, venerabilis frater, animadvertendum esse oportet atque persuadendum, etiam nos non sine gravissima animae nostrae noxa posse querelis fraternitatis tuae acquiescere atque morem gerere, derelinquendo in illa, qua iacebant, deplorabili conditione tot animas, nunc praesertim, cum quamplurimae illarum tam bene viam mandatorum Dei et aeternae salutis semitam currere didicerunt....

§ 7. Iam christifideles illarum partium, tam indigenae quam advenae et inquilini, fruuntur in civitate Syria aedificata ecclesia, nec angusta nec indecora, in qua convenientes suas omnipotenti Deo fundunt preces obsecrationesque, in qua sacris intersunt, in qua in lege evangelica erudiuntur, in qua catechismi praecepta sibi explicata excipiunt... Ad ipsius quoque ecclesiae aedificationem non parvam pecuniae summam contulit vir quidam gravis et dives nationis Armenae, quem una cum sua coniuge, sicut accepimus, de praesenti haeresim insimul, qua infectus erat, eiurasse nobis facile persuademus, quinimo fore in Domino nobis pollicemur, ut ad tam luculentum eiusdem viri exemplum et incitamentum alii quoque nationis suae homines, apud quos et auctoritate et bonorum copia maxime pollet, ipsum imitentur ac sequantur. Quaenam igitur pernicies, quaenam offensio, non solum apud novos illic christianos, verum etiam apud gentiles illic importaretur, si missionem illam, sensim licet, removeri ac dissipari (quod a nobis misericordiarum Pater penitus avertat) per nostram querelis tuis acquiescientiam pateremur? Bono demum animo te, venerabilis frater, esse iubemus, ac nobiscum potius adlaborare fraternitatem tuam rogamus et hortamur...

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. decembris MDCCLIII., pontif. nostri anno XIV.

(1) Forsan legendum est: *hisque... erexisse... harum.*

X.

Confirmat et amplificat Ordinis Praedicatorum vetus privilegium, quo publica sacella et privata oratoria in aedibus, praediis ac fundis ad coenobia dicti Ordinis pertinentibus posita, ab Ordinariorum locorum visitatione eximuntur etc. **(1).**

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond, Magister Generalis Ordinis fratrum Praedicatorum, quod inter cetera privilegia a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Ordini illiusque superioribus et fratribus concessa, fel. rec. Alexander PP. IV., itidem praedecessor noster, per suas sub plumbo v. kal. aprilis MCCLXI. expeditas litteras indulsit, ut in locis, in quibus degerent, liceret eis habere oratoria, in quibus cum altari portatili possent missarum solemnia et alia divina officia celebrare. Subinde vero rec. mem. Benedictus PP. XI., etiam praedec. noster, per alias suas sub plumbo IV. idus martii MCCCIV. super exemptione a iurisdictione Episcoporum itidem expeditas litteras decrevit ecclesias, oratoria, domos et loca, quae dictus Ordo seu illius fratres tenebunt et inhabitabunt in futurum, dum et illa tenere et inhabitare contigisset, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi Apostolicae subesse: quae quidem privilegia ab hac Apostolica Sede pluries confirmata fuisse memoratur.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ordo quamdam possessionem *Sancti Pastoris* nuncupatam in dioecesi Praenestina existentem Magistrisque Generalibus Ordinis huiusmodi assignatam habeat, ad quam tam Magistri Generales praedicti quam eorum socii aliique dicti Ordinis fratres de illorum licentia rusticationis causa pluries infra annum accedere solent et commorantur, ac sacrosanctum missae sacrificium in quadam publica cappella, muro extructa sacrisque supellectilibus munita, pro eorum spirituali consolatione ac commoditate fratrum laicorum memorati Ordinis ad illius custodiam semper existentium, agrorumque cultorum et agricolarum aliarumque personarum ad illam adventantium celebrant; et licet ipse Antoninus Magister Generalis crediderit cappellam huiusmodi, vigore praedictorum aliorumque privilegiorum, ut praefertur, Ordini praedicto concessorum, numquam ab Episcopis Praenestinis visitatam fuisse, nec visitari debere, nihilominus transactis mensibus ad suam notitiam pervenerit laicos inibi ad dictae possessionis custodiam commorantes, absentibus tamen Magistris Generalibus praedictis seu aliis dicti Ordinis superioribus, propter ignorantiam privilegiorum praedictorum per ternas vices

---

(1) Ex ms. originali Brevium secret. Benedicti PP. XIV. Collatum concordat. Pro D. Cardinali Passioneo - Ioannes Florius substitutus.

Exequatur a R. Neapol. concessum.

S. R. M.

Il P. Maestro fr. Cherubino Passi, provinciale del regno de' PP. Domenicani, supplicando espone a V. M., come da Roma ha ottenuto Decreto che tutte le case e luoghi regolari di detto Ordine debbono essere visitate e riconosciute da' PP. di detto Ordine, e non già da' Vescovi de' luoghi. Supplica pertanto la M. V. concederli il regio exequatur, ut Deus etc.

S. R. M.

Ho veduto un transunto di Breve *sub annulo Piscatoris* del 22 gen. 1755, col quale a suppliche del P. Antonino Bremond, Maestro Generale de' Domenicani, si concede l'indulto di potersi nelle pubbliche cappelle, seu oratorii privati sistenti nelle case, possessioni e membri spettanti a' conventi di detto Ordine, le quali cappelle, seu oratorii, sogliono e debbono *iuxta ius* visitarsi ed approvarsi dagli Ordinarii de' luoghi, di potersi, dico, non ostante che non siano dai medesimi visitati ed approvati, celebrare anche da' sacerdoti secolari la Messa, e quelli che la sentiranno soddisfare al precetto. Inoltre si esentano dalla visita e soggezione degli Ordinarii dette cappelle pubbliche ed oratorii privati, colla legge però, che invece della visita da farsi dagli Ordinarii de' luoghi, basti che siano visitati ed approvati da' PP. Visitatori di detto Ordine. - Sopra del quale si è supplicata V. M. per il regio *exequatur*.

Pertanto, veduto e considerato l'affare, inteso in ciò il parere del regio consigliere presidente don Onofrio Scassa mio ordinario consultore, son di voto che V. M. può degnarsi concedere su detto Breve il regio *exequatur*. E questo ecc.

Napoli, 24 febraro 1860.

Di V. M. um̃o vassallo e cappellano
Onofrio Scassa.

Nicola Vescovo di Pozzuolo.

Francesco Albarelli -- *Exequatur, servata forma retroscriptae relationis* — Castagnola Gaeta Romanus — *Provisum per regalem cameram Sanctae Clarae. Neap.*, XXVI. *februarii* MDCCLX. — Citus illustris Marchio Danza, praeses S. R. C., tempore subscriptionis impeditus — illustris Marchio Fraggianni non interfuit reg. fol. 172.

visitationem dictae cappellae ab Episcopis Praenestinis faciendam permisisse, prout ex actis sacrarum visitationum id constare asseritur; cupiatque propterea dictus Antoninus Magister Generalis eidem Ordini in praemissis a nobis provideri: nos, qui dictum Antoninum Magistrum Generalem paternis complectimur affectibus, ipsumque ac dictum Ordinem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, dictumque Antoninum Magistrum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, *ut deinceps in publicis cappellis seu privatis oratoriis existentibus in domibus, possessionibus et membris ad conventus Ordinis praedicti nunc et pro tempore spectantibus et pertinentibus,* quae ab Ordinariis locorum iuxta ius visitari et approbari soleant debeantque, licet ab illis nec visitata nec approbata fuerint, nihilominus sacrosanctum missae sacrificium tam per regulares, sive eiusdem sive alterius Ordinis, quam saeculares presbyteros tuto celebrari possit, missamque inibi audientes diebus festivis praecepto Ecclesiae hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo iurium parochialium praeiudicio, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Insuper dictas cappellas publicas et privata oratoria a quacumque Ordinarii locorum, quacumque auctoritate, superioritate et dignitate fungentis, visitatione et subiectione, auctoritate et tenore praedictis, eximimus et liberamus, ac exempta esse decernimus, volumus et declaramus; ea tamen lege, ut ad eiusmodi effectum, nempe quoad visitationem per locorum Ordinarios super illarum et illorum fabrica ornatu et supellectili sacra faciendam, satis sit et sufficiat, quod dicta oratoria, cappellae et altaria visitentur et approbentur ac visitari et approbari debeant a fratribus visitatoribus dicti Ordinis, onerata super conscientia tam dicti Antonini moderni, quam pro tempore existentis, eiusdem Ordinis Magistri Generalis. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. ianuarii MDCCLV., pontificatus nostri an. XV.

XI.

Prohibet Armenis tres missas celebrare in nocte Natalis Domini.

Lettera della Santità di Nostro Signore Benedetto Papa XIV. a monsignor Arcivescovo di Rodi segretario della Congregazione di Propaganda Fide.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nella penultima udienza, che noi le dammo, ella ci espose, che avendo avuto qualche barlume, che i sacerdoti Armeni, che sono in Livorno, nella loro chiesa nazionale nel dì del Santo Natale celebravano le tre messe, non aveva tralasciato di scrivere a monsignor Arcivescovo di Pisa, per sapere, se il fatto era vero, e

da quanto tempo in qua, essendo vero, si fosse introdotto l'uso della celebrazione delle tre messe nel giorno predetto; e che dal Prelato l'era stato risposto, celebrarsi dai sacerdoti Armeni nella loro chiesa nazionale in Livorno le tre messe nel giorno di Natale; essersi ciò incominciato a praticare da due missionari parochi nella detta chiesa nell'anno 1725, ed essersi sempre da quel tempo in qua continuato nello stesso modo; riferire altresì i nazionali, che nell'oriente molti sacerdoti Armeni cattolici, e missionari dello stesso rito nel dì del Santo Natale celebrano le tre messe; conchiudendo poi essa il discorso col richiedere i nostri ordini sopra o il lasciar correre, o il proibire la celebrazione delle tre messe, che si fa dai sacerdoti Armeni nel dì di Natale nella loro chiesa nazionale in Livorno.

Il rito della celebrazione delle tre messe, che si fa da ogni sacerdote nel giorno del Santo Natale, è antico, ed universale nella Chiesa latina: ma nella Chiesa orientale non v'è vestigio del predetto rito: non facendosene parola nelle Liturgie greco-arabe de' Melchiti, nè in quelle de'Copti, degli Armeni e de'Greci, e dei Ruteni, che hanno adottato il rito greco. I padri Basiliani di Grotta Ferrata, benchè in molti capi abbiano adottato alcuni riti latini, non celebrano però nè nel detto monastero, nè in altro, le tre messe nel giorno di Natale. E nel Sinodo Provinciale tenuto l'anno 1736 nel monte Libano sotto il Patriarca Antiocheno colla presidenza di monsignor Giuseppe Simonio Assemani, che per ordine del nostro predecessore Clemente XII., essendosi portato colà, adempì lodevolmente il suo ministero, così si legge *al cap. 13 de sacrosancto Missae Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini ter missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus, et statuimus: non quod morem illum Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris, ac magistrae condemnemus: absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari vo lumus.*

Fu questo Concilio, dopo il dovuto esame, confermato da noi, come può vedersi nella nostra Costituzione inserita nel nostro Bollario. E ricavandosi non meno dal detto Concilio, che dall'allegate liturgie orientali, celebrarsi nella Chiesa occidentale le tre messe nel giorno di Natale, e non celebrarsi nella Chiesa Orientale, resta aperta la strada alla massima da noi diffusamente comprovata nella nostra lettera circolare ai missionari d'Oriente, scritta sotto il giorno 26 di luglio del presente anno 1755, e stampata nella stamperia della Congregazione di Propaganda, che non si confonda un rito coll'altro, che la Chiesa latina osservi il suo rito, e la Chiesa orientale il proprio: essendo ciò prescritto dai sagri Canoni, e dalle apostoliche costituzioni, e stabilito nel sistema della Santa Sede ampiamente dimostrato nella lettera predetta.

E quando mai si dicesse, che nella stessa lettera sono allegati da noi alcuni esempi di riti latini adottati dagli orientali, e di alcuni riti greci adottati dai latini, la risposta è in pronto, ed è, ciò essersi fatto o in sequela d'una immemorabile consuetudine, che porta seco la fama della concessione d'un privilegio apostolico, o in sequela d'un vero effettivo apostolico privilegio: delle quali cose nel caso, che è in questione, non v'è apparenza, anzi piuttosto v'è chiara prova in contrario: imperocchè avendo monsignor Arcivescovo di Edessa di rito armeno, che stava in Roma, pregato per avere la licenza di celebrare le tre messe nel giorno di Natale, e che questa licenza s'estendesse anche agli altri sacerdoti armeni, che erano in Roma; propostasi l'istanza nella Congregazione del S. Officio fra i consultori ai 17 di Febbraio 1710, e ripropostasi nella congregazione tenuta secondo il solito in palazzo nel giorno 27 di Febbraio, la risposta fu negativa: ancorchè chi ebbe l'incombenza di scrivere, e di dire il suo voto in carta, fosse stato molto proclive alla parte affermativa, come abbiamo riconosciuto: essendoci fatte portare dal S. Officio le scritture appartenenti al caso: ed ecco il dubio proposto: *An dicto Archiepiscopo concedendum sit indultum celebrandi tres missas in die Nativitatis Domini more latinorum, hocque extendendum ad omnes presbyteros armeni ritus in Urbe commorantes:* ed ecco la risposta: *Quoad petitum indultum celebrandi tres missas in die Natalis Domini more latinorum, respondendum esse negative.*

Nè dee tralasciarsi quanto da noi vien riferito nella predetta nostra lettera cir-

colare al § 45. Era stato ordinato fino dall'anno 1674 che gli Armeni, che hanno domicilio in Livorno, avvegnachè viventi con noi, dovessero conformarsi al calendario Gregoriano corretto nella celebrazione della Pasqua, e delle altre feste. Furono tanti e tanti i rumori, che dai predetti Armeni si eccitarono, che, essendosi tenuta nell'anno 1699 una nuova Congregazione, fu risoluto, che si lasciasse correre l'uso dell'antico calendario rispetto agli Armeni, che erano in Livorno, finchè si fossero disposti ad accettare il nuovo, e finchè la Santa Sede non avesse ordinato diversamente. Vogliono adunque gli Armeni, che sono in Livorno, quello che vogliono. Non vogliono il rito latino, cioè l'uso del calendario corretto, benchè vivano fra noi, e benchè ciò sia giusto: e volendo poi il rito latino nelle tre messe del Natale, che non gli tocca, non vi vuol molto a comprendere, che non è di dovere, che siano esauditi.

Resta quello, che si dice nella lettera di monsignor Arcivescovo di Pisa, che i nazionali, che sono in Livorno, attestano, celebrarsi in Oriente le tre messe da molti sacerdoti Armeni cattolici, e dai missionari del loro rito: e ciò da noi si crede verisimile, ma non giova all'intento. Il Beato Bartolommeo da Bologna Domenicano, detto comunemente l'Apostolo degli Armeni, fu spedito nell'Armenia nel 1318 dal Pontefice Giovanni XXII., e fu da esso creato Vescovo di Maraga, e poi trasportato all'Arcivescovado di Naxivan. Nel tempo della celebre missione del detto Beato Bartolommeo eravi in Armenia un certo Isaia scismatico, che aveva sotto di se trecento settanta discepoli. Era esso di buona intenzione, e mosso dalla fama della santità del Beato Bartolommeo, ed illuminato da esso della verità della fede cattolica, s'unì con lui, conducendo seco tutti i suoi discepoli: ed allora fu, che si formò la Congregazione de' Frati Uniti, avendo tutti preso l'abito di S. Domenico, e fatta professione di vivere di vera religione, seguitando la regola di S. Agostino, e le Costituzioni de' Frati Predicatori. Il tutto si vede nell'opera del Padre Galano *nella Conciliazione della Chiesa Armena colla Romana part. 1, pag. 503 e seg.* e con maggior facilità *nel tom. 2 della Storia degli uomini illustri dell'Ordine Domenicano* del Padre Touron *al lib. 1, pag. 108 e seg.* Fu questa Congregazione sottoposta al Generale dei Domenicani dal Pontefice Innocenzo VI. l'anno 1356, come si raccoglie dalla di lui lettera nel Bollario Domenicano *al tom. 2, pag. 248,* e nel Capitolo Generale tenuto l'anno 1583 questa nuova Congregazione incominciò a prendere il rango di provincia. Non intendendo i discepoli d'Isaia altro, che la lingua armena, e facendo l'unione coi frati Domenicani, fu d'uopo tradurre in lingua armena le regole, gli statuti, il breviario, ed il messale dell'Ordine, come raccontano i sopraddetti istorici. Nei tempi a noi vicini ritroviamo avere i Padri dell'Ordine de' Predicatori della provincia Armena pregato di poter far stampare i loro breviarii, e messali tradotti dal latino nell'idioma armeno; e la Congregazione del S. Officio tenuta ai 6 di settembre 1713 ammise l'istanza, deputando i correttori, o siano presidenti alla stampa, acciò il tutto si facesse colle dovute regole, e colla sicurezza, che nella nuova edizione non corressero errori, come altre volte in simili occasioni era pur troppo accaduto: ed il tutto fu confermato dal Sommo Pontefice nella Congregazione tenuta nel giorno seguente 7 di settembre dell'anno medesimo.

Essendosi dunque fatta la traduzione del messale Domenicano in lingua armena, ed essendovi nel messale Domenicano le tre messe nel giorno di Natale, pare assai verisimile, che alcuni sacerdoti armeni, e missionari vedendo, che le tre messe si celebravano nel dì di Natale dai Padri Domenicani, le abbiano ancor essi incominciato a celebrare, prevalendosi del messale Domenicano tradotto in Armeno: e quando questo sia, come è molto verisimile, il fondamento della celebrazione delle tre messe, che si fa da alcuni armeni in Oriente, ogni uomo di buon senno facilmente ne conoscerà l'insussistenza, e ch'esso non può in veruna maniera giovare agli Armeni, che sono in Livorno: appartenendo sempre le tre messe, che sono nel messale Domenicano, benchè tradotte in lingua armena, al rito latino; e non potendo gli Armeni prevalersi a loro capriccio del rito latino. Simile è l'esempio della messa latina dei Padri Domenicani tradotta in lingua greca, giusta la concessione fatta da Bonifazio IX. a Massimo di Costantinopoli Domenicano, che è *nel tom. 2* del Bollario Domenicano

pag. 370, celebrandosi essa dai Domenicani, e non potendosi celebrare dai Greci.

Ed ecco quanto abbiamo potuto raccorre, non ostante l'essere malamente trattati dalla podagra. Sarà sua cura il notificare il tutto alla Congregazione di Propaganda; e ricevendo da essa gli ordini, come si può credere, di rescrivere a monsignor Arcivescovo di Pisa, caderebbe forse in acconcio di fargli capitare una copia di questa lettera, che scriviamo a lei: alla quale intanto diamo l'apostolica benedizione.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXIX. decembris MDCCLV., pontificatus nostri anno XVI.

XII.

Syrorum Maronitarum Antiochiae electum Patriarcham Tobiam Gazenium confirmat et ei pallium concedit (1).

ALLOCUTIO

HABITA DIE XXVII. MARTII MDCCLVII.

Venerabiles fratres.

§ 1. Quadraginta iam et ultra effluxerunt anni, ex quo, suborta controversia, num Patriarchae Alexandrino graeci ritus indulgeri posset latinum pallium, quantumvis idem opportunis prolatis monumentis comprobaret, se schisma eiurasse, suumque legitimum procuratorem ad urbem ablegasse, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum pallium obtinendum afferret; coacta fuit coram sanctae memoriae Clemente XI. praedecessore nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium ac Praelatorum Congregatio, cui nos quoque interfuimus, et in qua statutum fuit, ut expetitum latinum pallium concederetur; nobisque ipsis contigit, pro advocati consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam pallii petitionem in consistorio exponere (2): quod magnae postmodum consolationi nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum seu resolutio multos ante annos edita (3), per quam ad propositum dubium, an Patriarchis graeci ritus latinum pallium esset concedendum, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, affirmative responsum fuit; quae quidem resolutio ignota tunc erat, quum Patriarchae Alexandrino facta est latini pallii concessio (4).

§ 2. Ex quo autem nos nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti

---

(1) Die duodecima februarii, anni MDCCLVI. cum e vivis excessisset reverendissimus dominus Simon Petrus Evodius, Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum: is nimirum, quem Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. Pontifex Maximus datis die XVI. martii MDCCXLIII. literis, ad compescendas dissensiones in electione Patriarchae subortas, Patriarcham auctoritate apostolica constituerat; die autem XIII. iulii MDCCXLIV. in consistorio semipublico, ad complementum patriarchalis dignitatis, pallio pontificio donaverat: peractis de more novendialibus, Archiepiscopi et Episcopi eiusdem nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchae ius competit, convenerunt in Chesroano apud Anturam in aede Sancti Iosephi; et unanimi omnium consensu, die XXVIII. eiusdem mensis februarii, elegerunt in Patriarcham reverendissimum dominum Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum: quemadmodum ex synodico ipsorum decreto perspicuum redditur.

Totius igitur negotii examine per Sanctitatem Suam ad eminentissimos patres eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide remisso, in congregatione generali habita die VIII. martii, currentis anni, editum est decretum.

DECRETUM

Sacrae Congregationis generalis de Prop. Fide.

HABITAE DIE VIII. MARTII MDCCLVII.

Referente bon. mem. Nicolao Lercario Archiepiscopo Rhodiensi, secretario, postulationem ab Episcopis et clero Maronitarum de more factam R. P. D. Tobiae Gazeni Archiepiscopi Cypri, viri zelo, doctrina et prudentia ceterisque virtutibus plurimum commendati, in Patriarcham Antiochiae eiusdem nationis, in locum R. P. D. Simonis Petri Evodii nuper defuncti, necnon preces eorumdem Episcoporum, cleri et populi Maronitarum pro supradictae postulationis admissione et Patriarchae confirmatione; Sacra Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimo pro admissione praedictae postulationis et confirmatione eiusdem R. P. D. Tobiae Gazeni in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum.

Quam Sacrae Congregationis sententiam Sanctissimo Domino nostro relatam ab eminentissimo et reverendissimo domino, domino Iosepho Cardinali Spinelli Praefecto in audientia habita die XVIII. eiusdem mensis, Sanctitas Sua in omnibus approbavit et in consistorio ad ulteriora procedi mandavit.

Datum ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die XIX. mensis et anni, quibus supra.

N. Antonellus Secretarius.

His praemissis, die XXVII. martii, eiusdem anni MDCCLVII., indicto de more secreto consistorio, postquam in eo propositiones ecclesiarum et alia occurrentia negotia fuerunt absoluta, Sanctissimus Dominus noster de pallio latino Patriarchis Orientalibus, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, concedendo, deque Maronitis eorumque ritibus latino simillimis et eximio in Sanctam Sedem obsequio praefatus, quid in electione tum huius novi Patriarchae Tobiae, tum decessoris eius Simonis Petri Evodii gestum fuerit, luculentissima hac allocutione exposuit.

(2) Vid. acta consistorialia, impressa inter consistoriales orationes eiusdem Pontificis p. 139 et seq.

(3) Videlicet die IX. iunii MDCXLII.

(4) Ut in nostro opere de synodo dioeces. lib. 13, cap. 15, num. 19.

fuimus, nostris ipsis manibus Patriarchae Armeniae minoris et Ciliciae, confirmata prius illius electione, latinum pallium imposuimus (1). Atque id ipsum, in consistorio semipublico, concedendum transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, postquam examini subiecta probataque fuerat illius electio, ipseque per legitimum ad id constitutum procuratorem enixis precibus sibi latinum pallium concedi postulaverat (2). Quod ipsum latinum pallium aliis duobus Patriarchis Armenis, subsequentibus temporibus, a nobis ipsis datum est (3).

§ 3. Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti azymo, non secus ac utitur Occidentalis Ecclesia, et sacra adhibere indumenta nostris simillima (4). Nostis praeterea, venerabiles fratres, nos olim, ad compescendas dissensiones in eorum Patriarchae electione subortas, Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a nobis fuisse latinum pallium, pro quo legitimus ipsius procurator, necessariis documentis instructus, in consistorio insteterat (5).

§ 4. E vivis nuper excessit praememoratus Simon Petrus Evodius; quumque Maronitae elegerint ipsi successorem, is plane est, qui per suum ablegatum, opportuna quaeque documenta proferentem, pallium sibi concedi postulat, quemadmodum mox ipsi audietis ex ipsius legitimo procuratore, quem iam nunc in consistorium ab eo, cui id munus est, induci mandamus.

Post haec, Sanctissimus intermissam allocutionem prosequens, electionem ipsius Patriarchae Tobiae quam libenter et qua clausula se confirmasse, eidemque optatum pallium benigne concedere, emissa prius tam hic in urbe ab ipsius procuratore, quam in Monte Libano ab ipsomet Patriarcha, fidei professione; totam denique Syrorum Maronitarum nationem, ne unquam obliviscantur sinceram suam adhaesionem catholicae fidei et Sedi Apostolicae, monendam esse, eisque simul nomine pontificio apostolicam benedictionem impertiendam, ornatissimis hisce verbis exponere dignatus est:

Audistis, venerabiles fratres, expositam a legitimo electi Patriarchae procuratore pro pallio instantiam. Audistis praeterea, quibus illa fundamentis innitatur. In Congregatione negociis Propagandae Fidei praeposita, iam expensa fuerunt electionis validitas, electi merita, quique peractam electionem consequutus est, omnium assensus et plausus. De his omnibus ad nos accuratissime relatum fuit: nosque exhibitum a Congregatione consilium sequentes, electionem ipsam quam libenter confirmavimus. In ipsa confirmatione clausulam illam praetermisimus, per quam aliae nonnunquam electiones validari solent, ***etiam quoad substantialia;*** quum nihil in ea desideretur ex iis, quae ad validitatem actus, iuxta Orientalem disciplinam, necessaria existimantur; neque vero affirmari pro certo valeat, Occidentalis Ecclesiae leges, quibus aliquae inductae fuerunt substantiales electionum nullitates, Orientalem quoque Ecclesiam afficere, de qua in ipsis legibus nulla occurrit mentio (6). Quae quum ita sint, annuentes precibus ab electi Patriarchae procuratore expositis, libenti animo optatum pallium ipsi concedimus; ita tamen ut idem legitimus procurator, nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat pallii traditio, professionem fidei emittat, iuxta formulam ab Urbano VIII. praedecessore nostro statutam; et id ipsum subinde fiat ab ipsomet Patriarcha: cui impense iniungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram nationis suae adhaesionem catholicae fidei et Sedi Apostolicae, quae tanto eos amore amplexa est et complectitur: eisdemque simul nostro nomine apostolicam benedictionem impertiatur.

---

(1) Citatum lib. 13, eiusdem operis cap. 15, sub num. 18.

(2) In nostra consistoriali allocutione die III. februarii MDCCXLIV. et impressa tom. 2 nostri Bullarii in append. sub num. 6.

(3) Scilicet in consistorio habito die XXIII. septembris MDCCL. et in consistorio habito die XXII. iunii MDCCLIV.

(4) Vid. nostra epistola encyclica ad *missionarios per Orientem constitutos*, quae est 47 nostri Bullarii, tom. 4, num. 23, 25 et 31.

(5) In nostra consistoriali allocutione habita die XIII. iulii MDCCXLIV. et impressa cit. tom. 2 nostri Bullarii in append. sub num. 7.

(6) Vid. citata nostra epistola encyclica, quae est 47, tom. 4 nostri Bullarii, num. 44.

XIII.

Patriarcham Antiochenum Maronitarum Tobiam certiorem facit de suae electionis confirmatione et de pallio tradendo.

Venerabili fratri Tobiae Petro, Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Et venerabilem fratrem Arsenium Archiepiscopum Heliopolis a fraternitate tua ad nos atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem omnium Ecclesiarum catholici orbis matrem et magistram ablegatum, et humanissimas literas, praeclaris tuae erga nos observantiae et debitae erga eamdem Sanctam Sedem reverentiae obedientiaeque documentis insignes, nobis inscriptas nobisque a memorato Arsenio Archiepiscopo redditas, ea, qua praedecessores nostri Romani Pontifices nosque ipsi alias prosecuti fueramus, pontificia benignitate et apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem nobis permolestum accidit nuntium, viam nimirum universae carnis ingressum et, uti in iusto remuneratore supremo Pastorum Principe Iesu Christo sperare decet, ad aeterna beatae stationis in caelis tabernacula receptum fuisse cl. mem. Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum, multis nominibus commendatum; ita ingenti laetitia in Domino exultavimus, quod tu, venerabilis frater, in ipsius locum et patriarchalem sedem per unanimem venerabilium fratrum Antistitum suffragantium concordiam electus suffectusque fueris. Nobis sane compertum exploratumque erat, fraternitatem tuam, sacerdotalibus pastoralibusque virtutibus insignitam, in excolenda Christi vinea tibi commissa laudabiliter adlaborare; atque adeo nobis pro certo pollicemur, te, venerabilis frater, maiori dignitate, auctoritate et honore cumulatum, maiori sollicitudine, vigilantia operaque fore adnixurum, ut istam inclytam Maronitarum nationem, de qua districtam aeterno Iudici Iesu Christo rationem reddere debes, Apostolicae huic Sanctae Sedi semper addictissimam, et, veluti solem inter offusissimas tot errorum tenebras et caligines lucidius praefulgentem, magis magisque confirmes, illustres, adaugeas et promoveas. Porro quod ad electionem tuam a nobis probandam confirmandamque, palliumque de corpore S. Petri Apostolorum Principis sumtum tibi mittendum enixis precibus exposcis, fraternitati tuae persuasum esse cupimus, nos a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam convalescentes, ubi nobis integrum fuit, ne quidquam per nos moraretur, e lecto secretum cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consistorium habuimus. In hoc itaque consistorio electionem tuam approbavimus et apostolica auctoritate nostra confirmavimus, palliumque de more tibi tradendum mandavimus, prout ex aliis nostris apostolicis literis plenius intelliges. Nec dubitamus, quin idem Arsenius Archiepiscopus ablegatus tuus, a quo et pallium accipies, de omnibus per nos in hoc negotio actis gestisque fraternitatem tuam fusius edoceat. Praeterea fraternitatem tuam, quam plurimi facimus, magnoque honore prosequimur, et apostolica caritate in vinculo unitatis complectimur, vehementer rogamus atque in Domino hortamur, ut nostram imbecillitatem in ferventioribus tuis apud Deum obsecrationibus commendatam habere satagas. Ceterum, venerabilis frater, bono animo esto, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam cum corona iustitiae, quam repositam digne laborantibus in caelo reddet tibi quoque Dominus in illa die iustus iudex. Nos interim ad prosperi successus divinique praesidii auspicium, et studiosae nostrae ad fraternitati tuae universaeque Maronitarum nationi, cum opportuna sese dederit occasio, gratificandum voluntatis pignus, apostolicam benedictionem, uberrima cum caelestium charismatum copia coniunctam, tibi, venerabilis frater, eidemque Maronitarum nationi tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pont. nostri anno XVII.

XIV.

De eodem argumento.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis patriarchatus Antiocheni nationis Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Non possumus sane satis aptis verbis explicare, venerabiles fratres, et dolorem, quo affecti sumus ob interitum cl. mem. Simonis, dum viveret, Patriarchae vestri Antiocheni meritis laudibus nominandi, et ingentem pontificii cordis nostri laetitiam inde conceptam, quod fraternitates vestrae tanta cum animorum alacritate et consensione tantaque cum celeritate et sollicitudine, ne quidquam detrimenti interea temporis viduata Pastore suo Patriarchalis Sedes Antiochena pateretur, legitime et canonice eligere et in Patriarcham vestrum constituere studueritis venerabilem fratrem Tobiam Petrum Cypri Archiepiscopum. Nos autem, statim atque faustum de electione huiusmodi nuntium ad nos perlatum fuit per humanissimas et ipsius Tobiae Petri electi constitutique Patriarchae et fraternitatum vestrarum ac dilectorum filiorum Procerum Maronitarum literas, supremo Pastorum Principi Iesu Christo, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, immortales agere gratias non omisimus. Nulla igitur gravissimae diuturnaeque infirmitatis nostrae ratione habita, lecto etiam decumbentes, secretum cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consistorium habere voluimus, ut quamcitissime peragerentur de more omnia, quae ad electionem huiusmodi apostolica auctoritate approbandam confirmandamque, et ad pallium de corpore S. Petri Apostolorum Principis sumtum laudato Tobiae Petro Patriarchae vestro mittendum tradendumque, semper servata fuere. Quamobrem vos, venerabiles fratres, de hisce per nos actis certiores facientes, vobiscum ex animo gratulamur; atque insimul bonorum omnium largitorem Deum, qui dat affluenter omne donum optimum et ad aeternam animarum salutem semper profuturum, supplices exoramus, ut fraternitates vestras nova virtute induat ex alto, quo de virtute in virtutem crescatis in templo sancto Dei et magis magisque satagatis vigilare, custodire ac per viam mandatorum Dei ducere populos pastorali curae vestrae commissos. Hinc profecto factum fore in Domino confidimus, ut consentanea virtutibus laboribusque vestris merces tribuatur a iusto remuneratore Deo. Interea huius voti nostri auspicem et pontificiae nostrae erga fraternitates vestras benevolentiae testem esse cupimus apostolicam benedictionem, in populos quoque vestrae curae creditos redundaturam, quam vobis, venerabiles fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pont. nostri anno XVII.

XV.

De eodem argumento.

Dilectis filiis Proceribus Maronitis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam praeclare de vestra omnibusque inclytae Maronitarum nationis catholica sinceraque fide et constanti Apostolicae huic Sanctae Sedi adhaesione opinionem praedecessores nostri Romani Pontifices nosque ipsi semper habuimus, magis magisque confirmaverunt humanissimae vestrae literae, quas una insimul cum literis venerabilium fratrum tum Tobiae Petri Archiepiscopi Cypri, in Patriarcham Antiochenum vestrum electi, tum ceterorum nationis vestrae Antistitum coniunctas, ad nos attulit venerabilis item frater Arsenius Archiepiscopus Heliopolis. Per ipsas sane literas vestras explicare studuistis et filialem vestram erga nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiam reverentiamque, et electionem de eodem Tobia Petro in Patriarcham, unanimi memoratorum Antistitum consensu vobisque plaudentibus factam. Nos autem vobis omniumque studiis benigne annuentes, nihil omisimus, quod ad huiusmodi negotium apostolica aucto-

ritate nostra peragendum conficiendumque requirebatur. Quamobrem hoc unum superest, ut vobis, dilecti filii, quos paterna pontificiaque caritate complectimur, ab omnipotenti Deo, bonorum largitore, uberrimam caelestium charismatum co piam apprecemur atque vestram pietatem religionemque meritis laudibus celebremus. Interim, dilecti filii, vobis apostolicam benedictionem, perenne nostrae erga vos praecipuae benevolentiae dilectionisque testimonium, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pont. nostri anno XVII.

XVI.

Archiepiscopo Graeco-Melchitae concedit facultatem disponendi, iuxta modum, celebrationem plurium missarum in eadem ecclesia super eodem altari.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Avendo noi colla nostra decretale diretta « venerabilibus fratribus Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum et omnibus eiusdem ritus catholicis Episcopis eidem Patriarchae subiectis, sub datum Romae, die XXIV. decembris MDCCXLIII., pontificatus nostri anno quarto » proibito, che si facesse innovazione alcuna nel Patriarcato Antiocheno intorno a ciò che può riguardare il sagrosanto sacrificio della messa, contro la consuetudine, e costume introdotto dagli antichi padri della Chiesa Greca, nella quale non suole celebrarsi se non che una sola messa sopra lo stesso altare, nel medesimo giorno; permettemmo bensì, che, a tenore di un decreto emanato sotto li 31 Marzo 1729 in una congregazione paticolare tenuta da alcuni de' venerabili nostri fratelli Cardinali, i quali compongono la Congregazione di Propaganda Fide, possano nella medesima chiesa erigersi nuovi, e più altari in un luogo adattato, e quando il numero di questi non corrisponda alla moltiplicità de' sacerdoti e degli oblatori, possano, secondo il costume della medesima Chiesa Greca, più sacerdoti concelebrare insieme con un Vescovo, o altro sacerdote, osservando però tutte le condizioni espresse nella suddetta nostra decretale.

Ora però il nostro ven. fratello Massimo Arcivescovo Greco Melchita cattolico di Aleppo ci ha rappresentato, trovarsi in quella città un gran numero di Greci-Melchiti cattolici: ma non avere l'uso, se non che di una piccola chiesa: essere impossibile dall' altro canto di erigere in essa nuovi altari, e molto meno nuove chiese, non permettendolo le circostanze, nelle quali si trovano. Sicchè, qualora non si permetta ivi la pluralità delle messe sullo stesso altare, nel medesimo giorno, que' cattolici saranno nella dura necessità di non potere soddisfare il precetto ecclesiastico nei giorni di festa.

Noi pertanto compassionando lo stato di que' fedeli, i quali hanno dato sino ad ora chiari contrassegni della loro perfetta unione colla S. R. Chiesa, e più particolarmente inerendo alla permissione già data dal nostro antecessore S. Leone Magno a Dioscoro Vescovo di Alessandria di far iterare il sacrifizio della messa « quoties basilicam in qua agitur, praesentia novae plebis impleverit » concediamo al suddetto nostro ven. fratello Massimo, e ai suoi successori pro tempore Arcivescovi Greci-Melchiti cattolici di Aleppo, la speciale facoltà di far celebrare più messe in quella chiesa, sullo stesso altare, nel medesimo giorno, della qual facoltà però non possa nè esso, nè i suoi successori servirsi, se non che ne' soli giorni di festa di precetto, e per quel solo tempo, in cui non potranno nella suddetta città di Aleppo erigersi nuovi altari, e nuove chiese.

Non ostante la suddetta nostra decretale, qualunque consuetudine in contrario ecc.

CLEMENS PAPA XIII.

I.

Praevia confirmatione constit. Leonis X. et Clementis VII. super alternativa collatione beneficiorum inter Sanctam Sedem et Ordinarios regni Poloniae, eamdem alternativam observari perpetuo mandat (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices id sedulo curarunt, ut quoad beneficiorum collationem servarentur indulta, limites statuentia inter S. Sedem et ecclesiar. Praesules.

§ 1. Ecclesiastici ordinis ornamento et utilitati consulens Apostolica Romana Sedes, dum beneficia iis, qui morum integritate et meritorum laude perfulgent, provida circumspectione conferre satagit, omnem simul adhibet curam, ut personae ad ea delectae, divinis ministeriis sacrarumque litterarum studiis, absque ulla animi perturbatione, vacare possint. Ideoque magnopere exoptat, quod, iuxta Romanorum Pontificum concessiones, inter ipsam et ecclesiarum praesules super conferendi iure statuti sint indubii limites, intra quos praesules ipsi in huiusmodi iuris exercitio sese continere valeant. Quo sane consilio, nos, etiam nullis nostris suffragantibus meritis, sed sola divina favente clementia, in beati Petri cathedra sedentes, omnem curam sollicitudinemque nostram in id quoque conferimus, ut quae a praedecessoribus nostris indulgenter statuta sunt, suum sortiantur effectum, et praesulum nec non ecclesiarum iuribus circa haec definitis, remota quoad eorum usum quavis quaestionum causa, pax et tranquillitas ecclesiasticas personas foveatur et inviolata servetur.

---

(1) Alternativam collationem beneficiorum in Poloniae regno concessit primus Leo X. const. anni MDXX. iulii I., eamque confirmavit Clem. VII. const. anni MDXXVI. decembris I. Quapropter Clem. XIII. declarat Augusto Poloniae regi, per novum indultum elargiendum, super alternativa collatione beneficiorum ab Ordinariis facienda in Poloniae regno, nil innovatum censeri debere constitutionibus Leonis X. et Clementis VII. super eadem alternativa collatione.

Charissimo in Christo filio nostro
Poloniae regi illustri,

CLEMENS PP. XIII.

Charissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius Epistolae.

§ 1. Studium nostrum benemerendi de venerabilibus fratribus regni istius Episcopis in eo, quod a multo tempore de ratione beneficiorum conferendorum tractatur negotio, existimamus, satis luculenter nos ostendisse, qui diximus novo nos indulto, quae illi postulant ad praescriptum praedecessorum nostrorum Leonis X. et Clementis VII. ex integro concessuros. Gratam hanc illis fuisse voluntatem nostram regiae maiestatis tuae literae nobis denunciaverunt: sed eos vereri scribis, ne ex eiusmodi novo indulto, veteribus eorumdem Leonis X. et Clementis VII. indultis in Polonicarum legum codicem iam relatis quodammodo abrogante, regni tui primores, quibus quidquid speciem quamdam exhibeat novitatis, fuit semper invisum, offensionis aliquid accipiant, magno cum periculo, ne qua inde in republica gravis dissentio commoveatur.

Significat, demandasse Apostolicae Datariae ministris ne aliquid novi faciant contra constitutiones Leonis X. et Clem. VII.

§ 2. Itaque pro ea qua maiestatem tuam caritate summa complectimur, tranquillitatis tuae maxime cupidi, et illuc vehementer incumbentes, ut in omnibus, quae tibi grata esse existimamus, quoad Sedis huius Apostolicae dignitas patitur et maiestas, voluntati tuae assequamur, cum dilecto filio nostro Ioanne Francisco Cardinali Albano, qui rerum vestrarum satis prudens, non tam diligenter et impigre, quam circumspectione summa et accurata consideratione id negotium administravit, sermonem contulimus atque rem omnem sic commodissime et sine cuiusquam querela confici putavimus, ut iubeamus, Datariae nostrae ministros eorumdem praedecessorum nostrorum Leonis et Clementis indulta sancte imposterum inviolateque servare. Huius negotii, in quo tantopere tamque diu ad hanc usque diem versati sunt homines, quibus fuit commissum, eam demum explicandi rationem non dubitamus quin tua maiestas sit probatura. Denique, Deum impense precantes, ut ad catholicam religionem tuendam et amplificandam maioribus in dies tua maiestas angeatur opibus et potentia, tibi, charissime in Christo fili noster, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. septembris MDCCLXII., pontificatus nostri anno V.

De eodem argumento
Gnesnensi Archiepiscopo scribit.

Venerabili fratri Uladislao Archiep. Gnesnensi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopi observantiam erga S. Sedem commendat.

§ 1. Voluptatem nobis magnam nunciarunt fraternitatis tuae literae, summae erga nos observantiae et in hanc Sanctam Sedem egregiae voluntatis, singularis devotionis et flagrantissimi studii plenae; ex quibus intelleximus, venerabiles fratres Polonici regni Antistites, nostram de illis beneme-

Ex concessionibus Leonis X. et Clemen. VII. alternativa semestralis inducta fuit pro Poloniae regno.

§ 2. Cum itaque nobis nuper authentica literarum apostolicarum, tum Leonis X. sub datum kalendis iulii pontificatus sui anno septimo, tum aliarum Clementis VII., Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sub datum kalendis decembris, pontificatus sui anno tertio, exhibita atque ab archivio nostro secreto extracta fuerint, et ex eis, signanter illis dicti Clementis praedecessoris, Archiepiscopis et Episcopis in Poloniae regno alternativam perpetuam, super iure conferendi omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae in eorum respective civitatibus et dioecesibus, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates etiam maiores post pontificales, et principales, personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, et ex quavis causa, etiam ratione familiaritatis, continuae commensalitatis Romani Pontificis ac etiam alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus exquiri deberet, generaliter reservata forent, in februarii, aprilis, iunii, augusti, octobris et decembris mensibus in posterum vacare contigisset, concessam fuisse deprehendatur, ipsarumque vigore, beneficiorum in aliis sex alternis, nempe ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris mensibus, pro tempore vacantium, collatio omnimodaque dispositio Romano Pontifici pro tempore existenti reservata fuerit.

Preces Pontifici porrectae circa praedicti iuris alternative conferendi observantiam.

§ 3. Ea de re a venerabili fratri nostro Uladislao Lubienski moderno Archiepiscopo Gnesnensi, nomine etiam venerabilium* fratrum nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum in eodem regno existentium, nobis fuit supplicatum, ut gravibus tandem diuturnisque controversiis, circa eorum ius in primodictis alternis mensibus conferendi, dirimere, ipsarumque Leonis et Clementis literarum super alternativa huiusmodi concessarum observantiam praecipere dignaremur. Insuper circa praemissa, charissimus etiam in Christo filius noster Augustus Poloniae rex illustris, per venerabilem fratrem nostrum Ioannem Franciscum Episcopum Sabinensem, S. R. E. Cardinalem Albani nuncupatum, apud nos et Apostolicam Sedem ipsius regni protectorem, preces quoque suas effudit.

Pontifex praecedentem conferendi alternativam, prout in praecitatis constitutionibus indulta fuit, confirmat et approbat.

§ 4. Nos igitur, dum animum mentemque ad ipsas praedecessorum nostrorum dispositiones componere studemus, perpendentes, easdem litteras, iustis de causis, precibus Sigismundi tunc Poloniae regis, praesertim ob praeclara illius in catholicam religionem Romanamque Apostolicam Sedem merita, fuisse elargitas, ut controversiae hactenus habitae eliminentur, omnesque divinis obsequiis ecclesiarumque servitiis mancipati, de ecclesiasticis proventibus participes facti, libera et integra animi intentione sacris officiis et ministeriis vacare possint, intuitu dicti Augusti regis religionis atque filialis erga nos et Apostolicam Sedem observantiae, nec non ob insignem eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum pietatem eorumque merita, qui dum regi ipsi prosunt consiliis, propria etiam pastoralia munia quam laudabiliter adimplere satagunt, huiusmodi supplicationibus inclinati ac motu quoque proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie,

---

rendi voluntatem in eo, quod ad rationem pertinet conferendorum beneficiorum, gratissimo animo accepisse. Verum illis id unum agro fuisse narras, quod nos, ab indultis Leonis X. et Clementis VII. in Polonicarum legum codicem multo ante relatis nihil deflectendo, novo indulto idem quod illi praedecessores nostri diximus vobis concessuros. Haec enim nostra tibi ceterisque regni istius Episcopis gratificandi ratio, verendum esse scribis, ne specie quadam novitatis, a qua optimates, ubi de solemnibus pactionibus et conventis agetur, quam maxime abhorrent, eorum concitet animos et perturbet, magno cum periculo amittendae publicae pacis. Nos igitur, quorum praecipuum munus esse debet, non dissensiones modo sedare, sed etiam novissimas quasque querelarum causas prohibere, mollissimam reperimus et pacatissimam viam, qua beneficium nostrum fraternitates vestrae consequi possint.

Eumdem certiorem facit iussisse Datariae ministris, ne aliquid innovent constitut. Leonis X. et Clemen. VII. circa alternativam beneficiorum collationem.

§ 2. Itaque Datariae nostrae ministros sic sancte inviolateque Leonis X. et Clementis VII. indulta imposterum servare iubebimus, ut in eo, quod ad conferenda beneficia pertinet, ne tantillum quidem ab iis indultis recedant. Id vero negotium diu multumque sub praedecessoribus nostris in magna varietate versatum, nunc demum impigre et graviter adnitente dilecto filio nostro Ioanne Francisco Cardinali Albano, qui non modo strenuam operam suam, sed etiam diligentis hominis harumque rerum prudentis dilecti filii Alexandri Roccatani Polonae reipublicae in hac nostra Romana Curia rebus gerendis praepositi, industriam adhibuit, fraternitati tuae magnopere gratulamur tui primatus tempore tranquille et, ut confidimus, sine cuiusquam querela fuisse confectum. Reliquum est, ut, quod amantissime facimus, fraternitati tuae ceterisque venerabilibus fratribus ipsius regni Episcopis, optimae erga vos omnes voluntatis nostrae pignus apostolicam benedictionem impertiamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. septembris MDCCLXII., pontificatus nostri anno V.

expresse praecipimus et mandamus, praemissas Leonis et Clementis litteras, quibus Archiepiscopis et Episcopis in dicto regno ius conferendi beneficia in primodictis sex alternis mensibus vacantia, ut praefertur, tribuitur, perpetuo et inviolabiliter servandas esse: quapropter ipsi moderni et futuri pro tempore existentes Archiepiscopi et Episcopi in eodem regno facultate omnia et singula beneficia in dicto regno in februarii, aprilis, iunii, augusti, octobris et decembris mensibus praefatis pro tempore vacantia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates maiores quoque post pontificales et principales, ac ex quavis causa ut praefertur reservata fuerint, prout in iisdem litteris exprimuntur, personis ecclesiasticis habilibus et idoneis, infra tempus a iure statutum conferendi, ipsis per Leonem et Clementem praedecessores praefatos concessa, perpetuis futuris temporibus gaudere debeant: eamdem quoque facultatem aliis inferioribus collatoribus, et ecclesiasticis patronis, ad quos collatio et provisio seu nominatio vel praesentatio personarum idonearum ad quaevis ecclesiastica beneficia alias spectat et pertinet, concedimus et tribuimus: e converso vero omnia et singula beneficia praefata in ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris mensibus pro tempore vacantia in dicto regno nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ac Sedis Apostolicae collationi omnimodaeque dispositioni, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuis futuris temporibus, generaliter reservata esse et fore declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Praesentes autem litteras et in eis contenta ex quibusvis causis vel praetextibus, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, derogationibus, decretis vel declarationibus generalibus et specialibus pro tempore faciendis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristimum statum restitutas ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, praefatisque modernis Archiepiscopis et Episcopis, nec non inferioribus collatoribus, capitulis et canonicis, collegiis, universitatibus aliisque, quorum favorem eaedem praesentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari: e converso vero eosdem Archiepiscopos ac inferiores collatores, capitula et canonicos, collegia, universitates aliosque praefatos, absque ampliatione vel declaratione aliqua, ad earumdem praesentium observantiam teneri et obligatos existere; sicque in praemissis ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate et potestate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his ac etiam adversus reservationes nobis et successoribus nostris, ut praefertur, competentes huiusmodi, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, quoquomodo contigerit attentari, harum quoque serie decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae super reservatione mensium apostolicorum per nos edita et per successores nostros praefatos in crastinum eorum respectivae assumptionis pro tempore edenda simili regula, nec non quorumvis praedecessorum nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiarum in dicto regno, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, respective statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dictis ecclesiis earumque praesulibus ac capitulis et canonicis, collegiis, universitatibus ac personis quibuscumque, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et dictam Sedem vel alios quoscumque et quacumque dignitate vel auctoritate fungentes, sub quibuscumque tenoribus et formis

ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis et perpetuae firmitatis ac exequutionis praemissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis aut sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae iisdem praesentibus haberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri praecepti, mandati, concessionis, declarationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnat. Dominicae MDCCLXIII., VI. idus aug., pontificatus nostri anno VI.

II.

De Ecclesiae Gallicanae malis conquerenti Episcopo Lodeviensi significat, Apostolicam Sedem omni cura studuisse ad mala ipsa removenda, et fortitudine pari paratam esse in Religionis defensione.

Venerabili fratri Ioanni Felici Henrico Episcopo Lodeviensi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Suum dolorum exprimit pro malis quibus Gallicana Ecclesia grassatur, malaque ipsa non sine moerore dinumerat.

§ 1. Ingravescere in dies Gallicanae Ecclesiae mala attulerunt ad nos litterae tuae datae die XV. mensis iunii proxime elapsi, quae idcirco nostrum non modo renovarunt dolorem ex misero istius Ecclesiae statu susceptum, sed etiam vehementius refricaverunt. Miserandam sane nobis offers in isto regno catholicae religionis faciem, ut nihil quidquam boni iam sit sperandum ex iis consiliis, quae usque ad hunc diem sequuti sumus, et nisi Deus aegrotos animos, efficacia remedia recusantes, verae curationis cupidos faciat, verendum est, ne, ingravescente in dies malo, Dei cultum funditus istic convulsum, omnemque pietatem profligatam ac perditam, aliquando simus deploraturi. Quod non ex tuis modo, sed aliorum etiam complurium Gallicanorum Episcoporum litteris intelleximus, cum verbum Dei a multo tempore Baii, Iansenii, et Quesnellii erroribus istic adulteratum boni omnes graviter quererentur, nunc eorum voces per pacis constituendae causam compressae: profanorum hominum manus in arcam Domini iniectae: pro lubitu laicorum administrata sacramenta: obiectum canibus Sanctum: omnis religionis cultus saeculari subditus potestati: sacrarum rerum Antistites partim in exilium pulsi, partim pignoribus capti, omnique minarum genere perterrefacti, a suo quisque grege pascendo pene amoti: inferiores ministri, qui ad has Ecclesiae iniurias vel hiscere sint ausi, in carcerem detrusi, aut solum vertere coacti: universae denique Gallicanae Ecclesiae iniecti compedes, durissimumque iugum impositum servitutis.

Tantorum malorum causa a nova quadam inducta philosophia repetenda est.

§ 2. Has vero tantas tamque graves Ecclesiae clades agnoscimus eorum rudimenta fuisse malorum, quae scribit fraternitas tuas in vos irruisse. Novam quamdam philosophiam sese extulisse ais, quae nostra mysteria funditus evertit, sacrarum scripturarum elevat fidem, hominem ad brutorum animantium deprimit conditionem; inter iniquum et aequum per eam ademptum omne discrimen, recta

morum norma sublata; cupiditates omnes non modo probantur, sed tamquam humanae felicitatis vel ministrae vel effectrices collaudantur; vitiisque omnibus, quod consequi oportet, fraena detracta, a suo, unde orti sunt, principio, et ab eo fine, quo suum exitum referre debent, homines abducuntur; quae in hac rerum universitate summae potentiae sapientiaeque luculentissima apparent indicia, ab iis considerandis avertuntur, et quae inde argumenta summi Dei, qui omnia genuit et regit, pia trahit admiratio, superstitiosorum hominum habentur deliramenta: hinc omnis Deo cultus eripitur; Iesu Christi eiusque Apostolorum divinae missioni illuditur; miraculorum veritati, quae missionem illam confirmant, irridetur; universae denique christianae religioni, per huiusmodi flagitiosissimam philosophandi rationem, horrificum bellum indictum.

Religione subversa ab impiis novatoribus, temporalis cuiuscumque potestatis ruina qui ex necessitate debeat.

§ 3. Qua religione, si fieri posset, sublata, ad avertendum regale solium, nefarii homines, quo potissimum spectant, aggressi, singularem quemdam et a praeiudiciis vacuum erga patriam praetexentes amorem, ab hominum societate legitimam omnem removerunt subiectionem, nec plus esse regem docent, quam eius potestatis ministrum, quam a populo acceperit, eumque regale solium sibi firmum fore eatenus posse considere, illique tamdiu populum debere obedientiam, quoad illius pacti servetur fides, quod comminiscuntur vicissim inter se regem et populum pepigisse.

Tanta spiritualium et temporalium rerum iactura, potissimam originem ducit a Iansenii sectatoribus.

§ 4. Quae teterrimarum opinionum monstra quaerit fraternitas tua unde tandem prodierint; nec absurde existimas, ea tunc e latebris suis eripuisse, cum Ianseniani praefracta fronte, nulloque divini humanique iuris respectu, Ecclesiae auctoritatem regiamque potestatem palam contemnere ac pro nihilo habere sunt ausi. Quam haeresim qui sequuntur, eorum imaginem, satis antea nobis notam, in epistola tua vidimus expresse depictam: subdola eorum ingenia; regiae potestati infensissimum animum et Ecclesiae divinam auctoritatem acerbissimum odium; falsum zelum et hypocrisim, temeritatem, simulationem, arrogantiam; qui eo venerunt audaciae, ut teterrimum huius haeresis monstrum, quo tanta in Ecclesiam invecta est clades et vastitas, dictitare audeant merum esse phantasma, atque ita Romanis Pontificibus, gloriosissimis praedecessoribus nostris, et universae Ecclesiae summam faciant iniuriam, quasi imaginarios errores anathematis gladio percusserint. Hi profecto despectui habita Apostolica Sede, contemptis primariis Pastoribus et universae Ecclesiae iugo excusso, eam viam patefecerunt, in quam complures ingressi, contractis omnibus auctoritatis divinae repagulis, hac illac temere exultantes, ingenioque tantum suo indulgentes, ex uno in alium usque deteriorem prolabuntur errorem, et divinae lucis expertes, quae non alibi, quam in Ecclesia Dei collucet, absurdissimas quasque et a communi sensu abhorrentes amplexi sententias, Deum denique eiusque cultum funditus sustulerunt.

In tanta religionis clade, apostolicum implorant auxilium Galliarum Episcopi, propriam promittentes fidelitatem.

§ 5. In qua religionis clade sacrarumque rerum vastitate, fraternitas tua nostram opem implorat, nostrumque esse ais, apostolicam vocem tandem emittere, utque haec mala, si fieri potest, sananda alacriores accedamus, tuam, venerabilis frater, tuorumque fere omnium collegarum summam promittit erga nos et Apostolicam Sedem nunquam defuturam fidelitatem, et in arripiendis exequendisque, quae daturi simus, consiliis alacritatem, fortitudinem atque constantiam: quamcumque enim viam ingrediamur ad amovendam ab Ecclesia Dei tantam iniuriarum molem, scribis, nostra pressuros vos esse vestigia; nec fas esse, ais, nobis vobisque cessare diutius, verendumque ne, cunctante sua cuiusque nostrum conscientia, negligentiae nos insimulet et ignaviae.

Gallicanorum Antistitum zelum Pontifex commendat, et maximam collocat spem in Gallicae nationis pietate contra exiguum impiorum numerum.

§ 6. Flagrantissimum hunc zelum tuum, venerabilis frater, vehementer amamus, et in angoribus, quos a tantis Ecclesiae malis te suscipere ostendunt literae tuae, acerrimas curas nostras et sollicitudines recognoscimus. Idem enim qui fraternitatem tuam continuus nos urit dolor, cum in felle amaritudinis et in obligatione iniquitatis videmus esse tam multos in eo regno, in quo vera pietas et religionis studium et in Apostolicam Sedem praecipua devotio haud ita pridem ubique maxime floruit. De quo regno assidue cogitantibus, illud nobis in mentem venit Prophetae: ***Indicam afflictionem super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniat aures eius.*** In qua cogitatione, atque adeo gravissimo metu, ne suas suaeque Ecclesiae iniurias aliquando Deus publico expiare velit exitio, plane nostra

viscera contremiscunt; quamquam ea spe recreamur, futurum ut Deus, qui vel propter decem iustos Abrahamo professus est omnes dimissurum incolumes, regnum istud ab omni calamitate prohibeat, cum praesertim nationis vestrae pars longe maxima, avitae religionis tenax et in vera permanens pietate, catholicae Ecclesiae firmissime adhaereat.

Gallicanorum Episc. consilia exquirit Pontifex, et quae interim egerit ad grassantia mala evellenda indigitat, licet nullae exinde utilitates prodierint.

§ 7. Sed omissis querelis, videant venerabiles fratres Gallicani Episcopi, ad hanc propulsandam ab Ecclesia calamitatem, quid afferre possimus auxilii. Si quae in hac re tu et collegae tui consilia habeatis, quibus nostra adiuvari queat deliberatio, nobis indicare ne gravemini; id enim suscipimus alacriter, quod efficacissimum existimabimus et aptissimum. Propter Sion non tacebimus nec quiescemus unquam propter Hierusalem. Pastoralis nostrae sollicitudinis, ab ipsis pontificatus nostri primordiis, non obscura dedimus argumenta. Encyclicam felicis recordationis praedecessoris nostri Benedicti XIV. nostris ad venerabilem fratrem Carolum Archiepiscopum Narbonensem, Parisiis complurium Gallicanorum Archiepiscoporum conventui praesidem, die XVII. martii anno MDCCXL. datis literis confirmavimus. Decisio illa, quam enixe flagitastis ab Apostolica Sede, quam cupide expectastis, quam omni animi submissione recepistis, exequutioni ut mandaretur, vehementer optavimus; quam tamen dolemus apud vos adhuc omni prope vi carere, nec minus saepe quam antea hominibus auctoritatis Ecclesiae contemptoribus et constitutionis *Unigenitus* notorie refragantibus, sacramenta sacrilege administrari ingemiscimus. Utinam illuc tantummodo atroces eiusmodi profanationes referre possemus, quod sacris ministris magistratus saeculares omnem ademerint libertatem! Sed dissimulare minime possumus, politicas artes adhibitas et innumeras excogitatas esse cavillationes ad obscurandam eius decisionis lucem eiusque robur omne tollendum infringendumque. Mesanguianum Cathechismum Baii, Iansenii et Quesnellii scatentem erroribus, summa vi a quibus minime oportebat propugnatum, nihil illis deterriti angoribus, quibus nos implicandos esse prospiciebamus, apostolico mucrone confodimus.

Commemorat, quae Apost. Sedes egit ad impediendas iniurias a laicis curiis factas contra Institutum Societatis Iesu.

§ 8. De iniuriis Ecclesiae illatis a saecularibus Gallicani regni curiis, quae Institutum Societatis Iesu temere sunt ausae velut impium proscribere, iudicium tulimus, quod prudentia quadam nondum prolatum in vulgus, nil reliquum est, quum ut ex hac sacra B. Petri Cathedra promulgemus. Literas dedimus die IX. iunii anno MDCCLXII. ad Gallicanos Episcopos, qui Parisios convenerant, de tot tantisque vestrarum ecclesiarum aerumnis deplorantes; in quibus praesertim querebamur de pellendis toto regno clericis regularibus Societatis Iesu agitari consilia, quae literae sane nimis incommode accidit ut non redderentur; itaut iisdem, quasi aliunde, quam a nobis venerint, non veluti fictis et apocryphis fides et auctoritas derogetur. Scripsimus semel, iterum ac tertio ad christianissimum regem, ut maiorum suorum clarissimorum regum exemplo, religionem e suo regno iam iam prope abeuntem, retinendam curaret, nec ab impiis hominibus, qui ad eam excidendam coniurarunt, labefactari diutius pateretur. Memoratos clericos regulares Societatis Iesu, quos sanctificandis fidelibus et catholicae fidei defendendae in suis quisque dioecesibus vos Episcopi adhibebatis, regiae illius pietati commendabamus; qui respondit laboranti Ecclesiae se venturum auxilio; et ad postulationes nostras ostendit, se propensissimum animum gerere: sed egregiam eius voluntatem, de qua nunquam dubitamus, neque adhuc fas esse ducimus dubitare, sic permittente propter peccata nostra irato Deo, elusam esse doluimus. Scriptum quoddam proscripsimus, quo opiniones dudum ad Sedem Apostolicam insultandam prolatae, ut dogmata ad fidem pertinentia fidelibus proponuntur; quo nihil absurdius; nemo enim non videt inde fieri, ut Gallicana a catholica Ecclesia segregata esse videatur. Leviori quidem manu, studio pacis, scriptum illud tetigimus; sed tamen, ut aequum erat, condemnavimus: quamquam nostra haec mitior agendi ratio, ita istic accepta est, ut scriptum illud ab homine conditum, qui maculam ex ea, quam reliquit, secta contractam videtur nondum bene eluisse, defensores nonnullos ex fratribus istic habeat et patronos.

Episc. hunc hortatur ut in suo zelo persistat, et concreditarum ovium custodiae invigilet dum diligentissimi adiutores fuerunt inique dispersi.

§ 9. Haec, quae gessimus, idcirco fraternitati tuae recensuimus, ut intelligas, minime nobis strenuum animum deesse, gratia Dei adiutrice et comite, ad ea capessenda consilia, quae nobis et fraternitatibus vestris efficacissima videbuntur.

Reliquum est, ut te, venerabilis frater, alioquin ardentem et erectum ad defendendos gregi tuo ingruentes morbos, nunc maxime adhortemur, cum quos ovibus vestris pascendis custodiendisque strenuos habebatis et sedulos adiutores, iidem, bonis omnibus tantam Ecclesiae deplorantibus cladem, a vestro latere sunt avulsi. Nec dubitamus, quin a maioribus tuis derivatum in venas cum sanguine religionis catholicae studium, nunc maxime praestes, cum talibus viris ad eam tuendam est opus, quales ea tulit familia, unde te ortum esse, argumento etiam esse debet tua istaec in vera pietate Deique honore et gloria defendendis alacritas atque constantia. Denique fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCLXIII., pont. nostri an. VI.

III.

Sardiniae regi eiusque natis et successoribus facultatem indulget, ut missam in navigiis Liburnicis celebrare facere possint et valeant.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exponuntur causae huius indulti concedendi.

§ 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae regis illustris nobis expositum fuit, quod ipse Carolus Emmanuel considerans tam officiales quam milites, nautas et turmam catholicam aliosque vectores, qui super classi navigiorum Liburnicorum vulgo nuncupatorum *fregate* ac triremium suarum reperiuntur, tempore expeditionis contra communes christiani nominis hostes et pro tuendis ditionibus eidem Carolo Emmanueli regi subiectis, longo tempore et multoties in solemnioribus anni festis diebus, prout etiam quando in oris maritimis catholicorum principum et in illorum portibus existunt, tum propter anni tempestates sibi adversas, quae minime permittunt tentorium in terra figere et obtentere, sub quo missae sacrificium celebrari possit, tum propter distantiam terrae firmae, sacrosanctum missae sacrificium audire non posse, ut hisce incommodis et inconvenientibus (ne pietas et devotio in officialibus, militibus, nautis, turma et vectoribus pro tempore existentibus minuatur) occurri possit, idem missae sacrificium in navigiis Liburnicis et triremibus praedictis celebrare facere posse plurimum desiderat. Nobis propterea dictus Carolus Emmanuel rex humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Sardiniae regis religiosae postulationi Pontifex annuit, designatis opportunis cautelis.

§ 2. Nos piis eiusdem Caroli Emmanuelis regis postulatis hac in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Carolo Emmanueli regi eiusque natis et successoribus, petitam facultatem celebrare faciendi sacrosanctum missae sacrificium huiusmodi in dictis navigiis Liburnicis et triremibus tum tempore navigationis, tum tempore, quo navigia Liburnica et triremes huiusmodi anchoratae sunt in quibusvis oris maritimis et litoribus ac portubus habitatis et non habitatis, et dummodo celebratio praedicta eo tempore, quo mare tranquillum et coelum serenum reperiatur, et cum assistentia alterius presbyteri seu diaconi fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione minime adsit, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. decembris MDCCLXIII., pont. nostri an. VI.

IV.

Herbipolensem commonet Episcopum, ut in sua dioecesi caveat a libro, nomine Iustini Febronii in lucem edito, quo Romanae Cathedrae auctoritas pestifere minatur.

Venerabili fratri Adamo Friderico Episcopo Herbipolensi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Evulgatum in Germania opus nomine Iustini

§ 1. Quantae tibi sit curae incolumitas huius Apostolicae Sedis eiusque divina

Febronii contra pontificiam auctoritatem denunciat, et ut ab contentis in eo caveatur, insinuat.

auctoritas et potestas, saepe antea animadvertimus, ac propterea summum tuum in Romanam Cathedram studium et praeclaram devotionem a fraternitate tua requirimus magna fiducia: nec dubitamus, quin egregiam in nos voluntatem tuam nunc maxime sis alacriter praestiturus. Prodiit nuper apud Germanos de potestate Pontificis liber, cuius titulus: *Iustini Febronii I. C. de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis.* Eo quidem nomine libri huius auctor nomen celavit suum, sed infensum et male cogitantem animum apertissime prodidit. Eo enim opere scriptor, sive haereticus, qualem ex ipso libro possumus suspicari, sive catholicus, qualis videri vult, Summum Pontificem ab eo potestatis et dignitatis fastigio, in quo a Christo ipso tamquam legitimus Petri successor locatus est, deiicere ac deturbare conatur. Malum autem animum suum callidus fraudum artifex, ut incautos simplicium hominum animos blandius decipiat, velo quodam ac tegumento pietatis obducit, perinde quasi opus hoc suum de minuenda sive obterenda potius Summi Pontificis auctoritate eo consilio scripserit, ut heterodoxi, qui eius amplitudini tantopere sunt infensi, placati tandem rursus cum Romana Ecclesia, a qua sese ea maxime de causa disiunxere, coniungantur atque unum corpus efficiant.

Hortatur ne sinat in sua dioecesi irrepere opus pestiferum in animarum perniciem.

§ 2. Praeclarum sane foedus, quo non utique convertuntur haeretici, sed catholici pervertuntur. Itaque, venerabilis frater, plane vides, quam diligenter, quam sedulo cavendum sit, ne tam pestilens liber istuc in animarum perniciem irrepat. Et quoniam nunc temporis irreligiosorum hominum animos, veluti pestilenti quodam sidere afflavit scriptitandi adversus Romani Pontificis potestatem immane studium et cupiditas prava, tuum erit, venerabilis frater, vigilare, ne eiusmodi libri, qui fortasse in officina satanae modo cuduntur, prodeant in lucem, aut si prodierint, illico opprimantur. Novimus qui sis, quantoque animi ardore pro Sancta Romana Sede soleas et paratus sis dimicare. Scimus te, ad aedificandam ac tuendam Ecclesiam tibi concreditam, in episcopali veluti custodia et summa excubare vigilantia. Quocirca satis habemus de periculo monuisse. Ipse enim per te diligentissime providebis, ne qua ex parte per diruptam sepem dolosa vulpes sese ad demoliendam vineam istam insinuet. Haec de te, venerabilis frater, ita nobis pollicemur, ut satis securi possemus quiescere, si multos tui similes, tamque egregie animatos erga Sanctam hanc Sedem Apostolicam, haberemus. Quocirca nos quoque, erga fraternitatem tuam, perinde ac obsequio isto tuo dignum est, affecti ac propensi, nostram tibi benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. martii MDCCLXIV., pontificatus nostri an. VI.

V.

De eodem argumento agit cum Moguntino Archiepiscopo et S. R. I. Principe Electore.

Ven. fratri Emerico Iosepho Archiep. Moguntino, S. R. I. Principi electori,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Malis artibus huius pestiferi libri auctor, catholicam Ecclesiam se defendere, conatur insinuare.

§ 1. Prodiit haud ita pridem veneficus liber de statu Ecclesiae et de legitima Romani Pontificis potestate, cuius auctor sub falso nomine Iustini Febronii latere voluit in occulto; omnis enim qui male agit, odit lucem. Et hominem quidem qui sit catholici nominis aut saltem a catholica religione non alienum esse videri velit, puduisse oportuit sese prodere in lucem, cum Romanam Cathedram, cui tamquam fundamento nititur catholica Ecclesia, funditus conatur evertere. Omnia ille ex haereticorum et huic Sanctae Sedi infensissimorum hominum libris conquisita et deprompta in unum congessit; quaedam etiam absurdissima de suo voluit adiicere, ne cuiquam inimicorum eiusdem Apostolicae Sedis secundus esse videretur. Nos hunc librum, quo fidelibus et praesertim hominibus harum rerum parum intelligentibus maxima offertur offensio, nuper proscripsimus, tuamque vigilantiam, venerabilis frater, modo requirimus, ut non solum caveas, ne per manus fidelium circumferatur, sed ne in ullo quidem angulo, si fieri potest, totius tuae dioecesis illi sit locus. Nihil autem nobis

non pollicemur de tua custodiendi gregis tibi commissi sollicitudine, eiusque prohibendi a venenatis pascuis sedulitate et cura; novimus enim quam zelo Dei et in eius Ecclesiam amore flagrantem animum geras. Ac fraternitati tuae pro certo habemus perspectissimum esse, suffosso eversoque fundamento, quae est Cathedra Petri, omnem Ecclesiam dirui oportere; quam propterea nunquam patietur pietas tua exitiali et pestifero libro labefactari.

Quantum intersit librum hunc, iam a S. Sede proscriptum, a quacumque dioecesi eliminare.

§ 2. Hac igitur peste dioecesim tuam, si forte istuc irrepserit, omni cura perpurgabis et diligentia. Id a te postulat pro salute sua et incolumitate catholica religio, id te ipsa dignitas etiam tua maiorem in modum efflagitat. Neque enim ignoras, quo miseriarum semper deciderint illae Ecclesiae, quarum Episcopi sibi sunt assentati, depressa Romani Pontificis auctoritate, plus sibi accessurum esse potentiae et dignitatis, novarumque rerum cupidos episcopatum denique servituti et compedibus obiecisse. Tua igitur in Ecclesiam pietate egregiaque devotione in Apostolicam Sedem confisi, semen adeo pestiferum, inimica manu in vineam Domini iactum, dum speramus tua diligentia extinctum iri, apostolicam benedictionem fraternitati tuae, omni nostri cordis affectu, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. martii MDCCLXIV., pontificatus nostri anno VI.

VI.

Institutum Soc. Iesu a praedecessoribus approbatum, iterum probat et confirmat (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Apostolicum pascendi Dominici gregis munus beatissimo Apostolo Petro eiusque successori Romano Pontifici de-

(1) Acta praedecessorum pro Instituto S. I., hac constitutione confirmata, breviter recordamur.

Institutum et religionem Clericorum Regularium Societatis Iesu primum approbavit Paulus III. const. anni MDXL. nov. XXVII. Munus et auctoritatem praepositi generalis huius Societatis explicavit, nec non quamplures gratias concessit et ordinationes pro eius bono regimine firmavit Iulius III. const. anni MDCCXLIX. oct. XVIII.; idem Institutum regulasque melius explicatas iterum approbavit et confirmavit Pontifex idem const. anni MDL. iulii XXI. Gratias et privilegia Societati Iesu eiusdemque collegiis indulta innovavit et ampliavit Pontifex idem const. anni MDLII. oct. XXII. Religionem clericorum regularium Societatis Iesu esse vere de Ordinibus Mendicantium, eorumque gratiis et privilegiis, tam concessis quam concedendis, perfrui delaravit Pius PP. V. const. anni MDLXXI. iulii II. Facultatem religiosis Societatis Iesu eligendi conservatores in eius causis ac iurisdictionem ipsorum conservatorum indulxit Pontifex idem const. anni MDLXVIII. octavo kal. iunii, quae quum per sequutum Pontificis obitum confecta non fuerit, confirmata postmodum extitit a Gregorio XIII. constit. sui anni MDLXXII. maii XXV. Collegium cum universitate studiorum generalium scientiarnm et artium in oppido Pontis Mansonii dioecesis Metensis in Lotharingia, confirmavit Pontifex idem const. anni eiusdem decembris V. Ne religiosi et personae Societatis Iesu ad publicas processiones accedere cogantur statuit Pontifex idem constitut. altera anni MDLXXVI. iulii XVI. Quod pro Religione ipsa ubique ecclesiae et domus aedificari possint, non obstante quocumque privilegio in contrarium aliis Ordinibus concesso, iussit idem Pontifex constitut. anni eiusdem octobris XXX. Exemptionem huius Societatis a praestatione decimarum et aliorum onerum quorumcumque a pluribus Pontificibus concessam confirmavit Pontifex idem const. anni MDLXXVI. ian. I. Usum altaris portatilis, non obstante contraria Concilii Tridentini dispositione, religiosis huius Societatis, sub opportunis declarationibus, restituit idem Pontifex const. anni MDLXXIX. oct. I. Ne religiosi huius Societatis ad alios Ordines quam ad Carthusiensem transire possint, prohibuit Pontifex idem const. anni eiusdem oct. XXIX. Universitatem studiorum in collegio Societatis Iesu civitatis Vilnae in regno Poloniae, cum privilegiorum elargitione confirmavit Pontifex idem const. eiudem diei et anni. Presbyteris Societatis Iesu confessariis, quamvis magisterio theologiae et iuris canonici non insignitis, facultatem aperiendi literas Sacrae Poenitentiariae Apost., et absolutionis beneficium iuxta illarum dispositionem impendendi, fecit Pontifex idem const. anni MDLXXXII. aprilis III. Auctoritatem praepositi generalis huius Societatis circa contractus, censuum alienationem aliorumque praefinivit Pontifex idem constit. alia anni eiusdem augusti XII. et decembris XII. Personis Societatis Iesu, ut a quocumque Antistite, etiam extra tempora, de licentia suorum praelatorum ad sacros ordines promoveri possint, facultatem fecit Pontifex idem constitut. alia anni eiusdem sept. XXI. Itemque transeundi ad quoscumque alios Ordines regulares de licentia tamen praepositi generalis constitut. alia anni eiusdem sept. XXII. Institutum, privilegia et exemptiones huius Societatis, additis nonnullis declarationibus, confirmavit Pontifex idem constitut. anni MDLXXXIII. febr. I. Erectionem collegii Societatis Iesu Rigae in partibus Poloniae confirmavit Pontifex idem const. anni MDLXXXIV. martii I. Constitutiones collegii Germanici approbavit Pontifex idem const. anni eiusdem aprilis I. Institutum et constitutiones huius Societatis tertio approbantur, cum resolutione nonnullorum dubiorum et privilegiorum confirmatione, ab eodem Pontifice const. anni eiusdem maii XXV. Erectionem collegii in civitate Iprensi approbavit Pontifex idem const. eiusdem mensis, diei et anni. Itemque alterius collegii in oppido Montensi, Cameracensis dioecesis, const. alia eiusdem mensis, diei et anni. Nec non alterius in civitate Brugensi, const. alia anni eiusdem iu-

latum a Christo Domino, nulla locorum, nulla temporum conditio, nullus humanarum rerum respectus, nulla denique ratio circumscribere aut suspendere potest, quominus idem Romanus Pontifex ad omnes eiusdem officii partes nulla ex iis praetermissa, nulla neglecta, curas suas dirigere debeat, atque omnibus incurrentibus in Ecclesia necessitatibus providere. Harum partium inter praecipuas postrema non est Regularium Ordinum approbatorum ab Apostolica Sede tutelam gerere, ac fortibus piisque viris, qui eisdem regularibus Ordinibus sese solemni sacramento addixerunt, suamque pro tuenda atque amplificanda catholica religione agroque Dominico excolendo strenuam operam impendunt, alacritatem addere, et animos languidos et infirmos excitare et corroborare, iacentibus afflictisque consolationem afferre, praecipue vero ab Ecclesia, fidei suae et custodiae concredita, omnia quae in animarum ruinam in dies suboriuntur scandala submovere.

---

nii XXIII. Pariterque alterius collegii in civitate Mantuana, const. alia anni eiusdem iul. XV. Quod religiosis huius Societatis, etiam sacris ordinibus non initiatis, praedicandi verbum Dei facultas esset, concessit Pontifex idem const. anni eiusdem nov. XX. Institutionem congregationis sub invocatione annunciationis B. M. V. pro scholaribus externis collegii Societatis Iesu de Urbe, approbavit Pontifex idem const. anni eiusdem dec. V. Studium generale in oppido Graecensi Salisburgensis dioecesis approbavit Sixtus V. const. anni MDLXXXV. maii I. Itemque universitatem studiorum generalium et collegii in oppido Mussipontano Metensis dioecesis const. alia eiusdem Pontificis anni MDLXXXV. maii I. Congregat. sub invocatione annunciationis B. M. V. pro scholaribus externis studio collegii Societatis Iesu de Urbe addictis approbatam, ad alios etiam non studentes extendit Pontifex idem const. anni MDLXXXVI. ian. V. Privilegia et facultates praeposito generali et presbyteris huius Societatis, missiones in Indiis exercentibus, iam alias concessas confirmavit et ad aliud tempus extendit Pontifex idem const. anni MDLXXXVII. martii XIV.; easque iterum confirmavit et extendit Gregorius XIV. constitut. anni MDXCI. sept. II. Universitatem studiorum generalium in collegio Graecensi prius iam erecto, approbavit Sixtus V. eique redditus assignavit et privilegia concessit const. anni MDXC. ian. I. Quae in constitutionibus Societatis Iesu statuuntur circa novitiorum admissiones et superiorum electiones, confirmavit et quamcumque innovationem prohibuit Gregorius XIV. constitut. anni MDXCI. maii II. Institutum et religionem Societatis Iesu, cum aliquarum impugnationum reiectione, approbavit quarto Pontifex hic const. anni eiusdem iunii XXVIII. Ut Societas haec novitios retinere posset, non servata forma constitutionis Sixti V., concessit Gregorius XIV. const. anni eiusdem aug. X. Facultatem patribus huius Societatis indultam a Iulio III. absolvendi ab haeresi in regnis Hispaniarum, in quibus officium S. Inquisitionis non existit, revocavit Clemens VIII. const. anni MDXCIII. sept. XXV. Erectionem collegii cum universitate studiorum in civitate Commutaviensi dioecesis Pragensis confirmavit Pontifex idem const. anni MDXCIV. aug. XXIX. Itemque collegium in oppido de Fixa, alias de la Fleche, erectum approbavit Pontifex idem const. anni MDCIV. iulii X. Iesuitis Bituntinae civitatis interdictum fuit, ne facultates in universitate oppidi Dolae legi solitas, in dicta civitate possent docere, nisi pro suis religiosis, const. Pauli V anni MDCXI. iunii XVII. Studium generale in collegio Paderbonensi, erectum confirmavit Pontifex idem constit. anni MDCXIV. aprilis II. Statuta quaedam pro universitate studiorum in gymnasio Viennensi confirmavit Pontifex idem constit. anni MDCXVII aprilis XXIX. Indultum recitandi officium et missam B. Aloysii Gonzaga die XXI. iunii concessit religiosis huius Societatis Gregorius XV. constitut. anni MDCXXI. oct. II. Domus et collegia Societatis Iesu in regnis Sinarum et Iapponiae existentia, a solutione decimarum parochis et aliis ecclesiis exemit Pontifex idem const. anni MDCXXII. nov. V. Collegium Societatis Iesu in oppido Castorensi dioecesis Bituricensis approbavit Pontifex idem constit. anni eiusdem, dec. XXIX. Itemque collegium cum universitate studiorum in oppido Nissae dioecesis Wratislaviensis approbavit Urbanus VIII. constit. anni MDCXXVI. sept. X. Indultum recitandi officium et celebrandi missam de tribus martyribus Iapponiae die V. febr. religiosis huius Societatis concessit Pontifex idem const. anni MDCXXVII. sept. XV. Ne religiosi huius Societatis uti possent facultatibus literarum sanctae Cruciatae, vel eligere alium confessarium, quam assignatum a suis superioribus, prohibuit Pontifex idem const. anni MDCXXIX. martii XXXI. Vota a professis Societatis emitti solita post professionem solemnem circa paupertatem et acceptationem dignitatum extra religionem, ab uno tantum Romano Pontifice dispensari posse statuit Pontifex idem const. anni MDCXXXI, ian. XXV. Indulgentiam plenariam visitantibus ecclesias Societatis Iesu in festo S. Francisci Xaverii iam a Gregorio XV. concessam, confirmavit Urbanus VIII. const. anni MDCXXXVIII. dec. II. Quod congregatio generalis Societatis Iesu singulo novennio celebrari debeat, iussit Innocentius X. constitut. anni MDCXLVI. ian I. Indulgentias et gratias concessas religiosis huius Societatis missiones exercentibus in Indiis Occidentalibus confirmavit et facultatem dispensandi a matrimoniis in illis regionibus illegitime contractis de novo concessit Pontifex idem const. anni MDCXLIX. martii I. Declarationem congregationis generalis huius Societatis circa iurisdictionem et gubernationem vicarii generalis cum futura successione confirmavit Alexander VII. constitut. anni MDCLXI. aug. XXX. Quoad regimen superiorum Societatis Iesu plura statuit Pontifex idem const. anni MDCLXIII. ian. I. Officium S. Ignatii fundatoris huius Societatis sub ritu duplici in posterum recitari debere iussit Clemens IX. const. anni MDCLXVII. oct. XI. Convocationem congregationis generalis quolibet novennio ab Innocentio X. indictam suspendit, ut proximae generalis congregationis votum haberet, Pontifex idem const. anni MDCLXVIII. sept. XX. Septem presbyteris Societatis Iesu missionariis apud Sinas praecipitur ut accedant ad urbem, et missionariis omnibus formula praestandi iuramenti praescribitur per const. Innocentii XI. anni MDCLXXVIII. oct. X. Indulgentias quamplures presbyteris huius Societatis missionariis in Indiis concessit Alexander VIII. const. anni MDCXC. martii XXX. Facultatem conferendi nonnullos gradus in collegiis Societatis Iesu S. Fidei et Quiten in Indiis iam a Clemente X. indultam extendit Innocentius XII. const. anni MDCXC. sept. I. Hanc vero constitutionem declaravit et ampliavit Pontifex idem const. alia anni eiusdem sept. XXVIII. Indulgentiam plenariam in die communionis generalis a PP. Iesuitis fieri solitae semel in mense in regnis Angliae concessit Pontifex idem const. anni MDCCLX. martii VI. Constitutionem Gregorii XIII. prohibentem

Huius Instituti fundatio recordatur, plurium Pontificum approbationes, nec non eius merita in religionem recensentur.

§ 2. Institutum Societatis Iesu ab homine conditum, cui ab universali Ecclesia idem qui sanctis viris cultus et honor tribuitur, a fel. rec. praedecessoribus nostris Paulo III. et Iulio itidem III., Paulo IV., Gregorio XIII. et Gregorio XIV., Paulo V. diligenti examine perpensum, approbatum, saepius confirmatum et ab iisdem pluribusque aliis ab novendecim praedecessoribus nostris ornatum peculiaribus favoribus et gratiis, Episcoporum non modo huius, sed superiorum etiam aetatum, praeconio commendatum, ut maxime frugiferum et fructuosum, ut ad promovendum Dei cultum, honorem et gloriam aeternamque animarum salutem procurandam aptissimum, potentissimorum piissimorumque regum et clarissimorum in christiana republica principum praesidio et tutela usque munitum, cuius ex disciplina novem prodiere viri in Sanctorum vel Beatorum numerum relati, quorum tres martyrii gloriam sunt consequuti, a pluribus sanctitate claris viris, quos Beatos in coelo novimus sempiterna perfrui gloria, collaudatum, quod Ecclesia universa longo duorum saeculorum spatio in suo sinu aluit et fovit, eiusque professoribus praecipuam sacri ministerii partem semper commisit, magno cum emolumento animarum, quod ipsa denique catholica Ecclesia in Tridentina Synodo declaravit pium:

Enumerantur iniustae recentissimae contumeliae contra pium hoc Institutum, quae in Ecclesiae universalis iniuriam maximam vergunt.

§ 3. Hoc idem Institutum, novissime fuerunt, qui per pravas interpretationes tum privatis sermonibus, tum scriptis etiam typis in lucem editis, irreligiosum et impium appellare, contumeliis lacerare, probro et ignominia afficere non sunt veriti, atque eo devenerunt, ut privata sua non contenti opinione, huiusmodi virus de regione in regionem, nullis non adhibitis artibus, derivare atque undequaque diffundere sint aggressi, neque adhuc cessant incautis, si quos inveniant, christifidelibus, ut in proprios pertrahant sensus, subdole propinare. Quo in Ecclesiam Dei nihil iniurium magis, nihil contumeliosius, quasi adeo erraverit turpiter, ut quod impium et irreligiosum est, solemniter existimaverit Deo carum et pium, eoque decepto sit flagitiosius, quo diuturnius ad annos scilicet amplius ducentos cum maximo animarum detrimento sinui suo tantam haerere labem et maculam sustinuerit. Huic tanto malo, quod eo longius dissimulatum tanto altius radices agit viresque acquirit in dies diutius differre remedium iustitia, quae sua cuique asserere et fortiter tueri iubet, et Pastoralis nostra erga Ecclesiam sollicitudo non sinit.

Ad hanc iniuriam propulsandam, et concorde Episcoporum suffragium obsecundandum, Pontifex hoc Institutum denuo confirmat et approbat.

§ 4. Ut igitur tam gravem iniuriam a sponsa Ecclesia, divinitus nobis concredita, atque etiam ab hac Apost. Sede propulsemus, et huiusmodi iniustas irreligiosasque voces in animarum perniciem et seductionem, et contra omnes aequi bonique rationes longe lateque diffusas, nostra auctoritate apostolica compescamus, ut clericis regularibus Societatis Iesu, id a nobis pro iustitia exigentibus, suus maneat status, eadem nostra auctoritate firmius constabiliatur, eorumque nunc temporis summe afflictis rebus aliquod afferamus levamen; ut demum venerabil. fratrum nostrorum Episcoporum, qui ex omnibus regionibus catholicis eamdem Societatem nobis per literas magnopere commendarunt, et ex ea maximas utilitates in suis quisque dioecesibus se capere profitentur, iustis desideriis obsecundemus, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnium praedecessorum no-

---

patribus Societatis Iesu transitum ad alios quoscumque Ordines religiosos post emissionem votorum confirmavit Clemens XI. constit. anni MDCCXIX. dec. I. Iis, qui post vota simplicia a praeposito generali dimittuntur ab Societate Iesu, nulla ab eadem Societate alimenta deberi sancivit Benedictus XIII. const. anni MDCCXXVIII. iunii XII. Congregationem primariam vulgo *la buona morte* in ecclesia domus professae Societatis Iesu erectam approbavit et quamplures eidem indulgentias concessit Pontifex idem const. anni MDCCXXIX. sept. XXIII. Immunitates et exemptiones Societati Iesu concessae, in damnum Camerae Apostolicae revocatae fuere a Clemente XII. const. anni MDCCXXXI. ian XIII. Privilegia a Pio IV. concessa provincialibus Societatis Iesu in partibus Indiarum confirmavit Clemens XII. const. anni MDCCXXXIV. sept. IX. Quoad congregationes generales clericorum regularium huius Societatis, revocatis praedecessorum Pontificum nonnullis apostolicis literis, plura sancivit Benedictus PP. XIV. const. anni MDCCXLVI. dec. XVI. Quoad facultatem dispensandi in matrimoniis pro missionariis huius Societatis in Indiis Occidentalibus plura constituit et declaravit Pontifex idem constit. anni MDCCLVII. ian. XVII. Visitatorem et reformatorem clericorum regularium Societatis Iesu in regnis Portugalliae et Algarbiorum, nec non in Indiis Orientalibus et Occidentalibus regi fidelissimo subiectis, deputavit Pontifex hic const. anni MDCCLVIII. aprilis I. Universitatem studiorum in civitate Leopoli a regibus Poloniae erectam sub directione Societatis Iesu confirmavit Clemens XIII. constit. anni MDCCLIX. aprilis I. Concordiam inter clericos regulares huius Societatis pro collegio civitatis Poloki et Archiepiscopum ritus Graeci Ruthenorum eiusdem civitatis approbavit Pontifex idem const. anni MDCCLXII. iunii XI.

strorum inhaerendo vestigiis, hac nostra perpetuo valitura constitutione, eodem modo, ratione et forma, quibus ipsi edixerunt et declararunt, nos quoque edicimus et declaramus, Institutum Societatis Iesu summopere redolere pietatem et sanctitatem, tum ob praecipuum finem, quo maxime spectat, defensionem scilicet propagationemque catholicae religionis, tum ob media, quae adhibet ad eiusmodi finem consequendum, quod vel ipsa nos hactenus docuit experientia, cum ex eadem disciplina tam multos ad hanc usque aetatem prodiisse novimus orthodoxae fidei propugnatores sacrosque praecones, qui invicto animi robore terra marique subiere pericula, ut ad gentes immanitate barbaras evangelicae doctrinae lumen afferrent, et quotquot idem profitentur laudabile Institutum, partim intentos iuventuti religione et bonis artibus erudiendae, partim operam dantes spiritualibus exercitiis tradendis, partim adsidue versantes in sacramentis praecipue Poenitentiae et Eucharistiae administrandis et ad eorum frequentiorem usum fidelibus excitandis, tum homines in agris degentes divini verbi pabulo recreantes, ac propterea idem Institutum Societatis Iesu ad haec eximia perpetranda divina providentia excitatum, ipsi quoque approbamus et praedecessorum nostrorum approbationes eiusdem Instituti apostolica auctoritate nostra confirmamus.

Vota huiusce Instituti commendantur, et pia exercitia ab iisdem clericis regular. tradi solita, nec non sodalitates institutæ, a prædecessor. Pontificibus approbatae, quae hic confirmantur.

§ 5. Vota insuper, quibus iidem clerici regulares Societatis Iesu iuxta idem eorum Institutum se devovent Deo, grata illi et accepta esse declaramus; spiritualia exercitia, quae ab eisdem clericis regularibus traduntur fidelibus a mundi strepitu semotis per dies aliquot, ut de aeterna sui ipsorum salute serio et unice cogitent, ut maxime conducibilia ad reformandos mores et ad christianam pietatem hauriendam nutriendamque, magnopere probamus et laudamus; congregationes praeterea seu sodalitia, non modo adolescentium, qui ad scholas ventitant Societatis Iesu, sed quaevis alia, sive scholarium tantum, sive aliorum Christifidelium tantum, sive utrorumque simul, sub invocatione Beatae Mariae seu quovis alio titulo erecta, et quae in iis pia opera ferventi studio exercentur, probamus, praecipuamque erga Beatam Dei Genitricem semper Virginem Mariam devotionem, quae in iis sodalitiis alitur et promovetur, magnopere commendamus, nostrorumque fel. rec. praedecessorum Gregorii XIII., Sixti V., Gregorii XV. et Benedicti XIV. constitutiones, quibus ea sodalitia approbarunt, nos apostolica auctoritate nostra confirmamus, ceterasque omnes constitutiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in eiusdem Instituti Societatis Iesu functionum approbationem et laudem conditas, quarum singulas hic haberi volumus pro insertis, auctoritate itidem nobis a Deo tradita, apostolicae confirmationis nostrae robore per hanc nostram constitutionem munitas volumus, et, si opus sit, velut a nobis ex integro conditas editasque censeri praecipimus et mandamus.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnat. Dominicae MDCCLXV., VII. idus ian., pont. nostri anno VII.

VII.

Pseudo-synodus provinciae Ultraiectensis habita die* XIII. *septembris* MDCCLXIII. *proscribitur et annullatur, nec non damnatur liber Ultraiecti editus anno* MDCCLXIV. *quo acta et decreta dictae synodi referuntur.

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam (1).

Referuntur actus nulliter gesti ab excom-

§ 1. Non sine acerbo animi sensu atque dolore iampridem accepimus, perdi-

(1) Electionem Petri Ioannis Meindarts in pseudo-Archiepiscopum Ultraiectensem irritavit, nec non eumdem atque electores excommunicavit, ac quominus se in Archiepiscopum consecrari facere auderet prohibuit Clemens XII. const. anni MDCCXXXIX. oct. VI. Consecrationem supradicti intrusi Utraiectensis Archiepiscopi damnavit, eumdemque iterum excommunicavit Benedictus XIV. const. an. MDCCXLI. iunii XXIV. Electionem Hieronymi de Boch in pseudo-Episcopum Harlemensem damnavit pariter, eumque excommunicatum vitandum declaravit Pontifex idem const. anni MDCCLII. sept. I. Consecrationem

municatis tribus Episcopis provinciae Ultraiectensis, et eorum nullitas.

tos homines et pervicaces iniquitatis filios Petrum Ioannem Meindarts, Ioannem Van-Stiphout et Bartholomaeum Byeveld, quos a fel. rec. praedecessoribus nostris Clemente XII. et Benedicto XIV. semel atque iterum apostolico maioris excommunicationis mucrone fuisse confixos, atque ita ab Ecclesiae gremio exturbatos etiam schismaticos vitandos declaratos fuisse et ab omnibus episcopalis iurisdictionis et dignitatis muneribus interdictos, ipsa iamdudum novit catholica Ecclesia, nonnullis suae factionis ecclesiasticis in criminis societatem adscitis, clancularium quemdam habuisse conventum, atque in eo de fide, de moribus, de disciplina, tamquam iudices in Ecclesia constitutos, ausos esse plura statuere et decernere, canones condere atque ea demum omnia episcopalis muneris officia usurpare, quae constat inter omnes, qui quidem sint catholici nominis, ad Episcopos cum catholica Ecclesia communionem habentes, dum in legitimis synodis congregantur tantummodo, pertinere.

Insidiosa methodus habitae et evulgatio actorum huius pseudo-synodi.

§ 2. Indignum eiusmodi facinus plane detestati, supplices usque adhuc ad Deum preces nostras prosternere non cessavimus, ut ambulantes in pravitate cordis sui, divina luce collustratos et coelestis gratiae numine permotos, super semitas iustitiae deduceret. Sed, ut ait sapiens, ***perversi difficile corriguntur, et os impiorum devorat iniquitatem.*** Nam de irrequietis hominibus, quos supra memoravimus, gravior ad nos perlatus est nuncius, eos tumentes in peccato suo et ipsis sibi delictis placentes, illegitimi huius nefariique conventus non modo acta typis impressa in publicam lucem edidisse atque in omnes partes, per nefarii sui schismatis fautores, latissime disseminasse, sed eo etiam prorupisse temeritatis, ut, contemptis incredibili audacia et ludibrio habitis tot apostolicis nostrorum praedecessorum decretis, quibus segregati sunt a catholica Ecclesia, compluribus venerabilibus fratribus nostris Episcopis, qui nobiscum sunt christiana caritate coniuncti, eadem acta callide submiserint, eo fortasse consilio, ut ab iis probarentur, aut per eam occasionem saltem epistolam, quam veluti catholicae communionis signum deinde ostentarent, consuetis fraudolentissimae suae factionis artibus et quasi per insidias surriperent.

Summi Pontificis officium est has seditiones, et perturbationes catholicae Ecclesiae opprimere, eisque resistere.

§ 3. Qui igitur indesinenter apostolico nostro officio admonemur, nostras esse partes, animarum pericula avertere, motus et perturbationes in Ecclesia sedare, schismata vel coorta statim opprimere, vel, si latius serpant, iis acerrime obsistere, ne seditiosorum hominum, quos videmus esse in felle amaritudinis et in obligatione iniquitatis, temerariis venenatisque conatibus silentio nostro connivere atque consensum adhibere videamur, unde gehennae poenas possimus incurrere, detestandam eorum machinam, per manifestum Apostolicae Sedis et canonicae disciplinae contemptum ad evertendam ecclesiasticam hierachiam, unitatem communionemque catholicam dissolvendam, ad decipiendos seducendosque simplices homines et incautos, et in perniciem trahendas in universum Dominici gregis oves novissime admotam, censemus apostolica virtute et auctoritate, quantum in Domino possumus, dirui oportere.

Pseudo-Synodum proscribit et annullat, nec non damnat librum eiusdem referens acta.

§ 4. Auditis itaque nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus aliisque pietate et doctrina praestantibus viris, de eorum sententia et consilio, eam pseudo-synodum, quo convenerunt memorati Petrus Ioannes Meindarts, Ioannes Van-Stiphout et Bartholomaeus Ioannes Byeveld, aliique, qui extra Ecclesiam collecti secum esse Christum, cum fuissent collecti, falso sunt opinati, sine legitima iurisdictione atque auctoritate coactam et celebratam, nullam, illegitimam et attentatam pronunciamus atque omnia eius acta rescindimus, cassamus et irritamus nulliusque esse roboris et momenti edicimus et declaramus. Librum vero, quo eadem acta evulgata fuerunt, cuius titulus: ***Acta et Decreta secundae synodi provinciae Ultraiectensis in sacello ecclesiae parochialis S. Gertrudis Ultraiecti celebratae die*** XIII. ***septembris*** MDCCLXIII. ***Ultraiecti sumptibus So-***

huius pseudo-Episcopi, deinde damnavit et excommunicationem iam prius indictam confirmavit Pontifex idem const. alia anni eiusdem dec. XX. Electionem Ioannis Van-Stiphout in pseudo-Episcopum Harlemensem, post praedecessoris funus, nulliter factam declaravit, cum censurarum indictione, Pontifex idem const. anni MDCCXLV. iunii XXVI. Appellationem ad futurum concilium interpositam a pseudo-Archiepiscopo Ultraiectensi et Episcopo Harlemensi, nec non librum eamdem appellationem continentem, damnavit atque prohibuit Pontifex idem constitutione eiusdem diei, mensis et anni.

cietatis MDCCLXIV., tamquam continentem in infandi schismatis patrocinium propositiones falsas, calumniosas, scandalosas, ecclesiasticae hierarchiae eversivas ac Apostolicae Sedi iniuriosas, damnamus et reprobamus, ipsiusque libri quocumque idiomate editi vel edendi lectionem, usum, retentionem multoque magis distributionem et distractionem omnibus et singulis christifidelibus sub poena excommunicationis latae sententiae, ipso facto absque alia declaratione incurrendae, apostolica auctoritate praesentium tenore omnino interdicimus et prohibemus.

Nec non scripta quaecumque in defensionem huius schismatis.

§ 5. Praeterea quaecumque alia scripta, vel manu exarata vel typis excusa aut excudenda, in huius funesti schismatis defensionem, eadem auctoritate et tenore praefato, itidem sub eadem poena damnamus et reprobamus; ac legi aut retineri aut distribui et distrahi pariter interdicimus et prohibemus.

Prohibet ne cum hisce excommunicatis vitandis ullam spiritualem communicationem fideles habeant.

§ 6. Noverint praeterea fideles omnes, idque eos sedulo admonemus, sibi vetitum esse, sub poenis a iure latis, cum supramemoratis hominibus, utpote qui declarati sint excommunicati vitandi, ullam praesertim in spiritualibus, communionem habere, multoque magis eorumdem acta schismatica tamquam legitima ac rata probare, et huic deplorando schismati fomentum ullum praebere. Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Preces Deo porrigit pro horum perversorum conversione, et reditum ad catholicam communionem.

§ 7. Faxit Deus et Pater Dñi Nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut hoc a nobis aliquando removeatur amaritudinis offendiculum et ea spina dolorem inferens e nostro animo evellatur. Illum in humilitate cordis nostri rogamus et obsecramus impensissima prece, ut qui ea, quae diu in multa patientia sustinuit vasa irae, eadem ipsa aliquando efficit vasa in honorem, caecos homines miseratus, iis aperiat oculos, quo tandem videant et ex animo fateantur, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, eam esse, quae sola aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit; qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit et resistit, illum in Ecclesia se esse male confidere: neve amore iactantiae, quae superbiae semper est proxima, diutius in obstinatione permaneant, sed abiectó privato sensu errori semper obnoxio, Ecclesiae iudicio, quae est columna et firmamentum veritatis, se dociles praebeant, apostolicis mandatis sincero animo pareant et in viscera S. Matris catholicae et apostolicae Ecclesiae, tota mentis intentione, aliquando properent regredi.

Publicatio indicitur praesentium literarum, et fidem habendam esse earum transumptis mandatur.

§ 8. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae, nec non curiae generalis in Monte Citatorio et in acie campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent: ipsarum autem literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLXV., pontificatus nostri an. VII.

VIII.

Archiepiscopo Rhemensi gratias agit pro actis generalis Gallicanorum Episcoporum conventus ad Pontificem missis, et acta eadem expendit atque commendat.

Venerabili fratri Carolo Antonio Archiepiscopo Rhemensi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apost. benedictionem (1).

Gaudet quod Gallicani Episcopi, tempori-

§ 1. De generali isto Gallicanorum Episcoporum conventu, qui, te praeside, no-

(1) Archiepiscopos et Episcopos Lutetiae ad generalia comitia congregatos hortatus fuerat Pontifex per literas diei VIII. maii huius anni, ut de medendis Ecclesiae Gallicanae malis serio cogitarent regiamque in primis opem implorarent.

bus licet adversis, plura egerint in Parisiensibus comitiis pro religionis bono:

vissime Lutetiae Parisiorum est habitus, minime nos fefellit opinio, et Dei zelus, quo antistites flagrantem animum gerunt, eorumque unanimis omnium consensus spei et expectationi nostrae plane respondit. Non dubitamus ex iis quae fecerunt, quin multa plura facturi fuissent atque meliora, si aequioribus temporibus uterentur. Sed tamen Deo gratulandum, qui tanta gratiae suae firmitudine eorum animos sepsit, ut ubi de summa religionis dimicaretur, rati non amplius dissimulandum tandem in memorato generali conventu, omni humanarum rerum posthabito respectu, invictum omnino praetulerint robur seque exhibuerint pro tuenda Ecclesia Dei plane sacerdotali fortitudine communitos.

Et primo quidem communem eorum declarationem quoad persistentem Gallicanae Ecclesiae vigorem et catholicae fidei firmitatem;

§ 2. Et magna quidem, ven. frater, iniuriarum mole per hos aliquot annos nos Ecclesiam Dei vehementer ingemuimus praegravatam. Vidimus his novissimis temporibus « apud quosdam mutare lubricam fidem, apud irreligiosos vacillare Dei timorem, aut pacificam non perseverare concordiam ». Sed, gratia Dei adiutrice et comite, piissimi Antistites declaraverunt, non sic evangelicum cecidisse in Ecclesia Gallicana vigorem, aut christianae virtutes et catholicae fidei robur elanguisse, ut non supersit universus episcopalis ordo, Ecclesiae portio praecipua, quae minime ad has rerum ruinas succumbat, sed fortis et stabilis honorem Divinae Maiestatis et sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur.

Deinde vero proscriptionem perniciosorum librorum, et ecclesiasticae libertatis propugnationem.

§ 3. Itaque primum, quod maxime opus fuit, a christiana religione impiorum iniurias repulerunt; proscriptisque flagitiosissimis libris, ab eorum lectione fideles absterruerunt, monueruntque, nefas esse cum religionis amittendae periculo enunciatos aliosque eius generis perniciosissimos libros vel leviter attingere. Quod ad Ecclesiae divinam sublimemque potestatem attinet, sacris unice Pastoribus ab ipso Christo traditam strenue eamdem potestatem ab eius invasoribus in libertatem exemerunt, recteque docent, eam absolutissimi et plenissimi esse iuris sui et arbitrii, nulli huius mundi potestati obnoxiam, a nulla prorsus saeculari potestate pendentem, omni denique liberam libertate: cui libertati laicam potestatem praesidio quidem esse debere; at sub auxilii ferendi praetextu non illi iugum imponere. Subditos Ecclesiae in iis, quae ad spiritualia pertinent, esse vel ipsos terrarum rectores et dominos, nec eorum unquam fas esse, vel in tradenda sive fidei sive morum doctrina, sive in sacramentis administrandis et ad ipsorum administrationem sacris ministris vel adhibendis vel amovendis, quidquam praecipere, nec per causam componendarum in Ecclesia turbarum quas veritatis inimici excitaverint, sacris Pastoribus fideique propugnatoribus silentium imponere.

Enumerat quamplures alias declarationes Gallicani Cleri pro religionis bono factas.

§ 4. De religiosorum Ordinum Institutis, et quae ab eorum conditoribus vota praescribuntur, de iis solius esse Ecclesiae iudicare. Constitutionis denique ***Unigenitus*** et encyclicae fel. rec. praedecessoris nostri Benedicti XIV. a nobis confirmatae assertores catholicam doctrinam et Apostolicae Sedis dignitatem auctoritatemque ab impudente obstinataque contumacia hominum et refractariorum audacia vindicaverunt; illud diserte declarantes, coniunctionem et unitatem servare se cum eadem beatissimi Apostoli Petri sacratissima Sede, quam Christus Dominus posuit fundamentum, cui ita universae Ecclesiae nititur aedificium, ut quidquid ab eo se removerit, illud corruisse, et iam ab Ecclesia oporteat recessisse. Qui enim Cathedram Petri, ut ait ex Cypriano martyre praedecessor noster Pelagius II., super quam Ecclesia fundata est, deserit et resistit, quomodo in Ecclesia se esse confidit?

Gallicanae Ecclesiae constantia summopere Deo grata extitit, et christianissimi Regis protectionem promeruit.

§ 5. Haec vero egregia eorum in Ecclesiam fides singularisque in propugnanda incorrupta eius doctrina et sacratissimis iuribus defendendis alacritas atque constantia Deo quantopere fuerit grata, vel inde potest facile quisque intelligere, quod Episcopos, quot in christianissimi regni ditione suas regunt Ecclesias, ipse divino suo ita tetigerit numine, ut fere omnes, quemadmodum accepimus, memorato cleri vestri generali conventui se adiunxerint, eiusque acta voluntate summa et publico testimonio comprobarint et laudaverint; ipse praeterea christianissimo regi eam dederit mentem, ut luculentissimum ederet argumentum, quo animo omnium vestrum et ipsius Ecclesiae tutelam susceperit. Etenim pro ea qua maxime praeditus est religione et in S. Ecclesiam, cuius gloriatur esse primogenitus Filius, observantia et amore, primos, qui sese statim exeruerunt adversus vos et eamdem Ecclesiam conatus, incun-

ctanter, bonorum omnium, quotquot Ecclesiae filii sunt obsequentes, approbatione summa omniumque laudum praeconio, regio edicto suo non dubitavit infringere.

Rhemensem Antistitem Parisiensium comitiorum præsidem speciali prosequitur laude.

§ 6. Te vero, venerabilis frater, apostolica nostra laude non existimamus fraudandum, qui tuam voluntatem cum religiosissimorum Antistitum voluntatibus coniunxisti. Te amamus, quod ad nos non eorum acta modo, sed etiam tuas literas perferendas curasti, quae diserte nobis nunciant, te ad omnia paratum esse pro Christo: te denique in Domino rogamus et obsecramus, qui praeclaro Episcoporum conventui ut praeesses disposuit divina dignatio, ne committas ut tentationibus aut avocatus aut victus, quod ait martyr Cyprianus, in medio laudis et gloriae itinere desistas, nec quidquam tibi praestabilius sit, quam quae sancte nobis promittis, ut, alacriter impleas; ac praecipue, qua vales plurimum apud christianissimum regem gratia, illam polliceris ad sustentandam christianam religionem nunc maxime ab impiis labefactatam, defendendamque catholicam fidem adhibeas; sic enim quam bene gessisti, bene itidem rem gerens in posterum, eorum non modo comprimes voces, quos non obscure indicas tibi forte obtrectasse, sed etiam prudentibus humanarum actionum aestimatoribus, et qui ubi de religione agitur iure omnia redigunt ad acerrimam normam abunde satisfaciens, omni te praedicatione dignum exhibebis; tuaeque virtuti debitas ab iis referens laudes, non humano praeconio sublatum animum gerens, sed tamquam ab eo, qui te divina virtute sua et gratia adiuverit, commendatus, iure poteris in Domino gloriari; et fraternitati tuae, intimo nostri cordis affectu, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCLXV., pont. nostri an. VIII.

CLEMENS PAPA XIV.

An. C. 1770

I.

Paulo Eszterhazii priori generali Ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae suisque in generalis prioratus officio successoribus, indultum pontificalium et facultas utendi habitu ad instar praelatorum, etiam in urbe, necnon monachis professis tonsuram et quatuor minores ordines conferendi, aliaque privilegia perpetuo conceduntur.

CLEMENS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Decet Romanum Pontificem, cui divinitus dispensationis ratio credita est, ad ea vota, per quae personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium uberesque bonorum operum fructus, illo, a quo bona cuncta procedunt, donante, proferre assidue satagentium decori et commoditati per amplius consulitur, libenter intendere, ac in iis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Preces porrectae pro obtinendo indulto.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Eszterhazii prior generalis Ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae, quod cum ipsius institutum ad monachorum Ordinem per nos apostolica auctoritate pertinere declaratum fuerit, et aliorum Ordinum huiusmodi generalis nonnullis gratiis et privilegiis pari auctoritate sibi ipsis concessis ornati reperiantur, hinc dictus Paulus eisdem praerogativis et facultatibus in sui Ordinis decus et ornamentum, in suorum monachorum spiritualem commoditatem, ipsum eiusque in generalis prioratus huiusmodi officio successores uti posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tribuitur prioribus generalibus ius utendi mitra et baculo ac annulo, aliisque ornamentis concessis pontificali praeditis dignitate, descriptis diebus festis pro quibus concessio valere debet cum suis reservationibus et conditionibus.

§ 3. Nos igitur ipsum Paulum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Paulo et successoribus suis Ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae prioribus generalibus quandocumque existentibus, ut in monasteriis eiusdem Ordinis mitra et baculo ac annulo pastoralibus, et etiam cruce ac sandalis et aliis ornamentis, quibus pontificali dignitate praediti utuntur et cum quibus sacra facientes incedunt, ad instar, seu eodem prorsus modo aliorum generalium Ordinum monachorum huiusmodi in diebus festis solemnioribus, nempe nativitatis et paschatis resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, pentecostes, assumptionis beatae Mariae Virginis ac in die sancti Pauli primi eremitae uti, ac etiam post nocturnas seu matutinas horas, necnon missam decantatam et vesperas benedictionem solemnem post missarum, vesperarum, matutinorum et aliorum divinorum solemnia supra populum tunc interessentem, dummodo inibi Dioecesanus seu alius Antistes aut aliquis Apostolicae Sedis Legatus praesens non sit, vel, si praesens fuerit, eius ad id expressus accedat assensus, elargiri ac christifidelibus huiusmodi benedictioni interessentibus etiam decem dierum indulgentias et peccatorum remissiones concedere seu decem dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxare et publicare in forma Ecclesiae consueta, et singulos Ordinis praedicti monachos professos ad hoc idoneos clericali charactere insignire et ad quatuor minores ordines simul vel successive, prout expediens fuerit, quibusvis festivitatibus promovere ac Ordines eis conferre, nec non vestes, indumenta, ornamenta et paramenta ecclesiastica, libros, imagines, cruces, campanas, calices, vasa et tabernacula quaecumque ecclesiarum et monasteriorum dicti Ordinis ac altaria eorum benedicere easdemque ecclesias vel earum coemeteria

et alia loca ecclesiastica quovis modo pollutas vel polluta, aqua tamen per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta, reconciliare habitumque praelatorum more coloris albi cum mozzetta et mantelletta, etiam in romana curia, gestare ipse Paulus prior generalis libere et licite possit et valeat eiusdemque Pauli priores generales successores praedicti Ordinis perpetuis futuris temporibus respective possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae salutares, ut literae apostolicae omnimodam obtineant executionem.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari ac ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, nec non, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum, tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCLXX., pontificatus nostri an. II.

II.

Praesulibus Maronitis de proprio Patriarcha querentibus respondet, se negotium detulisse ad S. Congregationem, eosque impense ad concordiam hortatur ac simul ad obsequium Patriarchae praestandum (1).

Venerabilibus fratribus Michaeli Episcopo Caesareae, nec non Vicario Episcopi Aleppi, et Episcopis Tripolis, Eliopolis, Arcae, Lustrae, Cypri et Constantiae,

CLEMENS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus fraternitatum vestrarum literas ad nos die XV. septembris anni praeteriti datas, quantumque ex iis molestiae cepimus, vos ipsi magis intelligere poteritis, quam nos verbis assequi ac satis explicare valeamus. Illud tantummodo vobis innuere volumus, summae nostrae erga vos caritati parem esse dolorem illum quo affecti sumus, cum querelas vestras de ven. fratre Patriarcha Antiocheno ac earumdem causas quaeque inde consequi in universas ecclesias nostras offensiones, incommoda ac detrimenta possunt, perciperemus. Utinam, venn. fratres, nos ipsi praesentes adesse et coram interponere auctoritatem nostram omnesque in ipsis initiis discordias praefocare ac prorsus opprimere possemus. Nunc, quod in tanto et temporis et locorum spatio nobis agendum esse pro apostolica sollicitudine visum est, accuratissime huic nostrae de Propaganda Fide Congregationi mandavimus, ut, quanta maxima diligentia potest, rerum istarum statum cum cognoverit ac expenderit, omnem operam, studium, consilium adhiberet ad opportuna controversiis istis comparanda matureque afferenda remedia. In Domino sane confidimus fore, ut eiusdem divina ope tutissima aliqua ineatur pristinae vobis tranquillitatis restituendae ratio; resque isthic catholica concordia vestra, quantum fieri potest, maxime reflorescat; neque enim ad eam tuendam atque optime administrandam ulla res magis conducit, quam unus idemque eorum, qui praesunt,

(1) Ex Reg. Vatic. Epist. ad princ. viros et alios.

spiritus coniunctaque omnium ad augendam divinam gloriam et christiani populi utilitatem consensio. Id etiam maiorem in modum sperare nos iubet ea plurima, quam de vestra pietate vestroque religionis studio fovemus, existimatio. Virtus siquidem episcopalis, quae in suo rite exercendo munere magis in dies corroboratur coelesti gratia atque excrescit, pati minime debet, ut vestrae contentionis ardor rationis modum eiusque obsequii transcurrat limites, quod vos Patriarchae vestro praestare par est. A vobis proinde etiam atque etiam videndum erit nequid temere, nequid aspere fiat, quo difficilius coire episcopalis inter vos concordia et christiana pax possit, ad quam aspirare omnibus votis, omni animi conatu studioque debetis. Vos igitur, quantum in Domino possumus, exhortamur, venn. fratres, et obsecramus, docile habeatis cor vestrum, pacis et caritatis consilia consectemini, idque in animos vestros inducatis, nihil potius atque antiquius vobis esse debere, quam quod hoc tempore publica rerum istarum ratio communisque vestrarum ecclesiarum status postulabit. Si eum in modum comparati fueritis, minime dubitamus, quin quamprimum Deo O. M. gratias acturi simus, qui vos a tantis animorum contentionibus ad lenitatis ac pacis spiritum traduxerit, eamque vobis etiam impertituri laudem, quae Episcopos non litigiosos, non cupidos, sed suae domui bene praepositos divinamque in omnibus respicientes gloriam maxime deceat. Ac coelestis benedictionis auspicem apostolicam benedictionem in pontificiae etiam caritatis pignus fraternitatibus vestris commissisque vestrae fidei populis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XXIII. maii MDCCLXXII., pontificatus nostri an. IV.

III.

Eodem in sensu, quo in antecedentibus literis, respondet Gazenis M. Libani primoribus, a quibus peculialiter expectat ut S. Congregationis decretis debitum praestent obsequium (1).

Dileotis filiis Gazenis Maronitis Montis Libani,

CLEMENS PP. XIV.

Dileoti filii, salutem et apostolioam benedictionem.

Acceptis literis vestris die XV. septembris anni praeteriti datis, nihil prius nobis pro nostra apostolica sollicitudine fuit, dilecti filii, quam ut et querelis vestris de venerabili fratre Iosepho vestrae nationis Patriarcha, et una dolori nostro, quem inde maximum ut par est percepimus, idoneo aliquo remedio occurreremus. Statim itaque mandavimus nostrae de Propaganda Fide Congregationi, ut in rem omnem diligenter inquireret tantaeque scrutaretur et cognosceret offensionis causas et, quantum mature potest, opportuna aliqua ratione pro sua sapientia nostraque auctoritate obviam iret gliscenti malo animosque vestros in pristinam quietem et tranquillitatem reduceret. Minime nobis dubium est, quin divina ope eiusque Congregationis consilio atque opera omnes sint resecandae tantarum perturbationum stirpes praesensque de vobis molestia nostra expectatissimo iucundissimoque postmodum rerum vestrarum nuncio prorsus abstergenda. Quod ut certius citiusque contingat, maiorem in modum a vobis petimus, dilecti filii, ut animorum vestrorum aequitate ac moderatione nunc maxime declaretis, quae vestra semper fuerint quamque egregia de catholica religione studia quaeque et quam praestans in nos ac in Apostolicam Sedem observantia. Atque haec quidem praeclara merita vestra tanto cumulatiora nos agnoscemus, quanto dociliores obsequentioresque eritis iis, quae a nostra Congregatione decreta fuerint, eiusque iudicia in rem catholicae fidei ac istarum ecclesiarum bonum futura eo quo debetis obsequio ac veneratione excipietis. Vos itaque quanta maxima possumus paterni animi contentione hortamur, ut hoc tempore nostram hanc de vestra pietate fiduciam eum in modum confirmetis, ut quam deferimus vobis benevolentiam, uberiorem eamdem eiusmodi vestra in nos fide multoque ampliorem factam esse sentiamus. Ac in pontificiae paternae ca-

(1) Ex eodem Reg. Vat.

ritatis pignus apostolicam benedictionem, qua vobis coelestis gratiae incrementum cum christianae pacis et concordiae spiritu precamur, vobis, dilecti filii, universisque familiis vestris peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. maii MDCCLXXII., pontificatus nostri anno IV.

IV.

Abbati S. Galli respondet, conventionem inter ipsum et Episcopum Constatiensem a Sede Apostolica confirmatam impedire, quominus ipse, saltem absque consensu eiusdem Episcopi, impetrare possit facultatem administrandi sacramentum Confirmationis et ecclesias consecrandi; non defuturum tamen Pontificem iis quae animarum utilitas requirat (1).

Dilecto filio Bedae Abbati Sancti Galli,

CLEMENS PP. XIV.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Gratissimae sunt nobis, dilecte fili, opportunitates omnes, quibus tibi reipsa palam facere possimus, quantopere te diligamus quantique te faciamus ob egregiam tuam in apostolico munere gerendo et gregis tui incolumitate sedulo ac naviter curanda operam cum assidua ac singulari in nos ac S. hanc Sedem observantia coniunctam. Propterea postulationes tuo nomine ad nos nuper delatas, quibus sacramenti Confirmationis conferendi et ecclesias in tua dioecesi consecrandi facultatem tibi concedi flagitas, libentissimo animo excepimus tibique gratificandi propensissimo. Itaque cum rei totius cognitionem adiremus, magnopere optavimus, ut rationes omnes, quas a nobis expendi oportebat, et praesertim animarum utilitatis et communis tranquillitatis causae nostro huic desiderio ac in te studio consentirent.

§ 2. Verum, quo alacrior erat huiusmodi nostra in te voluntas, eo molestius tulimus, cum iis rebus, quibus adiuvari putabamus hanc tibi satisfaciendi cupiditatem, retardari eamdem ac impediri comperiremus. Concordatis enim ipsis inter Abbatem S. Galli et Episcopum Constantiensem communi consensione constitutis et ab Apostolica Sede confirmatis concessionem eorum, quae a nobis postulas, opponi atque adversari omnino cognovimus, neque a nobis quidpiam immutari in illis posse, quin omnes illius initae concordiae conditiones infringantur ac perturbentur, et pontificiae approbationis vis atque auctoritas una tollatur. Post ea pacta et conventa inter vos sancita, si quae deinde commutationes essent consecutae, pro diverso rerum ipsarum statu, fortasse legi item innovandae locus esse posset. Nunc cum eodem in statu sint omnia, sine manifesta Constantiensis Ecclesiae iuribus illata iniuria, nulla certe ratio esse potest immutandis rebus mutuo semel consensu stabilitis. Secus enim non solum nulla spes esset communis pacis ac tranquillitatis servandae, verum etiam multas nec eas quidem indebitas querelarum causas inde exoriri et ipsas veteres inter vos controversias et contentiones concordia vestra tam praeclare compositas iterum excitari summo cum dolore videremus.

§ 3. Quod ad spiritualem populorum utilitatem attinet, eidem accurate atque opportune, ut necesse est, curandae accommodata remedia rationesque nullo modo defuturas arbitramur. Si ita opus fuerit, pollicemur ac recipimus, paratissimos nos ipsos semper fore ad excitandam Episcopi Constantiensis diligentiam. Magno item subsidio atque adiumento esse poterit apostolici nostri in Helvetia Nuncii opera, quem in episcopalis obeundi ministerii partibus praesto tibi futurum, quotiescumque oportuerit, non dubitamus.

§ 4. Prolixius tibi significare voluimus, dilecte fili, quamobrem sine Constantiensis Episcopi consensu minime tibi ea, quae a nobis postulas, impartienda censeamus, quae sine perspicua illius ecclesiae iurium imminutione nullo modo concedi posse vides. Ceterum alias deesse nobis minime posse occasiones certo scimus paterni nostri tibi declarandi animi ac singularis pontificiae caritatis qua te tuosque omnes ob singularia vestra in excolenda vinea Domini merita mirifice complecti-

(1) Ex eodem Reg. Vat.

mur. Vos interim benemereri de nobis pergite vestrisque ad Deum precibus imbecillitatem nostram in gravissimo substinendo munere sublevate. Quod dum vos studiosissime facturos confidimus, in manifestius nostrae benevolentiae pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque monachis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. ianuarii MDCCLXXIII., pont. nostri anno IV.

V.

Committit vicariis apostolicis in regnis Tunkini et Concinchinae existentibus variare quod oportet, pro subrogatione aliorum missionariorum in locum presbyterorum extinctae Societatis Iesu.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Super familiam Domini coelestis patris ordinatione constituti, ad omnes nationes et gentes, quae catholica societate continentur, sollicitudinis nostrae curas intendimus, atque in iis omnibus, quae ad eorum aeternam salutem procurandam obtinendamque pertinent, ita advigilare adnitimur, ut opportunas apostolicae caritatis potestatisque nostrae partes in dissitis praesertim regionibus et provinciis, quoad nobis integrum est, desiderari minime patiamur.

Status missionum in regno Tunkini et Concinchinae, pro suppressa congregat. Societatis Iesu.

§ 2. Dudum siquidem, sicut nuper accepimus, in regnis Tunkini et Concinchinae, in quibus catholicorum numerus, benedicente Domino, in dies magis magisque augetur, nonnulli vicarii apostolici ab hac Sancta Sede respective deputati reperiuntur. Cum autem inter ceteros qui sacris missionibus ibidem operam dabant, numerarentur quoque presbyteri regulares Societatis Iesu, quae per alias nostras in simili forma brevis die XXI. iulii currentis anni expeditas literas suppressa atque extincta fuit, hinc est, quod nos motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis eiusdem sic per nos, ut praefertur, extinctae societatis presbyteris iampridem in dictis regnis missionariis omnia et singula privilegia, facultates, gratias et indulta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede praedicta quandocumque, quomodocumque et qualitercumque eidem extinctae societati suisque presbyteris concessa, tributa et elargita, revocamus, tollimus et abolemus.

Concessio facultatum Apostolicis Vicariis pro variatione legis suppressionis.

§ 3. Ne autem ex praemissis quidquam detrimenti spiritualibus necessitatibus catholicorum in eisdem regnis degentium unquam obveniat, pro pastoralis muneris nostri debito paterna caritate providere volentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus per praesentes committimus et mandamus eisdem vicariis apostolicis in regnis praedictis existentibus, ut, quatenus propter societatis praedictae extinctionem et suppressionem huiusmodi aliqua opus sit variatione in distribuendis applicandisque missionibus, quae in eorum respective districtu reperiuntur, communi assensu hoc ipsum faciant et exequantur, piisque ac iustis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici francorum regis christianissimi et Caroli Hispaniarum regis catholici aliorumque christianorum principum de eisdem missionibus adeo benemeritorum desideriis inhaerentes, id totum in re hac vicarii praedicti unanimiter agant atque constituant, quod ad maiorem facilioremque catholicae fidei propagationem aeternamque animarum salutem obtinendam, in Domino magis expedire putaverint.

Praeceptum subrogan. presbyteros, qui missionibus operam dare valeant.

§ 4. In primis vero pro eo, quo iidem vicarii pollent, zelo, pietate, caritate ac diligentia, alios, qui spiritualibus earumdem animarum necessitatibus occurrere possint in locis, in quibus dicti presbyteri sacris missionibus operam dabant, in eorum locum subrogare ac deputare omnino curent et teneantur; opusque hoc sibi iniunctum mutua invicem caritate ita consummare satagant, ut debitam eorum laboribus mercedem in coelis a iusto retributore Deo recipere valeant. Quod si antequam praesentes nostrae literae ad eosdem vicarios proveniant, aliquid contra earumdem literarum formam et dispositionem interea gestum, praescriptum atque statutum sit, id totum motu, scientia et potestatis plenitudine similibus cassamus, tollimus et abrogamus, nulliusque roboris et momenti fuisse et esse decernimus et declaramus.

Praecipitur transmissio annualis sta-

§ 5. Praeterea volumus ac, sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro im-

tus missionum sub poenis arbitrio imponendis.

ponendis poenis, vicariis apostolicis praedictis iubemus et praecipimus, ut quisque, in anno, quolibet, relationem status suae respectivae missionis modo ad dilectum filium nostrum Andream Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Corsini nuncupatum, et deinde ad alium eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem pro tempore in eius locum a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus ad id designandum et deputandum transmittere omnino debeant, ut inde quid in earumdem missionum maiorem utilitatem et incrementum statuendum sit, matura deliberatione adhibita per nos et eosdem successores nostros praescribatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCLXXIII., pont. nostri an. V.

PIUS PAPA VI.

An. C. 1779

I.

Pro missionum regimine in Septemtrionali America confirmat, quae Innoc. XI. disposuit **(1).**

PIO PP. VI.
para futura memoria.

Por parte de nuestro muy amado en Christo hijo Cárlos, rey católico de España, nos ha expuesto, poco hace, el amado hijo y noble varon Jerónimo, duque de Grimaldi, su embajador cerca de nos y de ésta Santa Sede, que fr. Antonio de los Reyes, sacerdote religioso profeso de la Orden de Menores de San Francisco de la Observancia, misionero que ha sido, algun tiempo hace, en la América Septentrional, y que habiendo vuelto á España, ademas de otras cosas que ha expuesto en una representacion hecha por escrito, han sido los muchos y graves perjuicios, que sufren las misiones de California, Monterey, La Sonora, Pimeria alta y baja, Sinaloa, Nueva Cantabria, Parral, Chiguagua, Tarumara y el Nuevo Méjico; pues ademas de los religioses de la Orden de Predicadores, que se ocupan en las enunciadas misiones en California, todos los otros misioneros de la sobredicha Orden de San Francisco de la Observancia están sujetos á seis superiores de la misma Orden, que distan muchísimo unos de otros y de las provincias y misiones, en las cuales sus súbditos trabajan en la viña del Señor. De ésta diversidad de superiores y de la distancia de las residencias, se conoce que han acaecido algunos disturbios, repugnancia en obedecer los mandatos, imposibilidad de conocer, castigar y corregir los abusos de los misioneros en perjuicio de la religion y de los católicos, como asimismo perturbaciones molestas entre los mismos misioneros, originadas de emulaciones excitadas entre ellos, acerca del modo de regir las misiones y de administrar los Sacramentos, por la variedad y diversidad de opiniones de los prelados; de lo cual resulta que, aunque los misioneros profesan la misma Orden, con todo eso disientan y discorden entre sí, desviándose de las reglas de una verdadera hermandad, causando ruina y escándalo á los católicos y detrimento en la conversion de los infieles.

Con el mismo escándalo y detrimento son muy frecuentes las emulaciones entre los Párrocos seculares, por razon de de los emolumentos parroquiales, pues para conservarlos, proceden algunas veces con tanta violencia, defendiendo que les deben éstas obvenciones los Indios y gentes llamadas de razon, vagos ó forasteros, que siendo naturales de aquellas provincias, se pasan á vivir á los pueblos, en donde los misioneros administran los Sacramentos y dan el pasto espiritual graciosamente y sin llevar ningun estipendio, que se atreven muchas veces á vituperar é injuriar al misionero, que los admite en sus pueblos; y ademas de esto haciendo recursos á los Vicarios Episcopales, éstos expidiendo sus mandamientos sobre ello, envian ejecutores, los cuales á su arbitrio exigen los emolumentos contra la voluntad de los que los satisfacen: de lo cual resulta, que aquellas miseras gentes frecuentemente se vean precisadas, ó á pasarse de una á otra provincia, ó á huir á los montes, por no experimentar las opresiones de los ejecutores de la cobranza de las dichas obvenciones y emolumentos: por lo cual tambien acaece que las dichas gentes no tengan fija ni determinada residencia.

Y no son de menor, sino acaso de mayor consideracion, las causas, por las cuales los Indios aborrecen tambien los curatos espirituales y pueblos de sus misioneros; pues ejerciendo la *cura animarum* graciosamente y sin llevar ningun estipendio, sin embargo con el pretexto de construir ó adornar la Iglesia, ó de la incapacidad de los mismos Indios, de

(1) Originale huius const. non inveni; tamen ad *Iuris* complementum hanc traductionem excipio ex Ernaez, *Colleccion de Bullas* etc. vol. I., p. 684.

regirse ellos mismos en sus cosas económicas, los gravan con servidumbres personales y otras várias; por lo cual se sienten vivir sin libertad y despojar poco á poco de sus predios, casas y bienes propios.

Para evitar estos males, dispuso algunos estatutos saludables José de Galvez, visitador general que fué ántes de ahora de la Nueva España; pero apénas salió de aquella provincia, las cosas fueron á peor, de tal manera, que no pocos misioneros, horrorizados de tantas perturbaciones, tuvieron por conveniente dejar algunas misiones, en que se ocupaban, y volverse á sus propios colegios: en cuyas circunstancias era el único remedio de tantos males que, segun la forma de las constituciones apostólicas, promulgadas para los colegios de misioneros ***de Propaganda Fide***, erigidos ántes de ahora en la América Septentrional, y principalmente por el Papa Inocencio XI., de feliz memoria, predecesor nuestro, por sus letras expedidas en forma de breve, que empiezan ***Ecclesiae Catholicae*** (1), su data el dia XVI. de octubre de MDCLXXXVI., se formasen algunas, y várias custodias de religiosos Menores de San Francisco de de la Observancia, segun la necesidad del tiempo y de los lugares; cada una de las cuatro custodias se debe gobernar, en cuanto á la disciplina regular con su peculiar custodio, con independecia de los ministros de las provincias y de los guardianes de dichos colegios; y que éstas provincias y colegios estén obligados á suministrar el número de religiosos necesarios para ejercer las funciones; y que los tales religiosos luégo que hayan llegado á las respectivas misiones, á que fueren destinados, estén exentos desde allí adelante, de prestar obediencia á dichos sus prelados, ya sean ministros ó guardianes, y estén sometidos enteramente al custodio de aquel distrito, y que las sobredichas custodias se dividan y distribuyan en las enunciadas provincias y demas lugares ó territorios, en los cuales pareciere ser más conveniente para la conversion de los infieles, el aumento de la religion católica y conservacion de los mismos católicos en la santa religion.

Y para que todas las enunciadas custodias, que se erigieren, se instituyan y gobiernen con la rectitud que corresponde, se deberán hacer unos estatutos regulares conformes, en cuanto se pueda, á los estatutos y usos de los colegios instituidos para la propagacion de la fé, como está prescrito en las expresadas letras apostólicas del Papa Inocencio XI.; principalísimamente que los religiosos de las sobredichas custodias, como verdaderos misioneros apostólicos, puedan gozar de las mismas gracias y privilegios concedidas y concedidos por los Sumos Pontífices y los reyes católicos á los sobredichos colegios.

Pero por cuanto los custodios, que se constituyeren en el centro de dichas provincias, estarán tan distantes de sus súbditos, ocupados en las misiones en muchos y remotos parajes, que no puedan inquirir sus costumbres y el exacto ejercicio de las misiones é invigilar sobre uno y otro, se juzga ser conveniente y conducente que nombren superiores subalternos, que se hayan de llamar vicarios ó presidentes, siempre sujetos á dichos custodios, que puedan continuamente indagar todas las cosas, y habiéndolas indagado, dar parte de ellas al custodio propio: y por tanto en el lugar principal de cada provincia se debe constituir uno de éstos vicarios, al cual estén immediatamente sujetos los misioneros de su distrito; y así en cada custodia se deberá señalar el competente número de vicarios, cuyos oficios y los de los custodios hayan de durar por un trienio, el cual finalizado, los custodios y vicarios, congregándose capitularmente como vocales, deberán elegir otros por nuevos custodios y vicarios, segun las constituciones y estatutos de la Orden. Mas para la subsistencia de las enunciadas custodias y vicariatos parece necesario, que en el principal lugar, en donde se hubiere de colocar cada custodia, se instituya un hospicio ó una casa cómoda, para el cual ó la cual se destinen seis religiosos, ó tantos cuantos se puedan mantener con las limosnas, que den los fieles: y en el enunciado hospicio ó casa los custodios ó sus vicarios puedan dar el hábito á los que conocieren que tienen vocacion de Dios para esto, de suerte que á los ministros antiguos se subroguen otros nuevos y que sean operarios en erigir misiones en

(1) Vide *Iuris* vol. II., pag. 74.

adelante, y los ancianos y enfermos que no puedan ya soportar el trabajo y grave peso de las conversiones, tengan segura acogida en la casa del hospicio, en la cual acaben su vida. Y en el lugar principal, en donde el presidente ó vicario establezca su residencia, se podrá tambien instituir otra casa ú hospicio con tres ó los más religiosos que se puedan mantener cómodamente en ella, del modo aquí antecedentemente expresado, y para el mismo fin, pero sin que tenga facultad para dar el hábito ni admitir á hacer la profesion; pues ésta facultad ha de residir solo en el custodio, como superior.

Y habiendo entendido el dicho serenísimo rey, á consulta de su consejo de Indias, que la ereccion de las enunciadas custodias era el más eficaz y conducente remedio para cortar los males y aumentar la religion en las enunciadas provincias, nos hizo suplicar humildemente en su real nombre, que con la autoridad apostólica nos dignásemos erigir las dichas custodias de misioneros de la Orden de Menores de San Francisco de la Observancia, segun el modo y forma y en los lugares aquí antecedentemente expresados, y así erigidas franquearles todas las gracias y privilegios concedidos á los misioneros de los colegios *de Propaganda Fide*.

Y nos, que por razon del oficio del apostolado, que nos esté encargado, deseamos no solo abrazar ésta piedad del rey, príncipe religiosísimo y verdaderamente católico, sino fomentarla aún con todas las gracias y favores; recomendando encarecidamente en el Señor los dones liberalmente expedidos de su real erario, para erigir nuevos obispados y presidencias de misiones; visto el dictámen de nuestros venerables hermanos, los Cardenales de la santa Iglesia Romana, encargados de los negocios *de Propaganda Fide*, del cual nos dió cuenta el amado hijo Esteban Borja, secretario de la congregacion de dichos Cardenales, y con la plenitud de nuestra potestad apostólica, concedemos y damos facultad para que se hagan las erecciones de las custodias, que van dichas, segun parecieren necesarias y conducentes á dicho serenísimo rey en las mencionadas provincias de la América Septentrional, es á saber; de California, Monterey, la Sonora, Pimeria alta y baja, Sinaloa, Ostimuri, Nueva Cantabria, Parral, Chiguagua, Tarumara y el Nuevo Méjico; pero quedando salvos los derechos, así ordinarios como delegados, de los Obispos de Guadalajara, de Durango y de la Sonora, en el modo y forma, que van expresados aquí antecedentemente. Y á las enunciadas custodias así erigidas damos y concedemos todas las gracias y privilegios concedidos á los misioneros de los colegios instituidos para la propagacion de la fé.

Encargando al religioso varon, fr. Manuel de la Vega, comisario general de Indias, que disponga la forma del régimen de las tales custodias, y los estatutos que se deben observar en ellas, los cuales tengan su vigor hasta tanto que se celebre capitulo general de la expresada Orden, en el cual se deberán examinar y aprobar, quedando siempre salva la autoridad de la enunciada Congregacion *de Propaganda Fide*, para aumentarlos ó moderarlos en cuanto sea necesario y pareciere más conveniente en el Señor.

Y es nuestra voluntad, que así las sobredichas custodias, como los hospicios que se instituyeren en ellas, no estén sometidos á las órdenes de ninguna provincia, sino sujetos inmediatamente al superior general de aquellos parajes, en que estuvieren sitos. Concediendo al sobredicho serenisi morey y á sus sucesores para diputar las personas eclesiásticas, que les parecieren convenientes, que hagan llevar á efecto éstas nuestras letras; y determinando que, luégo que fuere erigida é instituida cada una de las sobredichas custodias por el enunciado rey, se haga saber al ministro general de la Orden, que en aquel tiempo fuere.

Declarando que las presentes letras sean y hayan de ser siempre firmes, válidas y eficaces, y surtan y produzcan sus plenos é integros efectos, y sufraguen plenisimamente en todo y por todo á aquellos, á quienes importa é importare de cualquier modo en lo sucesivo; y que así se deba sentenciar y determinar en lo que va expresado, por cualesquiera juces ordinarios y delegados, aunque sean auditores de las causas del palacio apostólico y Cardenales de la Santa Iglesia Romana, aunque sean Legados *a Latere* y Nuncios de la Sede Apostólica, y otros cualesquiera que tengan cualquiera autoridad y dignidad; y que sea nulo y de ningun va-

lor lo que de otra suerte aconteciere hacerse por atentado sobre esto, por alguno con cualquiera autoridad, sabiéndolo ó ignorándolo.

Sin que obsten las constituciones y disposiciones apostólicas, ni los estatutos y costumbres de dicha Orden, aunque estén corroborados con juramento, confirmacion apostólica ó con otra cualquier firmeza, ni los privilegios, indultos y letras apostólicas concedidos, confirmados é innovados de cualquier modo, en contrario de lo que va expresado.

Dado en Roma, en Santa Maria la Mayor, sellado con el sello del Pescador, el dia XVII. de noviembre de MDCCLXXIX., año quinto de nuestro pontificado.

II.

Dionysio Michaeli Giarve Patriarchae Antiocheno Syrorum electo Pallium concedit, ac formam iuramenti ab ipso in Pallii traditione praestandi mittit.

Venerabili fratri nostro Dionysio Michaeli Giarve Episcopo nuper Alepensi in Patriarcham Antiochenum Syrorum electo,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie Ecclesiae patriarchali Antiochenae Syrorum, certo tunc expresso modo, Pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio, duxerimus apostolica auctoritate providendum, praeficiendo te illi in Patriarcham et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae patriarchalis Antiochenae Syrorum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ac postmodum pallium, insigne videlicet potestatis plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuerit a nobis per dilectum Franciscum Riganti aulae nostrae consistorialis advocatum, cum ea qua decuit instantia, postulatum, nos, tuis supplicationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri Apostoli sumptum, per venerabiles fratres nostros Episcopos in illis partibus degentes tibi assignandum, per dilectum etiam filium venerabilem fratrem nostrum Ioannem Baptistam Miroudot Episcopum Ecclesiae Babylonensis duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel alter eorum illud sub forma infrascripta assignent vel assignet, et a te, nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub alia etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae, solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem eodem pallio, intra dictam patriarchalem Ecclesiam tuam, illi diebus dumtaxat uteris, qui expressi in eiusdem patriarchalis Ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera largitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem Ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Quocirca praefatis Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum pallium, iuxta eamdem subsequentem formam, tibi curent seu curet assignare, et a te, nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub reliqua forma fidelitatis debitae, solitum recipiant seu recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius destinare procurent seu procuret. Forma autem, qua praefati Episcopi in assignando tibi pallio utentur, haec est: « Ad honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et domini nostri domini Pii Papae Sexti, et Sanctae Romanae Ecclesiae, nec non patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Syrorum tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris infra tuam Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est: « Ego Dionysius Michael Giarve, nuper Episcopus Alepensis, in

Patriarcham Antiochenum Syrorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et domino nostro domino Pio Papae Sexto, suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuncios, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia Sancti Petri, adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione, Apostolorum limina singulis visitabo aut per me, aut per meum Nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice; et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium, ad ecclesias inferiores spectantium, de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimoquinto editam, servabo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicae MDCCLXXXIII., XVIII. kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno IX.

PIUS PAPA VII.

An. C. 1809

I.

Templo Hierosolymitano Resurrectionis Dominicae flammis consumpto, incolumi tamen inter flammas manente S. Sepulcro, excitat principem Brasiliae ut subsidium conferat ex regio aerario ad idem templum rursus extruendum (1).

Dilectissimo in Christo filio nostro Ioanni principi Brasiliae in Portugalliae et Algarbiorum regnis regenti,

PIUS PP. VII.

Dilectissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ceteras, quibus dies noctesque premimur, molestias atque animi aegritudines alia nunc accessit, quae ad nos perlata est per tristem nuncium, ex quo intelleximus antiquum et magnificum templum Resurrectionis Hierusalem, in quo Sepulcrum Domini nostri Iesu Christi claudebatur, incendio, sive incuria casuve, sive hominum malitia excitato, fuisse consumptum. Tecum ipse reputa, dilectissime in Christo fili noster, quo moerore lamentabilis hic eventus afficere debet animos omnium christianorum ac praesertim nostrum, qui singulari Dei beneficio cunctorum regimini praepositi sumus. In hoc tanto infortunio magnam tamen consolationem accepimus, cum novimus, sacrum Depositum, quamquam esset undique igne circumdatum, cum maxima omnium admiratione incolume fuisse servatum. Interim cum sine summo dolore cogitare nequeamus, quod tam insigne ac pretiosum redemptionis nostrae monumentum, quod semper fideles omnes singulari veneratione prosequuti sunt, cuius gratia sacras peregrinationes susceperunt, quod gravissimis impensis multoque effuso sanguine christiani principes defenderunt, quod semper sollicitudines et curas exercuit summorum Pontificum, nunc neglectum maneat ac temporum iniuriis obnoxium, non solum contribuere statuimus ad reaedificandum templum, quidquid tenues nostrae patiuntur vires, sed etiam excitare studia et pietatem tum venerabilium fratrum Episcoporum, tum omnium fidelium, ut piis largitionibus dent operam, ut tam sanctum opus perficiatur. Eoque magis, quia valde timendum est ne haeretici et schismatici, qui semper huius templi possessionem adipisci studuerunt, illud suis sumptibus reaedificare velint, ex eoque catholicos expellere, quod gravissimum nobis afferret dedecus et moerorem. Sed unde in primis opem expectare debemus, nisi eam postulamus ab iis, qui principes Ecclesiae filii sunt, atque a te speciatim, dilectissime in Christo fili noster, qui splendor et ornamentum Ecclesiae es, quique eximiae pietatis ac religionis tot praeclara dedisti argumenta? Te igitur rogamus per viscera misericordiae Dei nostri Iesu Christi, ut eius memoriam iustissimo officio atque munere prosequaris, dato scilicet ex regio aerario liberali subsidio pro reaedificando templo S. Sepulcri Redemptoris nostri, nimirum pro honore eius loci, ubi steterunt pedes eius. Sciunt omnes quae tua sit pietas studiumque religionis, et ideo dubitare non possumus, quin regias opes in hoc tam sanctum opus libentissime collaturus sis, non solum amplissimam ab auctore omnium bonorum Deo habiturus mercedem, sed etiam benemeriturus de omnibus christianis, qui hoc templum reaedificari vehementer cupiunt. Postremo tibi, dilectissime in Christo fili noster, benevolentiae nostrae pignus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. februarii MDCCCIX., pontif. nostri an. IX.

(1) Ex Reg. Vatic. fol. 146.

II.

Imperatorem Austriae rogat eodem in sensu.

Carissimo in Christo filio nostro Francisco Austriae imperatori, Hungariae regi Apostolico et Bohemiae regi illustri,

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Certiorem a Nuncio nostro ordinario factam credimus imperialem et regiam maiestatem tuam acerbissimae calamitatis, qua incendio consumptum est antiquum et magnificum templum Resurrectionis Hierusalem, in quo Sepulcrum D. N. Iesu Christi claudebatur. In hoc tamen gravissimo moerore nostro aliquod accepimus allevamentum, et simul affecti sumus motu animi dulci ac iucundo, cum intelleximus, sacrum depositum, licet undique flammis esset circumdatum, integrum atque incolume cum magna omnium admiratione fuisse servatum. Interim, cum sine summo dolore animadvertere nequeamus nunc neglectum iacere ac temporum iniuriis obnoxium tam pretiosum monumentum nostrae Redemptionis, quod fideles semper omnes singulari veneratione prosequuti sunt, cuius gratia sacras peregrinationes susceperunt, cui semper auxilio esse studuerunt christiani principes magno sumptu multoque effuso sanguine, quod semper summorum Pontificum praedecessorum nostrorum curas exercuit et sollicitudines, ad reaedificandum templum cogitationes et studia convertimus. Quod eo magis faciendum putavimus, quoniam valde metuendum est, ne haeretici et schismatici, qui omnem semper dederunt operam, ut hoc templum obtinerent, illud suo sumptu reaedificare velint, ex eoque catholicos expellere, quod non solum nobis, sed etiam catholico orbi universo, magnum afferret dedecus et moerorem. Hinc statim ac eius rei certiores facti sumus, a nobis iussus est noster Nuncius rogare te maiorem in modum, ut imperialem Internuncium tuum Constantinopolis omnem iubeas dare operam, ut summa ope tueatur causam catholicorum, curetque diligenter, ut facultas reaedificandi templi tantum concedatur Latinis seu Franchis, exclusis Graecis et Armenis, non solum quia Latini ab antiquissimo tempore, quod hominum memoriam superat, illud sine ulla controversia possident, sed etiam quia ita ferunt pacta conventa inter Carolum VI. praedecessorem tuum et imperium Othomanum in celebri tractatu Passarovitii. Egregia pietas studiumque praeclarum religionis tuum haud sane nos sinit dubitare, quin ea de re mandata iam dederis. Sed interim quomodo tam sumptuosum opus absolvetur? Tenuitas virium nostrarum in hoc rerum discrimine vix opem valde exiguam nos ferre permittit. Scripsimus ad venn. fratres Episcopos, ut in hoc tam sanctum opus aliquid conferant atque a populis sibi creditis conferendum curent, sed parum sperare possumus ob temporum difficultatem. Quorum igitur in hoc tanto negocio atque in his angustiis exorabimus opem et auxilium, nisi imploremus pietatem et religionem catholicorum principum atque in primis imperialis et regiae maiestatis tuae, quae tot exhibuit eiusdem pietatis et religionis praeclara argumenta, praesertim liberalissimis subsidiis nuper datis dilectis filiis religiosis viris Minoribus Reformatis Constantinopolis, et Capuccinis Georgiae, ac venn. fratribus Romaniae, Thraciae et maris Aegei? Itaque rogamus te per viscera misericordiae D. N. Iesu Christi, ut faveas adiutorque sis operi, quod eum spectat directo, atque hoc praestes obsequium iustum ac debitum memoriae Redemptoris nostri, collato ex imperiali aerario liberali subsidio pro reaedificando templo S. Sepulcri, scilicet pro honore loci *ubi steterunt pedes eius*. Si divina ope protegi omniaque in tuo imperio fausta ac prospera esse cupis, Dei honorem et gloriam tueri ac promovere debes. Certo scimus te nihil omissurum eorum, quae ad rem tantam pertinent, ac tibi persuasum sit, non modo te magnam a Deo mercedem esse consequuturum, sed etiam bene meriturum de omnibus christianis, qui huius sanctuarii restitutionem vehementer cupiunt, ac tibi, carissime in Christo fili noster, totique imperiali ac regiae domui intimo cordis affectu apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. martii MDCCCIX., pontificatus nostri anno IX.

III.

Abrogat innovationes inductas a Patriarcha Indiarum constitutionibus Puellarum Caritatis S. Vincentii a Paulo; illas tantum regulas observari iubet, quae a fundatore institutae fuerunt (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad futuram rei memoriam.

Ratio et tenor concessionis.

§ 1. Quae nobis gravissimi momenti rationes paucis abhinc mensibus universam puellarum societatem in Hispaniarum regnis existentem omnimode iurisdictioni vicarii generalis congregationis Sancti Vincentii a Paulo denuo subiicere impulerant, prout nostris decrevimus apostolicis literis datis nono halendas iulii vertentis anni, derogantes prioribus literis nostris sub datum septimo kalendas aprilis anno millesimo octingentesimo decimo sexto, eaedem suadent nobis in praesentiarum novas illas pro dictis puellis abrogare regulas, quas a venerabili fratre Francisco Antonio Patriarcha Indiarum propositas et huic Sanctae Sedi exhibitas, memoratis literis anni millesimi octingentesimi decimi sexti approbavimus. Votis igitur carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi

(1) Innovationes quas abrogat, anno anteriori approbaverat sequenti constitutione laudibus redolente pro vincentiana puellarum familia.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Misericordiae studium divini patris coelestis exemplo sanctissimisque Salvatoris nostri praeceptis tantopere commendatum veros Ecclesiae filios eo incendit igne caritatis, ut animam lubenter ponentes pro fratribus suis, cupientesque pro iis impendi ac superimpendi, plenitudinem legis, quae in dilectione est, probe assecuti dignoscantur. Hoc dilectionis spiritu renovatam contemplamur faciem terrae, quo nimirum eam humanae infirmitatis inter unius corporis membra communionem ex coelesti dispensatione nanciscuntur, ut ideo diversis homines conflictari molestiis infinita Dei iustitia permiserit, ut et miseros pro patientia et misericordes coronaret pro benevolentia. Dilectione hac, quae fortis ut mors est, exardescens sanctus Vincentius a Paulo, indutusque, sicut electi Dei, viscera misericordiae, curam aerumnosorum omnium, ac praecipue aegrotantium, suscepit impensissimam, eosque personam agere Christi considerans, omnibus officiis complecti, modis omnibus illos iuvare proprium sibi munus adscivit: quin etiam, cum videret nec ad omnes ubique in tribulatione positos, nec ultra praefinitum sibi vitae cursum operam studiumque suum posse protendere, coetum instituit puellarum, quas a caritate nominavit, quaeque levantes se supra se, et sexus imbecillitatem in prodigium caritatis et fortitudinis convertentes, ad iuvandos, alendos sustentandosque homines ope egentes se se mirifice devoverent. Collaetata est Ecclesia tantis ditata triumphis, totque inclytas filias gratulatur Sion post sancti patris vestigia currere viam caritatis, perennem ex suis virtutibus quasi cinnamomum aromatizans odoris suavitatem undequaque efferentes. Hoc plane novit carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus, et pro ea, qua praestat, religione ac singulari in salutem populi sibi concrediti sollicitudine, utilissimam hanc puellarum caritatis societatem, quam carissimus pariter in Christo filius noster Carolus ipsius parens augustus providentissime advocarat, e suo munere censuit vehementius promovere: datisque idcirco per dilectum filium equitem Antonium Vargas y Laguna suum apud nos et Apostolicam Sedem plenipotentiarum administrum enixis precibus a nobis efflagitavit, ut necessariam roboris ac firmitatis vim novo huic saluberrimo instituto iuxta constitutiones ex eius iussu a venerabili fratre Francisco Antonio Patriarcha Indiarum concinnatas, apostolica tribueremus benignitate. Superabundavimus gaudio perlegentes allatas preces, quibus adeo luculentum filialis in nos et Sanctam Sedem observantiae, devotionis ac fidei praebebatur testimonium; Deoque benediximus patri totius consolationis, qui dedit regi cor docile animumque excelsum et magnum ad faciendas iustificationes suas. Preces et constitutiones praedictae sunt sequentis tenoris, videlicet:

Beatissime Pater,

Ex quo, divina opitulante pietate... (*Reliqua vide apud Mainard* tom. VI., pag. 1228).

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis praeposita constit. approbavit.

§ 2. Hasce constitutiones, primum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae diligenter examinandas ac discutiendas commisimus, ac illas deinde nos ipsi mature consideravimus; cumque omnia in animarum bonum, in praeclariorum virtutum exercitium, in rectum denique huiusmodi societatis regimen mirifice conspirare deprehenderimus, praelaudati Ferdinandi regis catholici votis libenter annuimus, opportunam exhibitam nobis fuisse occasionem gratulantes, qua possimus aliquo facto gratificari eidem regi, a cuius eximia religione praeclarissimisque animi virtutibus laeta nobis, laeta Ecclesiae, laeta Sedi Apostolicae semper obventura confidimus.

Confirmatio apostolica.

§ 3. De consilio itaque praedictorum fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine supra memoratas constitutiones typis deinde imprimendas et publicandas tenore praesentium nostrarum literarum expresse approbamus. et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet forsan irrepserint, supplemus, eosque ab omnibus et singulis, quae eidem societati nomen dederint, nunc et in posterum inviolabiliter ac perpetuo observari praecipimus et mandamus. Omnipotentem autem oramus Deum, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, pientissimi adsit catholici regis curis et studiis, eumque, ut Gregorii Magni ad Gennadium verbis utamur, pro solatio sanctae reipublicae misericorditer protegat, et ad dilatandum per finitimas gentes nomen eius magis magisque brachii sui firmitate confortet.

Hispaniarum regis catholici ad nos delatis per dilectum filium equitem Antonium de Vargas y Laguna, eius apud nos et Apostolicam Sedem ministrum plenipotentiarium, diligenter perpensis, cognitaque utilitate et observantia unius eiusdemque statutorum generis in eamdem societatem promanatura etiam favori pauperum et infirmorum, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine antedictas peculiares regulas cassantes atque annullantes, decernimus atque mandamus, ut in Matritensi novitiatu inque aliis omnibus societatis puellarum caritatis domibus, ubicumque locorum in laudati catholici regis dominio existentibus, illa tantum regula ab omnibus et singulis nunc et imposterum observari perpetuo debeat, quae a Sancto Vincentio a Paulo fundatore fuerat instituta, quaeque in Hispaniarum regnis ad nostra usque tempora retenta fuit, nihil in ea circa dictae societatis regimen innovantes.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes auditi non fuerint, et iisdem praemissis non consenserit, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, vel quovis alio etiam substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari posse, sed eas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus supramemoratis nostris literis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque congregationis ac societatis etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus in contrarium praemissorum forsan facientibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum cassationis, annullationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarn. Dominicae MDCCCXVIII., v. kalendas dec., pont. nostri anno XIX.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod aliqui in praemissis, vel eorum quipiam, interesse habentes aut habere praetendentes, ad hoc vocati vel auditi non fuerint, aut ex quibusvis causis de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari vel impugnari, aut alias infringi vel quomodolibet retractari, suspendi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse; easque sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine, aut alias et quibusvis de causis etiam pro tempore factis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac praedictae societati, cuius favorem concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere; sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contigerit attentari, irritum quoque et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis ecclesiis, etiam metropolitanis, personis et locis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros vel alios quoscumque et quacumque dignitate et auctoritate fulgentes, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis et perpetuae firmitatis praemissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae approbationis, confirmationis, roboris adiectionis, praecepti, mandati, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCCXVII., kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XVII.

LEO PAPA XII. (1)

An. C. 1825

I.

Ut nova ex ruinis basilica Doctoris gentium exurgat, auxilium christifidelium postulat.

Venn. fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

LEO PP. XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad plurimas easque gravissimas, quibus memorabilis gloriosissimi Praedecessoris nostri pontificatus afflictus est, calamitates, summo cum dolore huius urbis gentiumque omnium catholicarum ad extremum, veluti cumulus, teterrimum accessit infortunium, quo aedes vetustissima, pretii, amplitudinis, artis miraculum, honori dedicata Apostoli doctoris gentium, insigne monumentum pietatis et magnificentiae Constantini Magni, a quo primum fuerat extructa, Valentiniani, Theodosii, Arcadii, et Honorii Imperatorum, a quibus novo opere fuit refecta et exornata, Romanorum Pontificum, quorum cura restaurata subinde fuit, subito uno incendio paucis horis nocturnis conflagravit. Idem ipse praedecessor noster pietatem suam in Sanctum Apostolum illustraverat, necessariis templi illius reparationibus imperatis; quibus vix dum magno sumptu absolutis, paene omnia incredibilis flammarum vis absumpsit, et alius paucis post diebus nobis et Ecclesiae universae acerbissimus superadditus est dolor, morte ipsius Pontificis consequuta. Eius porro in locum, meritis licet imparibus, nos, Deo sic volente, suffecti, tristissimam tanto spoliatae ornamento Urbis dolentes vicem, et occulta divinae providentiae consilia venerantes, inter gravissimas ministerii nostri curas animum ad ruinas illas convertimus, omniaque advocavimus artis et industriae subsidia, ut quidquid reliquum ignis fecisset aedificii, quibuscumque fieri posset partibus fulciretur. Sperabamus enim nos illud quoque sedulitate nostra consequuturos, ut proximo anno sacro aurea basilicae illius porta recludi de more posset, quod causa fuit, cur in litteris nostris, quibus universale indiximus iubilaeum, una cum patriarchalibus basilicis indulgentiae promerendae causa adeundis Ostiensem quoque nominaverimus. Verum tam multae tamque graves novae prioribus in dies accesserunt ruinae, ut cognitum plane fuerit fieri omnino sine magno periculo non posse quod optabamus, ut saltem sacris iubilaei ritibus peragendis quoquo modo pararetur. Quare de sententia decedendum fuit, cogitandumque de nova fere ab integro aedificatione. Obstabat quidem angustia fortunarum nostrarum, quod sane mirum nemini videatur post tot tantaque rei huius publicae detrimenta; sed tamen non despondimus animum opusque suscepimus, minime dubitantes, quin fideles non modo probaturi essent consilium nostrum, sed adiutores etiam ad illud perficiendum, aere pro sua cuiusque facultate collato, certatim futuri.

Quis enim non pro viribus conetur votis ea in re nostris obsecundare, qui modo consideret Nos de viri illius gloria cultuque laborare, de quo Christus ipse: ***Vas,*** inquit, ***electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus;*** qui ex eo tempore divinae vi incensus caritatis ***omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret,*** tot regiones per asperrima itinera obivit, periculis omnibus terra marique se obiecit, egestatem, vigilias, inediam, naufragia, plagas, lapides, proditiones, aerumnasque omnis generis invicto animo pertulit, ut, repugnante licet modestia sua, instinctu divini spiritus dicere coactus sit, ***se abundantius omnibus*** Christi discipulis ***laborasse;*** qui denique vitam cum sanguine profundens, quam sermone et exemplo docuerat, veritatem

(1) Hic Pontifex constitut. *Petrus apostolorum* patriarchatum Coptorum Alexandriae reintegravit (v. *Ius Pont.* vol. IV., p. 649); verum nullam habuit ista const. executionem; vide tamen Leonis XIII. constitutionem *Christi Domini* datam VI. kal. decembris MDCCCXCV.

insigni martyrio confirmavit, ita ut vere dici possit eius potissimum opera maiores nostros fuisse vocatos a Christo *de tenebris in admirabile lumen suum?* Spirat vero adhuc vivitque in epistolis suis, quae, ut desint cetera, vel solae valeant ad persuadendum hominibus Evangelium; adeo *vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus* se in illis prodit sermo Dei. Tantum igitur cum illi debeamus, ut nihil supra possit, quisquamne adeo ingratus reperiatur, quin suum esse ducat ad eius honorem quidquid potest conferre?

Apostolum vero huiusmodi tanto Christi amore flagrantem, tot tantisque pro eo tantoque cum fructu perfunctum laboribus, quantum patrocinio valere apud Deum existimabimus, aut quanto omnium honore ac veneratione dignum esse? Sedet is proximus summo illi Principi, cui datae sunt claves regni caelorum, deprecator nunc pro Ecclesia apud Deum, iudicaturus cum Christo in fine mundi *duodecim tribus Israel;* et quemadmodum gemini illius Ecclesiae luminis inter eos, qui *primitias Spiritus* habuerunt, primae sunt sedes in coelo, ita primi semper utrique tributi sunt honores in terris, ea ratione suum cuique praemii gradum reddente Deo, ut, quorum fuerit studium propagandae divinae gloriae praecipuum, in iis praecipuo item modo divinum illud impleatur oraculum *quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Hinc factum est, ut, praedecessoribus nostris Bonifacio Nono, Martino Quinto, Eugenio Quarto adhortantibus, ad utriusque basilicas restaurandas cives exterique largissime contulerint: hinc templum Vaticanum orbis terrae amplissimum ac magnificentissimum, ad opes Iulii Secundi et successorum eius donariis ultro oblatis accedentibus, aedificatum est: atque hinc pari modo futurum confidimus, ut pios se praebeant ac liberales quicumque ubique sunt Christo et Sanctae huic Sedi fideles, dum Pauli nomine quaerimus tenuitati nostrae subsidium. Quod eo vel magis nunc sperandum nobis est a fideli populo, cum, Deo ipso duce, hanc asserendae gloriae Apostoli mentem voluntatemque suscepisse videri iure optimo debeamus; siquidem inter immensos collapsae integrae contignationis ardores, inter ipsas in calcem redactas solido e marmore columnas, tamquam tres illi adolescentes Babylone in fornace ignis ardentis incolumes, integrum Apostoli eiusdem sepulcrum servatum est.

Surget igitur eodem in solo non inde procul, ubi vitam dedit pro Christo, surget iterum Petri meritorum et gloriae consorti Paulo templum, etsi columnis illis carens monumentisque pretium omne excedentibus, quam pro copia fieri poterit, magnificum; et honor sepulcro illi debitus habebitur, cuius in primis venerandi causa optare se dixit magnus ille Chrysostomus Romam videre; ad quod, eodem teste, *Imperatores accurrebant, Consules, exercituum Duces;* denique ad quod, tamquam ad perennem quemdam fontem coelestis beneficentiae, omnis generis atque ordinis homines longinquis etiam susceptis peregrinationibus convenire numquam destiterunt.

Utinam, venerabiles fratres, Chrysostomi eiusdem vis nobis suppeteret, et copia dicendi, ut, quo ille modo de Pauli meritis locutus est, eodem et nos ad excitandos fidelium animos loqui possemus. Eius vos induti spiritu ex mirificis ipsius sermonibus aptissima quaeque haurietis argumenta, quibus commissi vestrae curae fideles, religione atque amore Apostoli gentium, hoc est eorum ipsorum, inflammentur, quo fiat, ut iuvare conatus nostros omni ope connitantur. Quod Paulum ipsum fecisse scimus pro fidelibus, id ne vos pigeat pro Paulo ipso facere. Ille collegit undique eleemosynas easque contulit Hierosolymam corporali fidelium inopiae sublevandae; vos eleemosynas colligetis, quibus spirituali eorumdem indigentiae eius ipsius apud Deum patrocinio subveniatur. Uno verbo, vos constituimus tam religiosi operis administros. Quidquid a pia fidelium largitate corrogaveritis, ad nos mittendum curabitis. Ea fiducia vestrae pietatis ac studii ad vos scribimus, ut spes etiam nobis sit superatum iri per vos expectationem desiderii nostri, imo non defuturos qui exemplum imitentur viduae illius felicissimae, quae eximia Christi Domini laude dignata est, propterea quod cum esset pauper, *de penuria sua plus omnibus misit in gazophylacium, qui ex eo miserunt quod illis abundabat;* atque inde fore, ut nova ex ruinis basilica ea magnitudine cultuque resurgat, quem Doctoris gentium nomen ac cineres postulant. Hac spe dum consolamur dolorem nostrum, salutaria omnia vobis adprecan-

tes, venerabiles fratres, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXV. ianuarii MDCCCXXV., pontificatus nostri anno II.

II.

Gratum se exhibet duci Anhaltino, quod paroeciae catholicae erectionem permiserit, eique significat, se praecipere Vicario Apostolico Dresdae ut eam erigat et parochum ipsi duci acceptum deputet, insuper se donaturam novae ecclesiae tabulam Virginis imaginem referentem, a qua nomen ecclesia desumat (1).

Celsissimo principi Leopoldo Friderico duci de Anhalt,

LEO PP. XII.

Celsissime princeps, salutem et apostolicam benedictionem.

Satis explicare non possumus, quam tibi, celsissime princeps, grati simus, quod catholicam paroeciam in ditione tua institui libenter annueris. Ex hoc eventu sicuti nos, quos totius dominici gregis bono prospicere oportet, consolationem cepimus non mediocrem, ita sapientiae tuae multa certe laus accessit. Huic autem erga catholicos favori tuo gratias referre cupimus, oblatas perinde a celsitudine tua id praestandi occasiones avide

---

(1) Gratulatur duci Anhaltino quod fidei suae professionem publicam fecerit, atque ita bonum etiam semen inter suos fuderit; loquitur etiam de munusculis quae ad eum mittit.

Dilectissimo in Christo filio nostro Ferdinando duci de Anhalt,

LEO PAPA XII.

Dilectissime fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Magna cum animi nostri voluptate literas legimus die XVI. superioris mensis a celsitudine tua ad nos datas, quibus intelleximus, te cum praestantissima ducissa coniuge tua, eiurato palam Protestantismo, publicam et authenticam Religionis catholicae professionem edidisse. Vix accepto huiusmodi nuncio, procubuimus ante Dominum et uberrimas ipsi gratias toto corde persolvimus. Explicato autem per te Religionis catholicae vexillo, sperandum est, multos tuo exemplo permotos illud sequuturos, Ecclesiaeque catholicae, filios ad se revertentes amantissime suscipientis, faciem fore istic in dies laetiorem. Duplicem inde mercedem lucratus a divino Redemptore fueris. Nam praeterquamquod eum coram hominibus confessus es, bonum quoque semen in ipsius agro seminasti. Interim ut maximae, qua nos perfudisti, consolationis pollicitum pignus a nobis habeas, tabulam ab egregio artifice depictam, et sacras reliquias theca affabre elaboratas inclusas, duas quoque precatorias coronas ad te mittimus, quarum unam tibi servabis, alteram lectissimae coniugi trades, ut et ipsa suis in precibus auxilium de Sancto nobis imploret. Volumus autem ut haec munuscula, quae dilectus filius Ernst Platnes regis Saxoniae negotiorum apud nos gestor ad vos perferenda curabit, habeatis tamquam effusissimae illius caritatis indicia, qua vos in Domino prosequimur, et qua benedictionem apostolicam utrique vestrum impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. februarii MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

Effuse gratulatur duci Anhaltino de eiurata haeresi, eumque in fide confirmans promittit petitam precatoriam coronam.

Dilectissimo in Christo filio nostro Ferdinando duci de Anhalt,

LEO PAPA XII.

Dilectissime fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Vix lacrymas prae consolatione continuimus, cum celsitudinis tuae litteras labente octobri ad nos datas legeremus. Iisdem enim nobis nunciasti, simul ac, eiuratis apud ven. fratrem Archiepiscopum Parisiensem erroribus, in catholicae ecclesiae sinum receptus es, omnes difficultatum, quae in tua mente adhuc supererant, nebulas penitus evanuisse, teque perfecta illa et iucundissima nunc pace frui, quam catholica Religio cultorum suorum, si fortasse deest, animo infundere solet. Dictis hisce tuis intime commoti, oculos in coelum sustulimus et Patri misericordiarum, qui te vocavit in admirabile lumen suum, benedicentes, gratias ipsi pro tanto beneficio in te conlato, quanta potuimus devotione persolvimus. Nos quidem iter ad assequenda, quae adeptus es, bona tibi explanavimus. At neque *qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ipsi ergo unice debes, quod te, e protestantismi tenebris erutum, ad catholicae Ecclesiae, extra quam non est salus, vitalem lucem traduxerat. Perennes itaque maximaeque gratiae Deo, felicitatis, qua nunc gaudes, et aeternae, quam anhelas, datori, tibi agendae habendaeque sunt. Ages autem habebisque gratissimas in sancto, quod suscepisti, proposito constanter manens moresque tuos ad divinarum et catholicarum legum normam conformans, quod utrumque diligenter a te factum iri pro certo habemus. Ad concessiones autem nostras et publicam catholicae Religionis professionem quod attinet, prudentiae tuae erit opportunitatem nancisci, qua et illis uti et hanc edere sine ulla offensione possis. Sanctorum vero reliquias et quam petis precatoriam coronam, libentissime ad te mittemus una cum Beatissimae Virginis imagine, quae in catholica Ecclesia nuper istic erecta collocanda erit. Si quid est aliud, in quo tibi commodare possimus, id libere significandum a te nobis est. Omnia enim a summa caritate in te nostra expectare debes, dilectissime in Christo fili noster, quem paterne complectimur et cui benedictionem apostolicam amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII. decembris MDCCCXXV., pontificatus nostri anno III.

suscipiemus. Interim Apostolico, qui Dresdae est, Vicario nostro praecipimus, ut memoratam paroeciam quantocius institui curet et parochum ad eam regendam nominet celsitudini tuae plane acceptum. Ad novam vero ecclesiam aliquo paternae caritatis nostrae testimonio donandam, tabulam mittemus, quae SSmae Virginis imaginem referat, ex cuius insigniori aliqua praerogativa nomen suum eadem ecclesia mutuabitur. In eam quoties catholici tibi subditi convenient, beneficii tui memores fervidas ad Patrem coelestem pro incolumitate tua preces effundent, quibus nostras adiungemus, datori bonorum omnium supplicantes, ut celsitudinem tuam omni felicitatis genere fortunet perfectaque nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII. oct. MDCCCXXV., pontificatus nostri anno III.

III.

Cardinalem Bertapolium, Collegii, Hibernorum protectorem, eadem protectione pro ecclesiis et missionibus exornat (1).

Venn. fratribus Patricio Armachano, Roberto Casseliensi, Danieli Dublinensi et Oliverio Tuamensi (Archiepp. Hiberniae),

LEO PP. XII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Addictum personae humilitatis nostrae Sanctaeque Sedi Apostolicae animum vestrum, ut iam literae confirmaverant fraternitatum vestrarum datae die XXVII. iunii anni proximi, quibus gratum habuisse significabatis concessum a nobis in alma Urbe aedificium collegio iuvenum Hibernorum, ita recentes confirmarunt datae die X. februarii huius anni, quibus vestro et suffraganeorum vestrorum nomine profitemini summa cum grati animi laetitia acceptum istic fuisse ab omnibus, quem eidem collegio praefecimus protectorem dil. fil. nostrum Franciscum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bertapolium, eumdemque studiis totius Praesulum coetus expetitum vestro eiusdemque coetus nomine a nobis supplices quaeritis, ut ecclesiarum quoque ac missionum Hiberniae protectorem renuntiemus. Virum certe quidam optastis insigni doctrina eximiaque virtute probatissimum, cui proinde res vestras aptissime commendatas iure optimo ducimus. Itaque protectorem eum ecclesiarum ac missionum earumdem constituimus, quemadmodum literis ad ipsum nostris declaramus, quarum exemplum huic epistolae annectimus, idque non minus libenter fecimus, quam antea eumdem collegii protectorem constitueramus. Sollicitudini vestrae pastorali curis eius adiunctis, super omnia vero divina freti benignitate, fausta omnia ac salutaria regno isti futura confidimus: quod quanta possumus animi contentione Deum luminum Patrem et misericordiarum obsecrantes, apostolicam benedictionem vobis, ven. fratres, et creditis curae vestrae gregibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die VII. aprilis MDCCCXXVII., pontificatus nostri anno IV.

IV.

Magnificans insigne donum a duce Mutinae S. Congregationi factum ad promovendas missiones, ei gratias agit, percepturo ceteroquin non exiguum emolumentum ex precibus fidelium, quorum bono donum eius cedere debet (2).

Dilectissimo in Christo filio nostro Francisco Estensi archiduci Austriae, duci Mutinae,

LEO PP. XII.

Dilectissime fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Eximium imperialis celsitudo tua religionis et pietatis tuae documentum nobis exhibuit insigni dono, quo nostrum de Progaganda Fide institutum nuper locupletavit. Quam gratis et quam amantibus animum nostrum sensibus liberalitas haec tua perfuderit, non est cur tibi, dilectissime in Christo fili noster, explicemus. Iamdiu est enim quod flagrantissimae in

---

(1) Ex Reg. Epist. Lat. — (2) Ex Reg. Epist. ad Princ. viros etc.

te caritatis nostrae vim et magnitudinem nosti. Dum vero maximas de huiusmodi munificentia gratias tibi persolvimus, illud etiam cogites et persuasum habeas optamus, remotissimarum regionum catholicos, ad quorum religionem fovendam et amplificandam collatae a te opes erogabuntur, cum pro suis benefactoribus orabunt, pro te quoque divinam posthac bonitatem imploraturos. Itaque in oris etiam terrarum ultimis erunt, qui pro temporali aeternaque salute tua suas ad Deum preces effundant. Unum hoc est e saluberrimis emolumentis, quae tua recens donatio tibi comparavit; quam, ut pleniorem redderes et praestantiorem efficeres, constituisti ut eiusdem donationis fructum memoratum institutum percipere incipiat ab eo tempore, quo piissimi operis captum a te consilium nobis primum nunciasti. Utinam et alii catholici principes ingentium damnorum, quibus ecclesiasticae res iniuria temporum afflictae sunt, memores, ad illa pro viribus sarcienda tuo exemplo, ut speramus, excitentur. Magnum donationi tuae pondus magnaque nomini tuo laus inde adiungeretur, dilectissime in Christo fili noster, cui benedictionem apostolicam cum imperiali familia universa communicandam amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. ianuarii MDCCCXXVIII., pontif. nostri an. VI.

PIUS PAPA VIII.

An. C. 1829

I.

Facultatem concedit extruendi sacella privata in aedibus in quibus degunt consules regis Sardiniae missi ad Orientis plagas.

PIUS PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Eximia in Deum pietas ac observantia in hanc Apostolicam Sedem aliaeque virtutes, quae carissimum in Christo filium nostrum Carolum Felicem Sardiniae regem quam optime ornant, nos profecto adducunt, ut eius votis pro viribus annuamus. Id autem eo libentius fieri posse ducimus, quum huiusmodi vota eo praecipue spectare novimus, ut catholicae religionis fovendae studium magis magisque vigeat non solum in ditionibus suo imperio subditis, verum etiam in disiunctissimis locis multigena errorum tabe misere infectis.

Expositio precum.

§ 2. Eius enim nomine a nobis demissa prece petitum fuit, ut in aedibus in quibus degunt consules ab eo missi ad Orientis plagas, sacellum possit constitui ibique sacrum peragi, quod ad praecepti satisfactionem suffragetur tum ipsis, tum familiaribus aliisque omnibus, qui eidem sacrificio interfuerunt.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur Christifidelium pietati consulere cupientes, ne in barbaris terris mystico sacrificio, quo Deo patri reconciliati sumus, omnino careant, itemque rem gratam atque iucundam pientissimo regi facere volentes, auctoritate nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut in aedibus consulum Sardiniae regis ad Orientem sacellum possit constitui decenter auro extructum et ornatum a domesticis usibus liberum ab apostolico delegato seu ab alio ad sui arbitrium adlegendo prius visitandum et approbandum, illudque vel Deiparae Virgini vel aliis coelitibus, dumtaxat iis, quos Ecclesia universa sanctorum titulo veneratur, dicandum, quod tamen minime impediet, quominus eodem in sacello praeter tabulam principem super altare positam alia minor imaginem b. Amadaei efficta addatur. Eadem praeterea auctoritate nostra apostolica facultatem facimus, qua hoc in sacello, sartis tectisque parochialibus iuribus omnique adhibita cura, nequid in sacrificii contemptum ab heterodoxis perpetretur, semel in dies etiam per annum solemniores per quemcumque presbyterum rite probatum divina hostia libere ac licite possit immolari, quibus quidem sacris quum quilibet catholicae religioni addictus, pietate illa qua decet, intersit, ecclesiastico praecepto paruisse ducatur. Demum ut Sardiniae subditi in exteris quoque regionibus peculiari cultu b. Amadaeum prosequantur, de benignitate nostra indulgemus, ut quemadmodnm in Sardiniae regis ditionibus, ita in sacellis de quibus agitur vel harum literarum vi erigendis vel iam legitime erectis, officium et missa ipsius beati fieri liceat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Haec volumus atque mandamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. sept. MDCCCXXIX., pontif. nostri anno I.

II.

Episcopo Ratisbonensi admittendi tam regias quam capitulorum nominationes, nominatisque donandi canonicam institutionem, facultatem concedit.

Venerabili fratri Carolo Archiepiscopo Tyri apud regem Bavariae nostro et Apostolicae Sedis nuntio,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Quum, sicut nobis expositum est, fel. rec. Leo PP. XII. decessor noster preces clarae memoriae Maximiliani Iosephi

Bavariae, dum viveret, regis, benigne excipiens ac spe fretus, fore ut pactiones cum Apostolica hac Sede de ecclesiasticis rebus initae absolute ac religiose ab eo adimplerentur, suis apostolicis in simili forma brevi, die decima nona decembris anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto, datis literis, benigne indulserit, ut Bavarici regni Archiepiscopi et Episcopi tunc existentes, per integrum eorum vitae cursum, tum regias, tum capitulorum nominationes, vi apostolici indulti anni millesimi octingentesimi decimi septimi factas, ad ecclesiastica beneficia, de quibus ibidem est mentio, canonica institutione donare possent; quumque venerabilis frater Ioannes Michael Episcopus Ratisbonensis suppliciter a nobis petierit, ut eamdem facultatem, qua eius decessor b. m. Ioannes Nepomucenus Episcopus Ratisbonensis, vi apostolici praefati indulti, ad vitam frui potuit, benigne ei tribuamus, haud gravate inducimur, ut eius precibus obsecundemus.

Tenor concessionis.

§ 2. Quapropter, tibi, venerabilis frater, facultatem facimus et impertimur, ut nostra auctoritate ac nomine oratori Episcopo Ratisbonensi apostolicum indultum tribuas, cuius praesidio, quoad vixerit, tum regias tum capitulorum nominationes praefatas admittere illi liceat iuxta ea, quae articulo decimo conventionis die quinta iunii anni millesimi octingentesimi decimi septimi initae sancita sunt, ac nominatos canonica institutione donare.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, et Pii VII. praedecessoris item nostri memoratis apostolicis literis datis pridie idus novembris anni millesimi octingentesimi decimi octavi, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. octobris MDCCCXXIX., pontif. nostri anno I.

III.

Rogat ut suis officiis tranquillitatem Armenis ceterisque catholicis a Turcarum imperatore obtineat (1).

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi christianissimo,

PIUS PP. VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Perpetuus christianissimorum regum maiorum tuorum mos fuit catholicis Turcarum imperio subiectis patrocinari, eosque a calamitatibus, quas perferrent aut sibi paratas scirent, eruere vel praeservare. Quocirca simul ac Leo XII. fel. rec. praedecessor noster commotam illic adversus catholicos dolo malo schismaticorum persecutionem novit, christianissimae maiestati tuae opem e vestigio imploravit, enixeque petiit, ut catholicis, praesertim vero Armenis, immani barbarie Constantinopoli vexatis adesset, et qua pollebat apud Othomanum imperatorem auctoritate et gratia, tantae ac tam saevae crudelitatis cessationem impetraret. Cum vero persecutionis, de qua agitur, aestus nihil aut parum deferbuerit, novis te precibus, charissime in Christo fili noster, sollicitandum duximus, ut opportunis et validissimis officiis tuis pristinam miseris illis catholicis tranquillitatem restitui cures, quo religionis, quam profitentur, cultui libere ac sine molestia vacare possent.

Hoc autem bono Graecos quoque catholicos frui cum aequissimum sit, christianissimam idcirco maiestatem tuam etiam atque etiam rogamus, ut, si nova regiminis forma in Graeciam introducatur, civica ibi libertate liberoque religionis exercitio Graecos quoque catholicos donari contendat et velit.

Ad Armenos vero reliquosque catholicos turcico imperio subditos quod attinet, facile ab othomano imperatore quod petimus obtinebis, si eidem persuaseris non ipsi cum Patriarcha schismatico catholicis infensissimo, sed cum eo qui catholicis Constantinopoli praeest, de rebus ad catholicos pertinentibus agendum esse. Oblatam hanc de catholicis omnibus, nominatim Armenis, inter Turcas degentibus bene merendi occasionem te pro tua pietate tuoque religionis ubique servandae tuendaeque zelo alacriter suscepturum additurumque hoc modo novam nec ulla oblivione delendam nomini tuo gloriam

(1) Ex Reg. Epist. ad Principes etc.

plane confidimus, dum christianissimae maiestati tuae benedictionem apostolicam cum regia familia universa communicandam amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. iulii MDCCCXXIX., pontificatus nostri an. I.

IV.

De eadem persecutione impedienda rogat (1).

Charissimo in Christo filio nostro Francisco Austriae imperatori, Hungariae regi apostolico, et Bohemiae regi illustri,

PIUS PP. VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Afflictas Constantinopoli catholicorum res eorumque fidem saeviori persecutione tentatam cum cognovisset Leo XII. glor. mem. praedecessor noster, implorata continuo pro miseris illis Dei opt. max. misericordia, subinde convertit se ad caesaream maiestatem tuam, literisque anno superiore die XI. martii datis tuam pro iisdem opem ac patrocinium exposcere festinavit. Nos ergo, cum probe sciamus huic nostri praedecessoris desiderio tuam non defuisse operam, et scilicet te, charissime in Christo fili noster, non destitisse a vexatis catholicis per internuncium praesertim tuum Constantinopoli residentem opportuno quovis auxilio fovendis, maximas nos etiam gratias tibi agimus et habemus. Nec sane dubitamus, quin pro eo quo ferves protegendae religionis ardore, illud ipsum maiori admodum studio ad praesens acturus sis, cum videlicet inter Turcarum dominatorem et praecipuos Europae principes novae de gravissimis rebus tractationes Constantinopoli instituendae sunt, in quibus orator seu internuncius maiestatis tuae idoneas certe inveniet occasiones, ut iura catholicorum asserat, eorumque causam, tuo nimirum nomine et auctoritate interposita, tueatur. Sed ea, qua premimur, sollicitudo omnium Ecclesiarum urget nos, ut in hac ipsa temporis opportunitate impense iterum a maiestate tua flagitamus, ut, quod pro tua eximia pietate ultro facturus fuisses, id intuitu etiam novae huiu commendationis nostrae alacrius validiusque praestes. Hac profecto, quam imploramus, ope tutelaque tua digni in primis sunt catholici Armeni, qui in novissimis Orientis turbis vehementiore quam ceteri persecutione agitati praeclarissimum, toto spectante orbe, praebuerunt christianae fortitudinis exemplum. Novit autem maiestas tua, Armenos ipsos ideo potissimum fuisse vexatos, quod Turcarum dominator, fraude schismaticorum incitatus, Armenum Patriarcham schismaticum pro unico cunctorum Armenorum Antistite agnoscat. Quare ab imperiali maiestate tua omni opere curandum censemus, ut dominator idem ab eo demum consilio desistat, ac de rebus ad catholicos Armenos pertinentibus non iam cum schismatico Patriarcha catholicis ipsis infenso, sed cum eo agat qui catholicis Armenis Constantinopoli praeest. At vero non Armenos solum, sed reliquos etiam tum Constantinopolitanae urbis tum aliarum orientalium regionum catholicos, illos etiam qui in locis degant graecae dominationi subiectis vel subiiciendis, apostolica, ut debemus, sollicitudine nostra complectimur; atque idcirco eos omnes potentissimo maiestatis tuae patrocinio commendamus. Nostra nempe vota eo tendunt, ut in tuto ibi ponatur liberum prorsus catholicae Religionis exercitium, et nemo in posterum vexari, seu aliquo suorum temporalium iurium detrimento affici propterea possit, quod catholicam profiteri fidem et sanctissima Dei Ecclesiaeque praecepta custodire velit. Insignis, charissime in Christo fili noster, pietas tua et fervens ille, quo religionem prosequeris, amor certam in spem nos adducunt, commendationes has nostras maximum pondus habituras apud caesaream maiestatem tuam, cui benedictionem apostolicam cum perpetuae felicitatis tuae voto coniunctam et cum imperiali familia tua universa communicandam, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. iulii MDCCCXXIX., pontificatus nostri an. I.

---

(1) Ex eodem Reg. Epist.

GREGORIUS PAPA XVI.

I.

Nova erectio archiepiscopatus Goritien.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Insuper eminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, illa quoque nobis incumbit cura, ut cathedralis ecclesiae a praedecessoribus nostris iam antea in metropolitanas erectae, ac progressu temporum metropolitico iure iam destitutae, catholicorum principum postulationibus annuendo, ad metropolitanarum ecclesiarum gradum et honorem denuo ab Apostolica Sede extollantur.

§ 1. Posteaquam fel. record. Benedictus Decimusquartus, praedecessor noster, cathedralem ecclesiam Goritiensem ad gradum sedis archiepiscopalis evexerat, ita graves obvenerunt temporum vicissitudines, ut sanctae mem. Pius Sextus, itidem praedecessor noster, illam denuo inter episcopales sedes tantummodo adscripserit.

Subinde vero nomine carissimi in Christo filii nostri Francisci Austriae imperatoris, ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici, nec non regni Lombardi Veneti pariter regis, preces fuerunt oblatae ad rem sacram in illyricis regionibus austriaco dominatu subiectis ea, qua poterat, ratione pro locorum ac temporum conditione magis accommodata ordinandam, eum praesertim in finem, ut aptior ecclesiarum ac dioecesium divisio ibidem decerneretur. Placuit rec. me. Pio Septimo, praedecessori similiter nostro, canonicam super hac re inquisitionem venerabili fratri Iosepho Episcopo Goritiensi committere, in qua etiam quaesitum fuit, quod ad ecclesiasticam illyricianam provinciam eiusque metropolitanam designandam ecclesiam requirebatur.

§ 2. Accepto igitur canonico huiusmodi processu fel. rec. Leo Duodecimus mentem sequutus Pontificis sui praedecessoris per apostolicas literas incipientes *Locum Beati Petri*, sub datum pridie kalendas iulii anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi pontificatus sui anno quinto, novam illam dioecesium divisionem opportune sancivit; atque idcirco unum supererat apostolica auctoritate firmandum, quod memoratam illyrice provinciam spectabat, idque feliciter adproperarunt vota praelaudati Francisci imperatoris et regis, qui per dilectum filium nobilem virum Rodulphum Comitem Lutzowium secum apud nos et Apostolicam Sedem extraordinarium oratorem a nobis humiliter postulavit, ut, quod ex ipsis inquisitionis tabulis et ex praedecessoris nostri sententia opportunius fore conspicitur, id nunc apostolica auctoritate constabiliatur.

§ 3. Nos itaque in hoc rerum statu, imperialis ac regiae maiestatis suae postulationibus, quantum in Domino possumus, annuere cupientes, et defectui consensus quorumcumque interesse habentium plenarie supplentes, cathedralem ecclesiam Deo sacram sub invocatione SSm̃orum Martyrum Hilarii ac Fabiani erectam in civitate Goritiensi, quae est provinciae caput, quaeque sacrarum aedium splendore, civium frequentia et magistratuum dignitate praefulget, ad archiepiscopalis ecclesiae una cum sede metropolitana et capitulo, ex tribus dignitatibus, quatuor canonicis et sex mansionariis efformato, gradum denuo extollimus ac restituimus pro uno deinceps Archiepiscopo Goritiensi, qui pallii et crucis usum, arcam, mensam, et sigyllum ex aliorum Archiepiscoporum more habeat, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, iuribus, privilegiis et honoribus, quibus aliae metropolitanae ecclesiae fruuntur, valeat perpetuis futuris temporibus gaudere.

§ 4. Praevia autem immutatione hodierni status episcopalium ecclesiarum Labacensis, Tergestinae una cum concathedrali Iustinopolitana huic Sanctae Sedi immediate subiectarum, itemque Parentinae cum Polensi concathedrali hucusque patriarchalis Venetiarum suffraganearum, ac insuper Reglensis suffraganea archiepiscopatus Jadrensis, eas omnes episco-

pales ecclesias metropolitico iuri Archiepiscopi Goritiensis ad praestitutas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus regulas perpetuo subiicimus atque supponimus.

§ 5. Cumque laudatus Pius Septimus praedecessor noster assensum praebuerit, votis antedicti imperatoris ac regis pro seiunctione a dioecesi Goritiensi et Tergestina nonnullarum paroeciarum Labacensi dioecesi tribuendarum, nos idcirco sexdecim paroecias denominatas: Stapp, Dudaine, Erzell, Gozha, Losizza, Oberfeld, Palanina, Podrago, Poelkrai, Schwarzenberg, Huvia, S. Veit, Urabistke, Ustia, Wippachzoll, a Goritiensi dioecesi, pariterque unam supra viginti paroecias vocitatas: Adelsberg, Cosana, Dorn, Harsi, Mantersdorff, Nadanafella, Nussdors, Posteine, Prevald, S. Peter, Saguriae, Senosetsih, Havina, Studeno, Seuhovie, Ternora, Ubelsko, Urem, Urenoviez, Knesback, Preen, cum locis: de Zhell, Janesoruberda et Prelosche, iam paroeciae de Krusya spectantibus, ex Tergestina dioecesi respective disiungimus et abstrahimus, illasque dioecesi Labacensi perpetuo tribuimus et adsignamus ac ordinaria Labacensis Episcopi auctoritati ac iurisdictioni omnino subiectas declaramus, praecipientes, ut omnia et singula documenta respicientia paroecias ut supra dismembratas a cancellariis Goritiensi et Tergestina extrahantur, et opportuna forma tradantur episcopali cancellariae Labacensi, ibique perpetuo serventur.

§ 6. Harum nostrarum literarum exequutorem eligimus ac deputamus venerabilem fratrem Franciscum Xaverium de Luphin, Episcopum Tridentinum, cui omnes et singulas necessarias et opportunas concedimus facultates, etiamsi opus fuerit ecclesiasticum virum in dignitate constitutum pro sua prudentia specialiter subdelegandi, ut cuncta superius disposita peragere ac statuere, et super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura agnoscere ac definitive pronunciare libere ac licite possit et valeat; mandantes expresse eidem Francisco Xaverio Episcopo, ut exempla singulorum actorum in praesentium literarum exequutionem conficiendorum infra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem authentica forma transmittat, in archivio congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

§ 7. Praesentes vero literas et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere: et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus.

§ 8. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et Cancelleriae Apost. regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Praeterea volumus, ut harum literarum nostrarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum li-

ceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, unionis, erectionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnat. Dominicae MDCCCXXX., VI. kal. aug., pontificatus nostri anno II.

II.

DECRETUM

Vicariatum apostolicum instituit in dioecesi Sanctae Fidei.

Ea est Sanctae Fidei dioecesis in America Meridionali vastitas provinciarum, quibus ipsa constat, longinquitas et itinerum difficultas, ut ad commodiorem sacrorum procurationem et ad infidelium illic degentium conversionem non unus sed plures illic necessarii censeantur Antistites. Cum vero, attenta praesenti temporum conditione, cathedralium ecclesiarum erectio illis in partibus hic et nunc obtineri nequeat, ad consulendum, meliori quo fieri posset medio, spirituali illorum populorum bono, placuit interea sanctissimo domino nostro Gregorio XVI., Pontifici Maximo, in memorata Sanctae Fidei dioecesi perpetuum in modum Episcopum constabilire titularem in partibus infidelium, eo praesertim consilio ne, quando sit et ipsa ecclesia viduata Antistite, desit qui rite exequatur cuncta illa quae ordinis sunt episcopalis. Omnibus idcirco mature perpensis, me infrascripto Sacrae Congregationis negotiis consistorialibus praepositae secretario referente, eadem Beatitudo sua in provincia Casanare nuncupata, dioecesi Sanctae Fidei, suffraganeatum erigendum decrevit pro uno Episcopo titulari in partibus infidelium, qui in dicta provincia Casanare degat, et tam in ea quam in aliis provinciis, pro lubitu Archiepiscopi pro tempore Sanctae Fidei, pontificalia aliaque munia, quae ordinem requirunt episcopalem, exerceat, ***data Archiepiscopo facultate, quoties hoc officium vacare contigerit, supplicandi pro viro ecclesiastico meritis et qualitatibus commendato, qui ad id muneris adsciscendum censuerit.*** Ut tamen Episcopus pro tempore suffraganeus suae dignitatis splendorem ea qua par est decentia tueri valeat, idem Sanctissimus Dominus congruam scutorum sex millium super fructibus episcopalibus mensae Sanctae Fidei quotannis percipiendorum eidem attribuere dignatus est. Hoc porro erectionis suffraganeatus decretum, perinde habendum ac si literae apostolicae in id latae fuissent, edi et in actibus eiusdem Sacrae Congregationis concistorialis referri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die X. mensis decembris anno domini MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

ALOYSIUS FREZZA
Archiepiscopus Chalcedonensis
S. Congr. Secretarius.

III.

De exemptione monialium Benedict. apud Connington in Anglia a Vic. Apost. disponit.

Venerabili fratri Petro Augustino Baines, Episcopo Sigano, Vicario Apostolico districtus Occidentalis Angliae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Accepimus litteras a venerabilibus fratribus Vicariis Apostolicis Angliae et Scotiae (uno dempto Vicario Apost. Angliae Meridionalis), a fraternitate tua quoque primo loco, ut seniore inter eos, subsignatas, scriptas quidem sub X. decembris elapsi anni, nobis autem non nisi mense martio anni currentis redditas, quarum haec est summa:

I. Conqueruntur ipsi Vicarii de apostolico brevi a nobis dato die XVI. iulii anno MDCCCXXXIII., quo monasterium monialium Benedictinarum apud Connington in isto tuo occidentali districtu, ut paci

inter easdem moniales perturbatae consuleremus, sub nostro et Sanctae huius Sedis patrocinio posuimus, et, alterius cuiuscumque iurisdictionem suspendentes, in eius protectorem et nostrum ad res illius monasterii componendas Vicarium deputavimus dilectum filium Card. Weld, ut ipse, rite comperto dicti monasterii statu, impense curet pacem mutuamque concordiam restituere, legumque observantiam custodire.

II. Declarant praeterea se magnopere augi animo, eo quia se certo scire arbitrantur Romae degere, qui apud nostram Congregationem de Propaganda Fide omni ope utuntur, ut templum recenter Londini aedificatum PP. Societatis Iesu tradatur, ut novus locus missionis in districtu Septentrionali PP. Benedictinis, Episcopo invito ac renitente, assignetur.

III. Contendunt autem memorata omnia repugnare tum regulis istarum missionum a Benedicto XIV. praescriptis, tum apostolicis litteris Pii VII., in quibus Pontifex certiores facit Vicarios Apostolicos illius temporis, se in mandatis dedisse eidem Congregationi ut, quando agitur de gratiis et privilegiis, unde ordo in missionibus statutus immutaretur, ea Summo Pontifici non proponat concedenda, nisi prius vicariorum apostolicorum sententiam exquisierit.

IV. Quapropter a nobis enixe postulant ut statuta ac mandata eorumdem praedecessorum nostrorum simul et vicariorum iura iubeamus inviolata servari.

Quae Vicariorum Apostolicorum expostulationes et querimoniae, quanto nos moerore affecerint ac dolore, vix exprimere possumus, non quidem stylo ac verbis quibus exponuntur, sed forma ac proposito. *Forma,* quia speciem praeseferunt conspirationis solemnisque protestationis eorumdem Vicariorum contra id quod vel a nobis factum est, vel nos facturos aut concessuros suspicantur. *Proposito* autem, quia nos et dictam Congregationem quodammodo arguunt tamquam de violatis eorum iuribus, deque Benedicti et Pii VIII. statutorum ac mandatorum circa missiones anglicas subversione.

§ 2. Quibus querelis paterna caritate satisfacere volentes, tibi, venerabilis frater, ut eorum in sacro ministerio seniori et praecipuas in causa partes habenti, praesentes has litteras, manu ipsa nostra conscriptas, amice mittimus, ceteris collegis tuis communicandas.

Atque in primis ad monasterium monialium quod attinet: de perturbato ordine ac statu illius monasterii ac de consultationibus super hoc pluries habitis in Congregatione de Propaganda Fide, deque officiis ab eadem apud te nostro etiam nomine ante praefati brevis emanationem interpositis pro restituenda illis monialibus pace, non est, quod hic mentionem facere oporteat. Nemo enim Vicariorum Apostolicorum Angliae ignorare potest, quae Sancta haec Sedes ad rem praestiterit.

Verum falluntur Apostolici Vicarii dum autumant, nos plenaria exemptione subtrahere voluisse praedictum monasterium ab Apostolici Vicarii istius districtus potestate (uti certe supremi primatus iure poteramus) atque immediatae iurisdictioni dilecti filii Cardinalis Weld illud nos subiecisse. Quippe non penitus Vicario Apostolico potestatem subtraximus, sed tantum iurisdictionem in ipsum, scilicet iurisdictionis exercitium suspendimus. Clara sunt verba brevis. Porro ex iure canonico atque ex ipsa ecclesiastici regiminis praxi ac disciplina manifesto patet, iurisdictionem suspendere et iurisdictionem prorsus adimere plane inter se ac substantialiter differre, nec ex primo sequi secundum: suspendimus autem, ut interim rerum statum cognoscere eisque pro opportunitate providere possemus. Et sicut non erat in animo plenariam absolutamque ac perpetuam exemptionem saepe dicto monasterio concedere, sic et a formulis scite abstinuimus, quibus plenaria huius exemptio in apostolicis constitutionibus exprimi solet. Nec refert quod illud sub immediato nostro et Sanctae Sedis patrocinio posuerimus; declarando enim Summi Pontifices communitates aut loca aliqua sub apostolica protectione consistere, non ideo consequitur, nisi id aperte edicatur, sub iurisdictione esse posita solius Romani Pontificis, erepta prorsus cuilibet alteri potestate in easdem communitates et loca. Similiter hallucinantur iidem Vicarii Apostolici arbitrantes, nos monasterium illud immediatae iurisdictioni Cardinalis Weld submisisse. Siquidem nostrum utique Vicarium cum deputavimus, scilicet nostras ei delagavimus vices pro rebus eiusdem monasterii componendis, non autem immediatum illius ac proprie dictum superiorem ordinarium constituimus ad per-

petuam exclusionem Vicarii Apostolici. Quidquid ergo in casu de quo est sermo iurisdictionem respicit, non aliter intelligendum nisi indicta suspensione durante. Videas igitur, venerabilis frater, non de omnimoda monasterii exemptione, sed de apostolica tantum agi visitatione, deque delegato visitatore apostolico cum facultate subdelegandi.; ac proinde et illud videas consilium a nobis captum de suspendenda fraternitatis tuae in illud iurisdictione esse temporaneum, donec scilicet nobis constiterit, res eiusdem esse ad pacem et concordiam per delegatum visitatorem rite compositas.

§ 3. Modo ad secundum querelarum caput transeamus. Dolet nobis quam maxime hic commemorare quae circa templi Londinensis traditionem PP. Societatis Iesu faciendam locum habuerunt inter Congregationem de Propaganda Fide et venerabilem fratrem Vicarium Apostolicum Londinensem; sed, ut cognoscatur Sanctae huius Sedis in eo etiam negotio indulgens circumspectio et moderatio, omnino ea praeterire non possumus; scripserat itaque, nobis annuentibus, eadem Congregatio Londinensi Vicario sub die XIX. iulii anni MDCCCXXXIV., id sibi valde utile videri (nempe templum illud tradere Iesuitis) ac pro certo se habere, ipsum Vicarium nihil amplius prae oculis habentem, nisi ecclesiae amplificationem et fidelium utilitatem, petitum consensum esse daturum, declarans quod eidem Congregationi id iucundissimum foret. Hisce autem officiosis Sacrae Congregationis insinuationibus et votis absolute respondit idem Vicarius Apostolicus sub die VIII. aug. MDCCCXXXIV., se non posse, nisi vulnus infensissimum conscientiae suae infligendo, adeoque nullo modo posse approbationem aut consensum praebere illi negotio. Et in quodam folio exhibito a dicti Vicarii procuratore asseritur, ipsum aperte testatum fuisse ab universo eius clero haberi ut religioni summopere iniuriosum, templum illud Iesuitis deferre, et se nunquam id consensurum. Quid minus gratum hac responsione? Quomodo poterant iniuriosius reiici Congregationis vota, quam denuntiando iniuriosum religioni, quod ipsa valde utile edixerat, insuper et profitendo, nonnisi inflicto propriae conscientiae infensissimo vulnere eisdem obsecundari posse? Profecto si quis inferre ex his vellet, quanti apud talia respondentem habeatur dicta Congregatio, eum forsan non bene erga ipsam affectum iudicaret, quem tamen animo non talem esse credimus. Quid praeterea Iesuitis magis opprobrio esse potest, quam sic probrose repelli a Missionibus adeundis? Ceterum, quae nimis dura de ipsis habet Londinensis Vicarius verba, ea sibi veluti fortuito excidisse putandum est, cum aequum sit opinari eum animo non dissentire a reliquis Angliae Vicariis, quibuscum doctrina ac religionis zelo coniungitur, quosque ex certis et authenticis documentis, in Congregationis archivio existentibus, nobis constat, propensissimos esse in Iesuitarum missiones istic fovendas. Interim animadverte, venerabilis frater, quanta indulgentia ac moderatione usa fuerit eadem Congregatio, quae accepto huius iucundissimo responso hactenus siluit; hinc et illud adverte quam subtili arte in Vicariorum litteris ipsa praemoveatur, ne, quod in votis tantum se babere patefecerat, id tandem iussis complere atque ad exitum perducere velit. Mittimus autem quae de novis Missionibus assignandis in districtu septemtrionali monachis Benedictinis falso suspicantur iidem Vicarii; est enim id plane commentitium. Nunquam de huius capiendo consilio actum est in Congregatione nullumque ad hoc eidem factum fuit officium, ita ut penitus ipsa ignoret quo nitatur fundamento Vicariorum anxietas.

§ 4. Sed iam ad tertium veniamus querimoniarum caput: ad praetensam videlicet violationem regularum a Bened. XIV. praescriptarum pro missionibus Anglicanis et litterarum apostolicarum Pii VII., relate ad decretum a Congregatione emissum anno MDCCCXVIII., ad quas appellant Vicarii, cuius violationis ab eisdem insimulamur tum in iis quae ediximus, tum in iis quae nos edicturos ipsi verentur. Sane quid gravius et animo nostro acerbius hac accusatione? Benedictus XIV. praescripsit missionariis Vicariisque Apostolicis, non autem Summis ipsis Pontificibus, et in praescriptis a se regulis atque statutis nullibi limitat, nec limitare intellexit Romani Pontificis potestatem, ut nec visitatores apostolicos deputare posset, neque ullo in casu alicui ex dictis regulis derogare. Verum nec enunciatum breve a nobis ut supra datum, circa moniales apud Conninglon, neque de templo Londinensi Iesuitis tradendo Congregationis votum adversa-

tur huius regulis. Siquidem de monialibus eae regulae non loquuntur, nec loqui poterant, quippe illarum non extabant istic monasteria: regularium autem exemptionem expresse admittunt, immo et inviolatam servari praecipiunt in iis quae ad regularum et constitutionum Ordinis respectivi spectant observantiam ac disciplinam, et solum ne nascantur cum Vicariis Apostolicis collisiones et iurgia aptissime moderantur in iis, quae proprie respiciunt facultates et missionaria munera. Denique ad Iesuitas quod attinet, ipsi inter praecipuos regulares Angliae missionarios in dictis regulis recensentur. Nulla ergo Ordinis missionum in Anglia statuti facta est immutatio, ideoque nec quidquam detractum apostolicis Pii VII. litteris. Restat ut de precibus quas nobis porrigunt Vicarii Apostolici, pauca dicamus. Petunt ipsi ut serventur statuta Benedicti XIV. et Pii VII. simul et eorum iura. Quorsum hae spectant preces? Si attento novo rerum statu attentisque novis et urgentibus casibus, aliquid actum est praeter, nihil tamen est actum contra Benedicti XIV. statuta: quin etiam in decreto ipso a Vicariis memorato anni MDCCCXVIII. eadem Congregatio salva esse ea omnia expresse voluit et edixit. Verum si investigare vellemus quo praecipuae tendant huius preces et Vicariorum vota, non temere forsan quis coniiceret ea tendere ad excludendos paulatim a missionibus regulares, praesertim nationales Anglos, propterea quod in calamitosissima rerum politicarum subversione emiserunt propria, quae in catholicis regionibus habebant, coenobia. Hoc autem esset afflictionem addere afflictis et facto complere in Anglia quod apud exteras nationes in odium passi sunt religionis. Nec est quod dolere possint Vicarii Apostolici, se non esse auditos, ut inde nobis obiiciant Pii VII. declarationem; non enim agitur de immutato vel immutando missionum ordine, et ipsi quae acta sunt haud ignorabant antequam fierent, quippe eis praenuntiata iam fuerant. Ceterum, ***monitum exquirendae*** non idem est ac monitum semper ***sequendae*** Vicariorum sententiae. E contra ipsimet videant Vicarii Apostolici, an illud a se religiose servetur Pii VII. monitum in laudatis suis litteris sic expressum: « Interea, venn. fratres, memoria recolentes praeclara B. Pauli verba, quibus admonemur omnia nostra secundum ordinem et in caritate esse facienda, magis satagite, ut dum iusto ac discreto rerum et personarum ordini per apostolicam nostram sollicitudinem, quoad licuit, provisum esse cognoscitis, per diligentiam vestram erga praesidem et alumnos florentis collegii apud Stonyurst, qui studiis promovendis ac iuvenibus in spem catholicae religionis instituendis incumbunt, caritatis aeque provisum esse nos pariter cognoscamus ».

§ 5. Tandem de eorum iuribus per nos eisdem servandis, quibusque privari pertimescunt, nimis anxii sunt Vicarii Apostolici. Utique ea fuit, est eritque semper nostra mens, ut suum cuique stet ius; sed simul renuntiare non possumus iuribus supremi, quem licet immerentes gerimus, primatus in universam Ecclesiam. Nihil autem, quod iure primatus nostrum non sit, egimus vel factum probavimus. Porro iure primatus uti non est invadere in Episcoporum neque Titularium, multo minus Vicariorum Apostolicorum, iura. Id et ipsi fateri censendi sunt Vicarii, dum fatentur se nostras gerere, quas eis commisimus, vices.

Haec sunt, venerabilis frater, quae tibi et una tecum ceteris confratribus tuis duximus rescribenda. Confidimus autem vos omnes huic Sanctae Sedi firmius in dies perpetuoque adhaesuros, eiusque monitis ac mandatis semper et incunctanter esse obtemperaturos. Nostis quibus cum hostibus dimicandum sit, quave arte et quanto impetu in catholicam ipsi irruant religionem ad eam, si fieri posset, perdendam ac destruendam. Nihil ardentius anhelant et insidiosius moliuntur atque pertentant, quam a catholicae unitatis centro Episcopos, a capite membra, oves separare a pastoribus. Vestrum est igitur, collatis viribus, eorum impiis obviam ire conatibus eosque de iniqua spe fidem vestram et constantiam labefactandi depellere, in id semper sedulius intendendo, ut devotio vestra plenaque erga Apostolicam Petri Cathedram observantia omnibus ad exemplum manifesta fiat. Quod vos nedum animo, sed palam factis, nimirum voce ac etiam scriptis, pro rei opportunitate viriliter praestituros non dubitamus.

Interim fraternitatem tuam ceterosque in sacro ministerio collegas tuos rogamus in Domino et hortamur, ut quemadmodum nos ad zelum vestrum ac studium pro istarum missionum bono curas omnes pastorales conferre nunquam cessabimus,

ita et vos curis ipsis nostris maiori sinite discamus fiducia respondeatis. Atque hac a vobis, imo a caritate vestra, solatium et levamen in tantis, quibus ob Ecclesiae calamitates undique premimur, angustiis, et in tanto quo pene conficimur moerore, praestolantes, tibi, venerabilis frater, tuisque confratribus apostolicam benedictionem tota cordis effusione impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die xx. iunii MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

IV.

Dissidium de rebus lithurgicis inter Armenos reprobat.

Venerabili fratri Antonio Nurigian, Archiepiscopo Primati Armeno Constant.,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Acceptis, quas nuper scripsisti, litteris, profecto nos pro constante nostra erga fraternitatem tuam benevolentia doluimus, nondum sopitum esse apud vos dissidiorum fomitem, praesertim circa res lithurgicas, quas apprime quietas et bene compositas esse oporteret. Quanta enim absurditas est, si in ipso Dei pacifici ministerio contendentes versamur. Attamen hisce malis remedium firmum ac peremptorium adhibere aeque nobis tibique difficile est. Quod vero ad te nuper Congregatio Prop. Fidei de omittenda cum oblatis nondum consecratis benedictione scripsit, id reapse nobis mandantibus scriptum fuit. In aliis quoque nonnullis indulgentiam ac facilitatem, si res ita postularet, tibi commendavimus; idque non ut tibi contradiceremus, sed ut cleri tui paci his minimi momenti concessionibus consuleremus. Gravi tamen cum animi moerore intelligimus, neque districtum rigorem neque quamlibet benignitatem finem consequi salutarem. Quid ergo superest? Nempe illud quod S. Paulus praedicat et cui nos quoque in tribulationibus nostris, quibus quotidie abundamus, obtemperandum credimus: ***Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit*** (Rom. XIII. 8). Item: ***Quae pacis sunt, sectemur: et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus*** (Rom. XIV. 19). Ceteroquin, meliora tibi nobisque sperantes, apostolicam mittimus benedictionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. augusti MDCCCXXXV., pont. nostri anno v.

V.

Exemptio a iure metropolitico Ecclesiae Limanae et subiectio episcopatui S. Fidei de Bogotà.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanorum Pontificum, qui in Beati Petri Apostolorum principis Sede veluti in specula sunt divinitus constituti, proprium est Dominicum Agrum sollicite circumspicere, et si alicubi christifidelium necessitatem vel utilitatem apostolicae providentiae studio egere senserint, supremam illam ac plenariam, quam a Christo Domino Servatore nostro in aedificationem Ecclesiae acceperunt, potestatem facultatemque illico et efficaciter interponere. Hinc, quum ea sit humanarum rerum natura et conditio, ut quae olim inspectis locorum ac temporum adiunctis rite recteque constituta videbantur pro meliori dioecesium regimine, eadem postea, immutato rerum ordine, minus commoda atque interdum etiam noxia comperiantur, decet Romanos Pontifices novam praescribere ecclesiarum administrationem, prout ipsi noverint in Domino salubriter expedire.

§ 1. Nobis porro, qui ineffabili divinae bonitatis clementia ad regendam gubernandamque universalem Ecclesiam vocati fuimus, dilectus filius Ignatius Fescada, gubernii Neo-Granatensi Americae Meridionalis apud nos et hanc Apostolicam Sedem negotiorum gestor, nomine memorati gubernii nuper exposuit, ecclesiam de Panamà, iam inde ab anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo ad cathedralis honorem evectam, metropolitico iuri ecclesiae Limanae uti suffraganeam fuisse subiectam, quamvis una ab altera pluribus centenis passuum millibus abes-

set. Verum hanc locorum longinquitatem, licet praegrandem, haud magni eo tempore faciendam affirmavit, propterea quod Episcoporum commoditati et christifidelibus dioecesis de Panamà satis consultum erat, cum in spiritualibus eorum necessitatibus facilem ad Metropolitanos haberent aditum ob frequentem navium accessum et recessum ab Limana ad Panamensem civitatem, ratione tum negotiationis, tum commercii, cura gubernii Hispaniarum, quod, seclusa tunc et penitus ignota altera vel breviori vel commodiori, hac via utebatur, ut vectigalia ex Peruviana finitimisque provinciis exigeret ac regia mandata suis ministris in illis regionibus degentibus deferret. Promontorio autem quo vocant Caput Horni detecto, et hac faciliori via inventa, per quam ad Chilianam, Peruvianam aliasque provincias citius ac tutius acceditur, factum est, ut commercium inter Limanam et Panamensem civitatem, antea florentissimum, plane elanguesceret, rarusque appareret in illis navium commeatus, qui in praesentem diem difficilior etiam evasit, cum gubernium Neo-Granatense, intra cuius limites adest dioecesis de Panamà, ab Limana sit prorsus disiunctum atque extraneum.

§ 2. Quoniam vero in territorio gubernii Neo-Granatensis extat ecclesia metropolitana Sanctae Fidei de Bogotà nuncupata, quae est etiam urbs princeps eiusdem gubernii, et unde commodius ad Panamensem civitatem patet iter, idcirco aptior eadem fidelium utilitati quam Limana ecclesia esse cognoscitur. Quapropter praedictus negotiorum gestor, ipsius gubernii nomine, suppliciter et instanter a nobis petiit, ut a metropolitico Limani Archiepiscopi iure ecclesiam de Panamà subtrahere eamque metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei de Bogotà perpetuo uti suffraganeam subiicere et adsignare dignaremur.

§ 3. Nos igitur, qui maiorem Dei gloriam fideliumque salutem et commoditatem semper spectare debemus, cuncta supra expositis matura deliberatione perpensis, inspecta quoque ingenti sedis Limanae ab dioecesi Panamensi distantia, difficultate mutuae inter utramque communionis et facilitate accessus ab ecclesia de Panamà ad metropolitanam Sanctae Fidei de Bogotà; ratione etiam habita conditionis in apostolicis litteris super nuperrima ecclesiae Limanae provisione adiectae, novam scilicet ordinationis formam super illius statu, prout in Domino magis conducere conspiceremus, ineundi; ac demum derogatione facta, quatenus opus sit, de plenitudine apostolicae potestatis circa consensum Archiepiscopi Limani: spirituali fidelium dioecesanorum ecclesiae de Panamà commodo et utilitati consulere cupientes, ex certa scientia, motu etiam proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam ecclesiam de Panamà a iurisdictione metropolitica ecclesiae Limanae perpetuo eximimus ac liberamus, eamque sic exemptam ac liberam metropolitico iuri archiepiscopalis ecclesiae Sanctae Fidei de Bogotà perpetuo pariter subiicimus atque supponimus, ac in eius suffraganeam adsignamus: ipsique metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei in eamdem ecclesiam de Panamà iura, privilegia, honores et facultates, quibus Metropolitani ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias, eodem similiter modo eademque auctoritate concedimus ac tribuimus.

§ 4. Hinc venerabili fratri Emmanueli Iosepho Mosquera, Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogotà, quem exequutorem praesentium litterarum apostolicarum eligimus ac deputamus, necessarias facultates ut ipse, per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum, has nostras litteras solemniter publicet atque exequatur, omniaque et singula in illis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, simili modo concedimus et impertimur.

§ 5. Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi seu interpretandi facultate, iudicari ac definiri; ac si secus super his

a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari, irritum et inane decernimus atque declaramus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, concessionibus et indultis, quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis, ac etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis: quibus omnibus ac singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum derogamus ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 6. Huiusmodi autem litterarum apostolicarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis prasentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam exemptionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis nostrae infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicae MDCCCXXXVI., sexto decimo kalendas maius, pontificatus nostri anno VI.

VI.

Imminutio dierum festorum in Boliviana ditione (1).

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Ea est apud christifideles Bolivianae ditionis in America meridionali dierum festorum frequentia, ut, quod ad Dei gloriam et animarum salutem institutum conspicitur, id ex locorum, temporum vel personarum conditione in perniciem potius redundare experientia iam doceat. Etenim in peramplis illi regionibus tantam esse constat locorum distantiam, viarum difficultatem, sacrorum ministrorum inopiam templorumque raritatem, ut fideles, rei tum agrariae tum pastoritiae addicti, non sine magno labore diuturnique temporis iactura, divinis mysteriis aliisque religionis officiis interesse queant, imo persaepe impediantur, quominus eisdem intersint, adeoque plura eaque haud levia ipsi experiuntur incommoda, quae non modo temporali, verum etiam spirituali eorundem bono maximum afferunt damnum. Quod vero pertinet ad operarios et opifices in civitatibus vel oppidis degentes, si pietate ac virtute praediti sint, ecclesiasticis quidem praeceptis satisfacere curant; at, quoniam ob inopiam, qua ipsi laborant, manu et opere victum sibi quaerere debent, ob festorum frequentiam sibi suisque familiis necessaria ad vitam comparare nequeunt: ii vero in quibus religionis zelus iam elanguescit, otio tabescunt, vitiis indulgent ac etiam in flagitiis criminibusque versantur. Itaque qui Boliviana in commemorata ditione imperii summam tenent, enixis humilibusque precibus a nobis efflagitarunt, ut, ad huiusmodi gravissima mala tollenda, dierum festorum numerum benigne imminuere velimus. Nos igitur, rebus omnibus mature perpensis, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hac in re ecclesiasticam disciplinam, temporum ac locorum ratione habita, temperare non abnuerunt, dictos homines Bolivianae ditionis in America meridionali peculiaribus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, venerabilibus fratribus Archiepiscopo, Episcopis aliisque illius ditionis Ordinariis de apostolicae nostrae potestatis plenitudine necessarias atque opportunas facultates largimur, ut, veris existentibus narratis, et si in Domino expedire censuerint,

(1) Ex Archivio Brevium.

quique ipsorum propriis in dioecesibus dierum festorum numerum praescriptum, qui ibidem cum praecepto sacrosanctum Missae Sacrificium audiendi et a servilibus operibus abstinendi celebrantur, imminuere et reducere valeat, ad eos qui sequuntur, scilicet, ad omnes per annum dies dominicos, ad quinque festa anniversaria Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Sanctissimi Corporis ac Nativitatis D. N. I. C., ac insuper ad quinque festa Beatissimae semper Virginis Mariae dicata, nempe Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non ad dies festos Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Commemorationis Omnium Sanctorum, servato praecepto audiendi tantum Missae Sacrificium in festo S. Iosephi, Beatissimae Virginis Mariae Sponsi, ac venia facta servilibus operibus eadem die vacandi. Itaque de Sanctis cuiuslibet provinciae, dioecesis, civitatis et oppidi Patronis fieri poterit translatio in diem dominicum proximum sequentem, dummodo aliquod ex supra recensitis festum in ipsum diem incidat. Diebus vero, quibus huius indulti vi festivitas erit adimenda, christifidelès a praecepto Missam audiendi, servilibus operibus non vacandi, ac insuper ieiunium servandi in earum pervigiliis declaramus immunes, hac tantum adiecta lege, ut ieiunium in horum festorum dierum sic abrogatorum pervigiliis ab Ecclesia statutum transferant in singulas ferias sextas ac sabbata tempore adventus D. N. I. C. occurrentia, quibus diebus lacticiniis et ovis vesci liceat. Ceterum, circa ea omnia quae ad sacram lithurgiam in Ecclesiis servandam pertinent, nihil diebus festis ut supra reductis innovandum esse praecipimus, ac praeterea servitium chori, Missarum celebrationes aliaeque ecclesiasticae functiones erunt peragendae perinde ac si nulla festorum dierum imminutio impartita fuisset. Locorum autem ac temporum rationem prae oculis habentes, eisdem venerabilibus fratribus Archiepiscopo, Episcopis aliisque Ordinariis Bolivianae ditionis Americae Meridionalis facultates tribuimus, ut ipsi, eadem auctoritate nostra apostolica, parochos aliosque animarum curatores pastorali eorum iurisdictione subiectos, ab onere solvant Missae pro populo applicandae festis diebus, quibus fideles ab obligatione illius audiendae soluti sunt, ita tamen ut parochi aliique animarum curatores in Missa quam praedictis diebus erunt celebraturi, peculiariter pro populo orare teneantur. Haec concedimus atque indulgemus, praecipimus atque mandamus, non obstantibus apostolicis atque in universalibus ordinationibus ac praesertim in constitutione rec. me. Urbani VIII. praedecessoris nostri, incipiente *Universae*, diei XIII. mensis septembris MDCXXXII., nec non dioecesium commemoratae Bolivianae ditionis in America Meridionali etiam innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo roboro permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXI. iunii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

VII.

Episcopo Iuliae Caesareae (Algeri) datur facultas erigendi in sua dioecesi sodalitatem scapularis et stationes Viae Crucis cum indulgentiis illis concessis (1).

Venerabili fratri Antonio Adulpho Dupuch,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum nobis curasti, ad istius tuae dioecesis christifidelium pietatem fovendam, tuis in votis esse eadem in dioecesi sodalitatem scapularis et stationes iter Domini nostri Iesu Christi ad Crucem recolentes posse erigere. Supplici ergo cum prece a nobis efflagitasti, ut huiusmodi facultatem tibi concedere velimus.

Nos itaque piis tuis desideriis annuere cupientes ac spirituali tui gregis bono consulere volentes, tibi, venerabilis frater, hisce litteris auctoritate nostra apostolica facultatem facimus atque impertimur, ut, servatis iis, quae servari opus

(1) Ex Archivio Brevium.

est quoad eiusmodi erectionem, ubique tua in dioecesi Iuliae Caesareae sodalitatem scapularis et stationes itineris Domini nostri Iesu Christi ad Crucem recolentes, vulgo *Viae Crucis*, libere et licite instituere atque erigere possis cum applicatione omnium indulgentiarum, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris commemoratae sodalitati ac pio illi exercitio, de quo habita mentio est, concessae atque attributae fuerunt. Hanc vero facultatem tibi concessam volumus donec eadem in dioecesi regulares Ordines Carmelitarum et Minorum Sancti Francisci de Observantia non fuerint instituti. Haec concedimus atque indulgemus, non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non aliis omnibus, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die VI. septembris MDCCCXXXIX., pont. nostri an. IX.

VIII.

Confirmat institutum congregationis oratorii S. Philippi Nerii in urbe Lugduni, dioec. Mechoacan in Indiis Occidentalibus.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Cum in vinea Domini excolenda religiosae familiae omnem opem et operam collocare soleant ac spirituali christifidelium bono pro viribus consulant, tum Romani Pontifices earum utilitati et decori prospicere consueverunt. Exponendum nobis curarunt dilecti filii presbyteri Emmanuel Somera, Emmanuel Quisomo, Vincentius Ariaga et Philippus Fernandez, eis annuente Episcopo Mechoacan in Indiis Occidentalibus, institutum congregationis oratorii S. Philippi Nerii in civitate Lugduni intra limites illius dioecesis excitare. Cum autem ipsi impense cupiant institutum ipsum apostolica auctoritate muniri, idcirco supplici cum prece a nobis petierunt, ut hac super re nostram indulgentiam tribuere velimus. Nos itaque omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ven. fratri Ioanni Caietano Iosepho Maria Gomez Portugal, Episcopo Mechoacanensi in Indiis Occidentalibus, hisce litteris eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent prout expositae, institutum ipsum congregationis oratorii S. Philippi Nerii in civitate Lugduni auctoritate nostra apostolica in perpetuum approbet atque confirmet, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae potestatis robur adiiciat, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleat et sanet, et in eadem civitate unam praedictorum presbyterorum et clericorum saecularium in illam pro tempore recipi volentium congregationem ad instar congregationis oratorii huiusmodi in Ecclesia S. Mariae ad Aedem Novam, seu SS. Mariae et Gregorii in Vallicella de Urbe, dudum apostolica auctoritate erectae, dummodo tamen presbyteri et clerici huiusmodi ordinationes et instituta domus congregationis oratorii alias a felic. rec. Paulo PP. V. praedecessore nostro confirmata receperint, et illa pro viribus servare intendant, auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo exigat et instituat. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis gratiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias

roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. iulii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVII. IAN. MDCCCXLII.

Iacobum Holas Archiep. Amasien. in patriarcham Armenorum Ciliciae confirmat, assumpto nomine Iacobi Petri VII., et pallium concedit (1).

Venerabiles fratres.

Benedicti XIV. gloriosissimae memoriae praedecessoris nostri temporibus aequalis est catholici Ciliciae patriarchatus origo. Ab eo Pontifice Abrahamus Petrus Primus antea Aleppi Archiepiscopus in consistorio publico Ciliciae Patriarcha solemni ritu fuit renuntiatus. Quinque post eum Patriarchae Sedi illi praefuerunt, quorum postremus Gregorius Petrus Sextus, ab immortalis recordationis Pontifice praedecessore nostro Pio VII. anno MDCCCXIV. solemniter confirmatus, diem suum obiit die XXII. septembris MDCCCXL.

Non ante proximum elapsum mensem iunium congregari potuerunt novum Patriarcham electuri Basilius Aivaz Archiepiscopus Aleppinus, Iosephus Farra Archiepiscopus Mardinensis, Iacobus Holas Archiepiscopus Amasiensis, sedis patriarchalis procurator, Stephanus Episcopus Adanensis. Unus defuit Michael Archiepiscopus Caesareensis, qui ut vicarius patriarchalis Tokatensem dioecesim administrabat: qui tamen litteras misit, ex quibus causae legitimae constarent absentiae suae, longitudo praesertim itineris et asperitas viarum.

Convenerunt itaque quatuor, quos indicavimus, electores die XXX. iunii in coenobium Bsommarii in Monte Libano, ubi consuetis adhibitis caeremoniis litterisque perlectis Archiepiscopi Caesareensis, ab aliis tribus Iacobus Holas Archiepiscopus Amasiensis proclamatus est Patriarcha, qui invitus licet, coactus est dignitatem accipere. Itaque, Amasiae Sede abdicata, Iacobi Petri Septimi nomen assumpsit.

Tum solemnis confectus est electionis seu postulationis actus, cui supradicti subscripserunt, ac duo seniores Coenobitae ad testimonium vocati. Intellectum est autem ex epistola Michaelis Archiepiscopi Caesareensis, quae tunc lecta est, ipsum quoque electioni assensum fuisse Archiepiscopi Amasiensis, cui subinde consuetus ritu nationis honor est habitus: cuius de electione regulariter facta itemque de probitate, zelo, prudentia ac doctrina, Franciscus Villardell Archiepiscopus Philippensis, Delegatus Apostolicus in Monte Libano, sollemne dedit testimonium: quarum ceteroqui virtutum idem electus, cum professor fuit in collegio ac deinde sedis patriarchalis procurator, se iam satis perspicuis commendaverat argumentis.

Non praetermisit postulatus Patriarcha litteras ad nos officiosissimas mittere electionis suae, confirmationem sacrique pallii honorem implorans, idemque per constitutum a se procuratorem nobis exhibuit a se subscriptam fidei catholicae professionem ad normam formulae ab Urbano VIII. praescriptae. Idem praestiterunt Episcopi rem, uti gesta est, referentes, nobisque supplicantes, ut actum sanctione nostra firmaremus.

Quae cum ita sint, S. Congregatio Propagandae Fidei, re considerata et sedulo perpensa, preces nobis exhibendas esse decrevit, ut nostra auctoritate Iacobum Holas Archiepiscopum Amasiensem, Iacobi Petri Septimi assumpto nomine, in Patriarcham Armenum Ciliciae confirmemus et sacri pallii honore decoremus. Nos igitur iudicavimus eiusdem Congregationis precibus annuere.

---

(1) Vide Ius vol. V., p. 289 *Cum nos hodie.*

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in Patriarcham Ciliciae Armenorum rite factam de persona praedicti Archiepiscopi Iacobi Holas, nunc Iacobi Petri, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae archiepiscopalis Amasiae, et transferimus ad patriarchalem praefatam ecclesiam, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem eius nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimetur.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Absoluto vero consistorio, sacerdos Ioannes Topus, Patriarchae procurator, sic Pontifici gratias egit:

Beatissime Pater,

Ad innumera et maxima beneficia, quibus, B. Pater, universam Armenorum nationem cumulasti, novum ac praeclarum quidem hodierna die additum est, cum partem illam, quae Ciliciae patriarchatu continetur, novo Pastore recreaveris.

Maxima profecto laetitia catholici illi inter infideles, haereticos et schismaticos misere adhuc degentes, perfundentur, statim ac acceperint Sanctitatem Tuam de ipsorum bono sollicitam, virum ab Episcopis electum in Patriarcham confirmasse, eique sacrum pallium de divi Petri corpore fuisse largitam.

Ipse vero Iacobus Petrus VII., licet probe cognoscat quam arduum ac laboriosum sibi munus imponatur, attamen illius voce recreatus, qui Christi Vicarius existit, et in eius voluntate penitus conquiescens, delato oneri se submittit et benignitatem tuam admiratur ac grato prosequitur animo.

Cum vero Christi mandato obsequi imprimis cupiat, qui in persona divi Petri tibi fratres confirmandos, et non modo agnos, sed et oves pascendas tradidit; illud enixe postulat ut consilio, monitis, auctoritate ipsum adiuves ac dirigas, ita enim in vinea Domini uberes fructus colligere datum erit.

Unum addam, Beatissime Pater, Iacobum Petrum, ceterosque Episcopos, clerum et integram nationem catholicae fidei, Sanctae huic Sedi et personae Beatitudinis Tuae impensissime adhaerere, aeternamque collati beneficii memoriam in ipsis esse mansuram.

X.

Cathedralem ecclesiam S. Salvatoris in America Centrali erigit (1).

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiae procuratio, quam imperscrutabili divinae Providentiae consilio, licet immerentes, gerimus, illud praecipue a nobis exigit ut nullum laboris ac sollicitudinis genus praetermittamus quominus dioecesibus per universum terrarum orbem iam constitutis idonei pastores praeficiantur ac novas ecclesias erigere novosque eisdem Episcopos assignare apostolica auctoritate curemus, ubi scilicet fidelium vel necessitas vel utilitas idipsum expostulare videatur. Succrescente siquidem vastissimis in regionibus incolarum numero, saepe contingit, ut cum iidem longo viarum intervallo eoque interdum difficillimo a proprio Pastore seiungantur, neque omnes oves suae fidei traditas ipse cognoscat neque ab illis cognoscatur. Quae profecto cum animo revolvamus, facere quidem non possumus quin summopere commoveamur malisque exinde manantibus, sane gravissimis, eo impensiori caritate occurramus, quo miserabiliorem eorundem fidelium conditionem lamentamur. Haec nobis assidua mente cogitantibus, qui summa rerum in ea Sancti Salvatoris provincia potiuntur, quae sita est ad occiduas Americae Centralis oras, suo aeque et christifidelium inibi degentium nomine humillimas preces obtulerunt, ut integrum territorium ex quo Sancti Salvatoris ditio modo resultat, ab archiepiscopali Guatimalensi ecclesia dismembrare novamque subinde dioecesim cum episcopali sede a Sancto Salvatore in America Centrali nuncupandam constituere ac proprium eidem Antistitem assignare apostolica auctoritate vellemus.

(1) Ex Cancellaria Episcopali S. Salvatoris.

Quam sane dismembrationem nedum opportunam, imo etiam necessariam, verum et ipsi Guatimalensi Archiepiscopo probatam fore dicebatur. Cum enim nullum, uti fertur, in praesentiarum emolumentum e ditione Sancti Salvatoris ipse percipiat, nullam neque proventuum iacturam faceret, dum alioquin magna curarum parte levaretur. Iam vero hodiernum vetustissimae dioecesis Guatimalensis territorium, ex ditione Guatimalensi atque ex altera superius memorata Sancti Salvatoris coalescit, si districtus excipiatur quem Peten appellant.

Ingens eiusmodi territorium oppida insimul et loca quatuorcentum ac triginta suo gremio complecti atque ab incolis supra decem centenis millibus frequentari perhibetur. Extant inibi paroeciae centum sexaginta quatuor, quae longo atque aspero plerumque intervallo ita invicem separantur, ut plurimorum sacerdotum labores et curas necessario requirant. Quod si mens advertatur ad praedictam Sancti Salvatoris ditionem, princeps eiusdem civitas ab archiepiscopatu Guatimalensi septuaginta distat leucas, eiusdem vero limites ad septem millia supra centum viginti quinque milliaria, uti vocant, quadrata, protenduntur, ubi quinquaginta quatuor paroeciae numerantur. Illud vero maxime dolendum est, quod in tota qua late patet Sancti Salvatoris provincia, vigintiquatuor dumtaxat presbyteri habeantur, ita ut dici haud sine lacrimis merito queat, messem quidem esse multam, operarios autem paucissimos. Hinc assequi unusquisque potest coniectura, quantum detrimenti ex tali sacrorum ministrorum inopia animarum salus patiatur. Accedit insuper quod nimia locorum distantia et gravissimis itinerum incommodis, nec non ingentibus eius archidioeceseos curis Guatimalensis Antistes praepeditur, quominus infra praefinitum tempus singulas paroecias praesens inviset atque Pastorem inter et oves, praesertim remotiores, ea communicatio intercedat, qua res facilius celeriusque absolvantur. In spem itaque ingressi sumus futurum, ut, nova episcopali ecclesia in memorato Sancti Salvatoris territorio constituta, Episcopus eidem praeficiendus, commissum sibi gregem propius inspiciens, eiusdem necessitatibus facilius occurrat, catholicae doctrinae depositum apud fideles oves sartum tectumque custodiat, atque efficacius illorum conversioni incumbat, quos adhuc errorum tenebris atque umbrae mortis obvolutos gravissime ingemiscimus. Haec sane aliaque rationum momenta a Gubernio Sancti Salvatoris per suum negotiorum gestorem consulto huc missum allata tanti profecto ponderis apud nos fuerunt, qui nihil antiquius habuimus, quam ut spirituali commodo ac bono christifidelium, in remotioribus etiam catholici orbis regionibus degentium, paterna caritate atque apostolica sollicitudine prospiceremus, cunctis matura deliberatione perpensis, porrectis supplicationibus obsecundantes, ex certa scientia ac apostolicae potestatis plenitudine, atque etiam motu proprio consensui eorum, quorum quomodocumque intersit, quatenus opus esset, derogantes sive supplentes, universum territorium quod hoc temporis momento obtinet Sancti Salvatoris provincia, eiusdem nominis extans in centrali Americae occidentalis parte, a Guatimalensi Archiepiscopatus dioecesi dividimus ac dismembramus, ibidemque omnes et singulas paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et alia quaecumque saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsan existant, insimulque utriusque sexus personas, habitatores et incolas, tam laicos quam clericos, presbyteros, beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate Archiepiscopi Guatimalensis pro tempore existentis, seu eius dioecesis Ordinarii, perpetuum pariter in modum eximimus et liberamus. Huiusmodi sic peracta dismembratione, divisione ac exemptione, eam civitatem a Sancto Salvatore in America Centrali nuncupatam, quae in ipsa eiusdem nominis provincia nedum caput est, verum etiam in opportuniore loco posita ac prae ceteris aptior et praestantior dignoscitur, civitatem episcopalem erigimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, oppidumque praefatum, sic in civitatem episcopalem erectum et institutum, frui volumus omnibus honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae pontificali sede insignitae civitates in America Centrali earumque cives utuntur atque fruuntur. Parochialem ecclesiam quae in praefato oppido Sancti Salvatoris, ut supra, in civitatem episcopalem erecto extat sub invocatione Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi, ad

honorem dignitatemque ecclesiae cathedralis, prisca tamen conservata parochialitate, mox evehimus atque extollimus, et in ea sedem cathedramque pontificalem pro uno deinceps Episcopo Sancti Salvatoris nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi inferius assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, nec non omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in America Centrali extantes earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus cathedrali Sancti Salvatoris ecclesiae hoc modo erectae, ut propria deinceps dioecesis tribuatur illius Antistiti universum ditionis Sancti Salvatoris territorium a Guatimalensi dioecesi, ut supra, avulsum et disiunctum, quod videlicet nunc conterminum est ad orientem cum sinu de Conchagua, ad occidentem cum flumine de Pax, ad septentrionem cum provincia Guatimalensi, ad austrum cum mari Pacifico nuncupato pro dioecesi novi episcopatus Sancti Salvatoris perenniter adiudicamus atque adsignamus; quod quidem territorium sic attributum et designatum ac in eo existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas, tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus et conditionis ordinariae novi pro tempore existentes Antistitis ecclesiae Sancti Salvatoris iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus et attribuimus. Ut autem futurus pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris suam, eo quod par est decore, valeat tueri dignitatem et Vicario generali curiaeque episcopali satis providere pro congrua interim dote perpetuo libereque ipsum percipere, uti frui volumus ea decimarum portione infra designanda, nec non ea quota quae dicitur Quarta Episcopalis, proindeque huiusmodi redditus eius mensae episcopali iugiter adscribimus atque attribuimus. Quod vero attinet ad fabricam novae cathedralis ecclesiae Sancti Salvatoris, eam similiter dotationem quae itidemque in altera supradictarum decimarum portione, ut infra, constabit, perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus. Proprias aedes pro futuri Episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decenti forma et commodo loco positas ac proximiores, quantum fieri poterit, ecclesiae cathedrali quamprimum assignari praecipimus; quae si modo dissepiant easque conduci oporteat, rationem habendam esse volumus pro illarum conductione solvenda.

Quod spectat ad erectionem capituli cathedralis, executioni diligenter ac rite ad praescriptum sacrorum Canonum mandandam fere iubemus; at vero capitulum ipsum haud secus erigi volumus, nisi confletur primitus ex una saltem dignitate ac tribus canonicis. Ad dotationem vero tum capituli, tum seminarii dioecesani, iam uti fuerunt existentes in dicta civitate Sancti Salvatoris, eam utrique in id perpetuo attribuimus atque respective adsignamus portionem in praedictis decimis eo quod sequitur modo: quandoquidem edictum est, dotationes pro mensa episcopali Sancti Salvatoris, pro capitulo cathedrali, pro fabrica et sacrario eiusdem cathedralis, nec non pro ecclesiastico clericorum seminario dioecesano constituendas esse in ecclesiasticis decimis libere, pacifice iugiterque colligendis intra limites ditionis praedictae Sancti Salvatoris; similiter decernimus, eas decimas perpetuo fideliterque dividi in decem omnino aequales portiones, quarum tres pro dotatione tribuantur et adiudicentur dictae mensae episcopali, tres alterae capitulo cathedrali inter eius membra prudenti arbitrio Episcopi dividendae, tres aliae seminario dioecesano, decima denique pars fabricae et sacrario cathedralis cedat. Verumtamen, quandocumque dictarum decimarum redditus ut supra divident, comperiantur impares pro congrua et decenti dotatione Episcopi, capituli et seminarii, habita circumstantiarum respective ratione, tum gubernium ditionis Sancti Salvatoris ex data fide teneri volumus usque ad opportunitatem et convenientiam dotationum earundem supplementum ex aere publico impertire.

Quum propter maximam in iis locis sacerdotum penuriam capitulum cathedrale in praesentiarum nequeat prorsus institui dotationem, ei, ut supra, praestitutam, interim et usque dum eiusdem capituli erectio effecta non fuerit, concedimus atque erogandam fore volumus ex prudenti eius Episcopi ordinarii arbitrio, partim ad sacram supellectilem satius comparandum in usum ipsius cathedralis, nec non ad decorem augendum, ut maiorem, quoad fieri poterit, splendorem ac dignitatem inibi cultus divinus praeseferat, partim vero in utilitatem seminarii dioecesani, sive pro commodiore eiusdem administratione atque incolumitate itidemque pro alendo educandoque inibi frequentiori numero ecclesiasticorum adolescentium, ut inde citius succrescat presbyterorum copia, quorum opera ecclesia illa maxime indiget. Donec autem contigerit novam ecclesiam Sancti Salvatoris carere capitulo cathedrali ea sede vacante, habita nimirum ratione longissimae distantiae inde ad metropolitanam sedem Guatimalensem intercedentis, ut expeditius maiorique commoditate absque ulla intermissione dioecesis Sancti Salvatoris administratio procedere valeat, eiusdem administratorem cum facultatibus competentibus de iure vel de legitima consuetudine futurum esse illum, qui Vicarii generalis munus Episcopi mox defuncti obierit; si autem nemo tempore obitus Episcopi extiterit Vicarius generalis, tum quoad vacantis ecclesiae procurationem servari volumus quae in id iure canonico praescribuntur. Tempore autem sedis vacantis medietatem reddituum eius mensae pro rata temporis vacationis attribuimus atque adiudicamus Vicario seu eius dioecesis administratori, uti supra, futuro; alteram vero medietatem servandam fore Episcopo successori praecipimus. Memoratam insuper Sancti Salvatoris ecclesiam, ut supra erectam, Archiepiscopo Guatimalensi metropolitico iuri subiicimus, eisque omnibus frui facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae Guatimalensi pertinent, volumus atque decernimus. Fructus autem eiusdem novae ecclesiae Sancti Salvatoris de more taxari ad florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte et huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi mandamus. Ut vero cuncta a nobis, ut supra, disposita rite ad suum perducantur effectum, dilecto filio Georgio de Viteri presbytero, in utroque iure doctori ac in praedicta Sancti Salvatoris ditione degenti, quem harum litterarum nostrarum exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse, per se vel aliam personam, in ecclesiastica dignitate constitutam, ab eo subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ut cuncta superius decreta ad exitum cumulate et rite perducantur atque etiam cum facultate ipsi exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi fines novae dioecesis Sancti Salvatoris ac mittendi ad hanc Apostolicam Sedem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar, authentica forma exaratum, decretorum omnium quae in earundem litterarum exequutionem emittet, ut in tabulario Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservetur. Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectos sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus praeterea, ut harum litterarum transumptis, etiam

impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnat. Dominicae MDCCCXLII., IV. kal. oct., pont. nostri anno XII.

XI.

Ecclesia episcopalis S. Salvatoris erigitur in basilicam minorem (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In sublimi Principis Apostolorum cathedra, nullis certe nostris promeritis, sed arcano divinae providentiae consilio collocati, ac propterea ecclesiarum omnium cura nobis a Domino commissa, continenter districti, illarum decori atque honori libentissime consulimus atque prospicimus. Exponendum nobis curavit ven. frater Georgius de Viteri hodiernus Episcopus novae episcopalis ecclesiae S. Salvatoris in America Centrali, eius in votis eamdem episcopalem ecclesiam basilicae minoris nomine ac iuribus honestari. Itaque supplici cum prece a nobis efflagitavit, ut huiusmodi honorificentiam illi ecclesiae concedere velimus.

Nos igitur piis eiusdem ven. fratris desideriis obsecundare ac illius ecclesiae decus augere cupientes, huiusmodi petitioni alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, commemoratam episcopalem ecclesiam S. Salvatoris in America Centrali in basilicam minorem hisce litteris, auctoritate nostra apostolica, perpetuo evehimus et constituimus cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae ecclesiae basilicae minores huiusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt et poterunt, atque eamdem ecclesiam basilicam appellari volumus et mandamus. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quoties opus fuerit, Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ae in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem ecclesiae etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die X. februarii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

XII.

Episcopo Iuliae Caesareae eiusque successoribus tribuitur in perpetuum facultas crucem ante se elevandi in dicta civitate eiusque dioecesi tantum, ad instar Archiepiscoporum (2).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices praecipuis honoribus et privilegiis eas potissimum ecclesias

---

(1) Ex Archivio Brevium. — (2) Ibid.

decorare consueverunt, quae insignibus catholicae religionis monumentis praestant. Neminem certe latet, inter plures insignes Africae regiones Iuliam Caesaream merito recenseri, quae vel ab ipsis christianae religionis exordiis Evangelii luce illustrata ac plurium Martyrum sanguine decorata, ipsum Augustinum, fulgidissimum Ecclesiae lumen, catholicae doctrinae praeconem habuisse gloriatur. Itaque summa animi nostri laetitia ea in urbe episcopalem sedem restituendam censuimus, ut Christi fides iterum in illis regionibus vigeret atque floresceret. Quum vero probe noscamus, miserantis Dei beneficio ac singulari ven. fratris Antonii Adulphi Dupuch Iuliae Caesareae Episcopi cura et studio catholicam religionem maiora in dies incrementa suscipere, tum novum nostrae benevolentiae testimonium eidem ecclesiae ac illius Antistiti tribuendum censuimus. Quare ipsum venerabilem a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum eidem Antonio Adulpho Episcopo eiusque in Iuliae Caesareae episcopatu successoribus in perpetuum facultatem facimus et indulgemus, ut ipse atque eius successores, in Iuliae Caesareae civitate et dioecesi dumtaxat, Crucem in quibusvis publicis privatisque functionibus ante se elevari et gestari facere libere possint et valeant. Haec concedimus et elargimus, volumus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere eidemque Antonio Adulpho Episcopo eiusque successoribus plenissime suffragari ac omnibus respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus, quoties opus fuerit, Bened. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Iuliae Caesareae ecclesiae, etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die IX. ianuarii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIII.

XIII.

Paroecia cathedralis Guayaquil reipublicae Equatore ***a decanatu dividitur, et in canonicatum erigitur*** (1).

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis muneris, quod in universum divinitus commissum est ad christifideles, ab hac Apostolica Sede longe disiunctos, pastorales curas protendentes, per apostolicas literas sub plumbo datas IV. kal. februarii an. MDCCCXXXVII. novam episcopalem sedem in istam Guayaquilensi civitate constituimus, in eaque cathedrale capitulum ereximus, sex constans praebendis, quamprimum fieri posset ad divini cultus splendorem augendis, nimirum duabus dignitatibus, decanatu scilicet, cui animarum curam adiunximus, et magistros scholae, duobus canonicatibus theologali ac poenitentiario ac duobus beneficiis maiori ac minori nuncupandis. Porro in iisdem apostolicis literis decrevimus, ut decanatus cum adnexa ac duo canonicatus, theologalis nempe ac poenitentiarius, per concursum deferrentur iuxta praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, utque praebendae reliquae sive erectae sive erigendae deferrentur, praevio examine vel alio experimento ab Episcopo Guayaquilensi designando. Iamvero tuo atque istius gubernii nomine ex-

---

(1) Ex Archivio Brevium.

positum nobis est quam maxime expedire, ut istius cathedralis paroecia a decanatu in perpetuum dividatur, tum ob exiguum praebendarum choralium numerum, tum vero etiam quod decanus parochi officio obeundo impeditus saepenumero choro abesse debeat; quare postulatum a nobis est ut paroecia a decanatus dignitate auauctoritate nostra apostolica in perpetuum dividamus. Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, extraordinariis Ecclesiae negotiis expediendis praepositorum, tibi, ven. frater, per praesentes eas partes committimus, ut auctoritate nostra apostolica parochi munus a decanatus dignitate in perpetuum dividas atque seiungas. Volumus autem et mandamus, ut, in collatione dictae cathedralis paroeciae, concursus adhibeatur iuxta Concilium Tridentinum; in conferenda autem decanatus dignitate examen praemittatur vel aliud experimentum ab Episcopo Guayaquilensi pro tempore existente designandum. Denique, tibi, ven. fr., per partes suademus atque inculcamus, ut ad ornandum parochiale munus memoratam istius cathedralis paroeciam in canonicatum curatum erigas atque constituas. Haec concedimus et mandamus, decernentes has litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, necnon memoratis nostris literis sub plumbo datis IV. kal. febr. anno MDCCCXXXVII. aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XI. aprilis MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

PIUS PAPA IX.

An. C. 1856

I.

Episcopo Thespiensi regimen et administrationem vicariatus apostolici Hu-pè committit.

Venerabili fratri Aloysio Coelestino Spelta Episcopo Thespiensi, administratori apostolico missionis Nankinensis,

PIUS PP. IX.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Cum per litteras nostras apostolicas, in simili forma brevis hoc ipso die datas, vicariatus Huquanensis divisionem in duos nempe de Hu-nan et de Hu-pé iamdiu de facto statutam a nobis, in iure quoque ac formaliter sanxerimus, ut una simul pastorali eorum vicariatuum regimini provideremus, attenta venerabilis fratris Aradensis Episcopi, cui memorata missio Huquanensis ante divisionem commissa fuerit, libera dimissione in manibus nostris facta et a nobis admissa, post deliberationem, quam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te, quem probatissimum iudicamus, oculos mentis nostrae pro regimine et administratione vicariatus de Hu-pé convertimus. Itaque te, venerabilis frater, a vinculo, quo administrationi missionis Nankinensis adstrictus tenebaris, de plenitudine nostrae potestatis solventes etc., de consilio eorumdem fratrum nostrorum, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, ad praedictum vicariatum apostolicum de Hu-pé transferimus, tibique regimen et administrationem illius tribuimus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis. Non obstantibus etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. aprilis MDCCCLVI., pontificatus nostri anno X.

An. C. 1856

II.

Episcopo Thespiensi, Vic. Ap. Hu-pè in Sinis, tribuitur facultas eligendi sibi coadiutorem cum iure futurae successionis.

Ven. fratri Aloysio Coelestino Spelta, Episcopo Thespiensi ac Vicario Ap. Hu-pè in Sinis,

PIUS PP. IX.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Exponendum curavisti nobis, te non modo ob tuam haud nimis firmam valetudinem et ob pastoralis muneris, quo fungeris, gravitatem, sed etiam ob persecutiones, iugiter istic in christianae religionis cultores saevientes, expedire iudicare, ut coadiutor cum iure futurae successionis et cum episcopali charactere tibi deputaretur: adeoque supplex a nobis petivisti, ut hac de re e nostra apostolica auctoritate opportune disponeremus. Nos igitur, ea re tota cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis mature perpensa, de eorumdem consilio, auctoritate nostra apostolica, per praesentes litteras tibi, ven. frater, potestatem facimus, ut pro necessitate et opportunitate inter tuos operarios evangelicos, quem ad id muneris vere idoneum et magis dignum in Domino iudicaveris, in coadiutorem tuum, cum iure futurae successionis, eligas, eumdemque a te sic electum nunc pro tunc Episcopum Magidan. in partibus infidelium renuntiamus, curam, regimen et administrationem illius ecclesiae in spiritualibus ac temporalibus ei plenarie committendo, indulgentes ipsi, ad praedictam ecclesiam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere ac personaliter residere minime teneatur; utque consecrationis munus, servatis servandis, a te vel, a quocumque Antistite huius S. Sedis gratiam et communionem habente, accitis et in hoc ei adsistenti-

bus duobus aliis Episcopis, similem huius S. Sedis gratiam et communionem habentibus, vel, si hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularibus, recipi libere et licite possit. Volumus autem, ut praedictus coadiutor sic electus in exercitio et administratione istius vicariatus, te vivente, nonnisi quantum et quatenus tu ordinaveris, se ingerere possit; quae vero hac in re tu illi mandaveris, omnino praestare et implere teneatur; utque omnes, ad quos spectat et pro tempore spectabit, eum ad officium coadiutoris et suo tempore ad illud Vicarii Apostolici de Hu-pé in Sinis eiusque liberum exercitium iuxta praesentes recipere et admittere, et in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto esse atque obedire teneantur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v. dec. MDCCCLVI., pontificatus nostri anno XI.

III.

Ludovico Napoleon III. Francorum imperatori, iuxta modum, concedit magnum eleemosynarium et castrenses cappellanos.

PIUS PP. IX.

ad perpetuam rei memoriam.

Quae supremi principes, studio religionis ducti, ad spirituale sui solatium postulant, ea de benignitate nostra apostolica solemus libenter elargiri. Itaque cum carissimus in Christo filius noster Ludovicus Napoleon III. Francorum imperator illustris a nobis petierit, ut ex auctoritate nostra apostolica magnus eleemosynarius, sive imperialis sacelli cappellanus maior, per nos constituatur, qui imperialis familiae et personarum eidem inservientium et quovis titulo addictarum in palatiis, sive domibus, et castris imperialibus degentium, spiritualem curam peculiariter gerat quemadmodum aliis summis principibus per decessores nostros Romanos Pontifices concessum est, nos, attenta serenissimi eiusdem imperatoris pietate et in Apostolicam Sedem obsequio, libenter ipsius votis adnuendum censuimus. Quamobrem certa scientia et matura deliberatione nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine decernimus ac statuimus ea quae sequuntur. Galliarum in imperio supremus erit eleemosynarius sive imperialis sacelli cappellanus maior inter Archiepiscopos et Episcopos ipsius imperii a serenissimo imperatore deligendus. Supremo eidem eleemosynario aderit etiam alter Episcopus pro iis, quae episcopalis Ordinis sunt, ipsius vice, si legitime impediatur, exercendis, nec non sacerdos, qui vicarii generalis partes et munus expleat. Item praesto erit presbyter secretarii munere fungens, et alter qui pro secretarii officium obeat. Porro duodecim ad summum erunt cappellani sacerdotes, qui in imperiali sacello Parisiis posito in palatio vulgo *les Tuilleries* rem divinam faciant sacrasque functiones peragant; denique octo circiter clerici, aliaeque eodem numero personae, quae dicto sacello inserviant. Iamvero supremus Galliarum eleemosynarius, sive imperialis sacelli cappellanus maior, pro tempore existens, ab omni ordinaria iurisdictione immunis atque exemptus erit, prout auctoritate nostra apostolica per has litteras eumdem eximimus atque huic Apostolicae Sedi immediate subiicimus ac subiectum declaramus. Quod si episcopalis sive archiepiscopalis ecclesiae regimini fuerit ipse praepositus, a residentiae praescripto iuxta canonicas sanctiones minime illum solutum volumus atque edicimus. Idem porro, quemadmodum Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii solent, vi apostolicae nostrae concessionis ordinariam iurisdictionem exercebit, tum in cappellanos aliosque omnes et singulos imperiali sacello addictos, tum in imperialem familiam aliasque omnes personas eidem actu inservientes vel addictas, ubicumque imperator eiusque imperialis aula versetur, nec non in personas omnes cuiusque ordinis, conditionis ac sexus, quae degant et commorentur in palatiis imperialibus tum Parisiensi, tum Versaliensi, tum in illo, quod extructum est apud S. Cloud, sive in aedibus imperialibus, quae sita sunt in locis a Fontainebleaux, Compiegne, Rambouillet, denique

(1) Vide Leonem XIII. *Quae catholico nomini.*

in castris imperialibus de Pau, de Biaritz, de Strasburg. Spectabit proinde memorato supremo eleemosynario cura et regimen celebrationis divinorum officiorum in sacello imperiali, nec non in omnibus et singulis memoratis palatiis sive aedibus sacerdotem rite probatum praeficere, qui parochialia munia suo nomine exerceat; ad ipsum pariter pertinebit personis sibi subiectis primam tonsuram conferre, eosdemque deinceps ad minores et sacros ordines SS. Canonum praescripta et apostolicarum constitutionum regulas promovere. Secus vero, datis testimonialibus litteris de cuiuscumque aetate, vita ac moribus, nec non de scientia ac titulo ordinationis ipsos ad alios Antistites, cum Apostolica Sede communionem habentes, remittere, rite ordinibus initiandum. Iamvero, cum supremus eleemosynarius seu cappellanus maior tum imperialis familiae, tum aliarum personarum superius descriptarum et sub tecto imperialium domorum habitantium, proprius ac legitimus parochus extet constitutus, ad ipsum pertinebit, natos ab iisdem personis et in memoratis locis infantes seu per se, seu per alios a se deputandos Sacerdotes, sacro baptismate lustrare eisdemque sacramentum confirmationis conferre; itemque sive per se, sive per alios presbyteros saeculares aut quorumvis Ordinum de suorum superiorum licentia regulares, praevio tamen examine ab ipso supremo eleemosynario rite probandos, omnium praedictarum personarum sacramentales confessiones excipere, eisdemque sacramenta etiam in mortis articulo ministrare, salva tamen facultate cuilibet ex memoratis personis proprium sibi confessarium eligendi ex presbyteris per eumdem supremum eleemosynarium, vel per alium Ordinarium, adprobatis. Insuper supremus idem eleemosynarius, vel alius sacerdos ab eo deputandus, matrimoniis celebrandis inter personas supra descriptas interesse debebit, servatis omnibus de iure servandis et a Concilio Tridentino expresse requisitis, si uterque contrahens praesignatis in locis commoretur; si vero mulier domicilium ibidem non habuerit, tunc denunciationes seu proclamationes fiant pro parte mulieris, et matrimonium celebretur in parochiali ecclesia, cuius intra fines mulier commoretur; si vero unus aut alter ex contrahentibus exteri sint, accepta prius per Ordinarium respectivum informatione ac decreto, quod licite inter eos matrimonium celebrari valeat, eidem matrimonio sive per se sive per alium sacerdotem a se deputandum intererit. Illius praeterea curae erit, ut baptizatorum parentumque, nec non compatrum et commatrum, itemque matrimonio iunctorum nomina describantur in libro, qui diligenter servandus erit, ut ad Ordinariorum seu partium postulationem fides seu attestationes in forma solita tradantur. Ad iurisdictionem quod attinet pro causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus a supremo eleemosynario exercendam, omnes et singulas huius generis lites et controversias, exceptis tamen causis haeresis aliisque per sacros canones et apostolicas constitutiones Summo Pontifici reservatis, contra dictos cappellanos aliasque commemoratas personas, extra tamen romanam curiam, tam motas quam movendas, supremus idem eleemosynarius, iuxta Sacrorum Canonum et apostolicarum constitutionum in prima instantia audire, cognoscere ac definire poterit; in ulterioribus vero instantiis causae praedictae ad hanc sedem cognoscendae ac definiendae deferentur. Insuper cappellani exercitus seu castrenses ad hoc officium nominati vel nominandi, donec militares copiae in quovis Gallici imperii territorio morentur, subditi existant respectivi Ordinarii iurisdictioni; temporibus vero, quibus militares copias extra Galliarum imperium ac territoria imperiali ditioni subiecta iter facere ac per aliquod temporis spatium morare contigerit, excepta semper alma urbe ac pontificia nostra ditione, supremus eleemosynarius necessarias atque extraordinarias facultates cappellanis castrensibus tribuet, quas hic recensemus, scilicet parochialia omnia sacramenta militaribus copiis ac personis omnibus illarum servitio pertinentibus administrandi, eosdemque milites atque officiales nec non reliquas memoratas personas a crimine haeresis atque apostasiae a fide et a quibuscumque illorum peccatis, criminibus, excessibus, etiam Episcopis et locorum Ordinariis ac etiam nobis et Apostolicae Sedi reservatis et reservari solitis, de quibus tamen ore confessi et corde contriti fuerint, absolvendi, salutari imposita poenitentia; commutandi, relaxandi, dispensandi et respective absolvendi, prout Episcopis et locorum Ordinariis iuxta sa-

cros canones id facere licet, quoad vota, iuramenta, irregularitates et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones et interdicta, nec non quoad omissionem omnium sive aliquarum ex denunciationibus, quae matrimoniis personarum ad praedictas copias pertinentium praemitti debent; itemque omnibus utriusque sexus personis, in militaribus copiis existentibus, licentiam impertiendi tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus ac diebus, quibus esus carnium, ovorum et lacticiniorum vetitus est, iisdem lacticiniis atque etiam carnibus, servataque forma ieiunii, quatenus pro locorum, temporum et personarum conditione fieri potest, utendi ac vescendi; insuper celebrandi missam hora una ante auroram, seu post meridiem, et, si cogat necessitas, etiam extra ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, et, gravissima insuper urgente necessitate, bis in die, si tamen sacerdos in priori missa ablutionem non sumpserit et ieiunus fuerit, nec non super altari portatili, et non integro sive aliqua ex parte fracto aut laeso, et sine Sanctorum reliquiis; denique, si aliter celebrari missa non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiae, etiam praesentibus haereticis atque excommunicatis; praeterea benedicendi vasa et paramenta sacra aliaque ad divinum cultum pro servitio earumdem militarium copiarum dumtaxat necessaria, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio est adhibenda; reconciliandi cappellas et coemeteria quomodolibet polluta, si ad locorum Ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per catholicum Antistitem benedicta, et, si magna urgeat necessitas, aqua etiam ab eodem non benedicta; celebrandi missam defunctorum pro anima illorum, qui in dictis copiis pie decesserint, cum privilegio, ut anima ipsa a poenis purgatorii per modum suffragii, si ita Deo placuerit, liberetur; denique concedendi omnibus et singulis christifidelibus, ad memoratas copias pertinentibus, in articulo mortis saltem contritis, si confiteri peccata nequeant, nec non in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis festis diebùs, vere tamen poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem. Volumus autem et praecipimus, ut supradictus supremus eleemosynarius seu maior cappellanus nulla alia praeterquam superiùs expressa iurisdictione, facultatibus, privilegiis indultisque supra designatis quoad loca, res, personas commemoratas uti ac frui valeat, non obstantibus, licet speciali mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Ad extremum, mandamus atque decernimus, has nostras litteras et singula in iisdem comprehensa nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu ex qualibet causa, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, verum perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, eumque in finem contrariis quibuscumque, iis etiam, quorum peculiaris et expressa mentio habenda esset, de apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine derogamus. Volumus praeterea atque mandamus, ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXXI. martii MDCCCLVII., pontificatus nostri anno XI.

IV.

***Primati Armeniorum Constantinopolis litteras refert a duobus vicariis foraneis, a 22 sacerdotibus ac permultis spectabilibus laicis armenii ritus acceptas, asserentibus se a schismate emersisse et pro fide catholica omnia perpeti paratos esse. Ei committit, ut illis pontificii de hac re animi laetitiam et sensus manifestet, eumque excitat ad eos fovendos ac maiora in fidei propagatione incrementa in dies curanda* (1).**

(1) Ex Reg. Epist. ad Principes etc. an. XIII.

Venerabili fratri Antonio
Archiep. Constantinopolitano Armeniorum,
Constantinopolim.

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Vehementer in Domino exultavimus, ven. frater, ubi hisce diebus obsequentissimae aeque ac iucundissimae ad nos pervenerunt literae, quibus duo vicarii foranei ac duo et viginti sacerdotes et permulti spectabiles laici homines armeni plurium istius tuae ecclesiasticae provinciae locorum nobis significant, se, divina adspirante gratia, ex funestissimo schismate emersisse atque, eiuratis erroribus, ad catholicae Ecclesiae gremium rediisse. Hinc luculentissimis verbis profitentur, nihil sibi potius esse quam firmiter credere ac tenere quidquid catholica docet ac tenet Ecclesia, et reiicere quidquid ab ipsa damnatur; itemque confirmant, se nihil antiquius habere, quam summa nos et hanc bmi Apostolorum Principis Cathedram, in qua Christus Dominus inexpugnabile Ecclesiae suae sanctae fundamentum posuit, summa observantia et veneratione prosequi, ac simul declarant se paratissimos esse pro catholica fide omnia perpeti ipsamque profundere vitam. Ubi primum haec, singulari animi nostri gaudio novimus, humillimas uberrimasque clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis egimus gratias, qui tot homines de tenebris in admirabile lumen suum vocare atque huiusmodi laetissimo sane eventu maximum gravissimis nostris curis levamen afferre est dignatus. Eumque enixe orare et obsecrare nunquam intermittemus, ut omnibus commemoratis hominibus coelestium donorum incrementa propitius semper largiatur, quorum subsidio iidem in catholicae veritatis professione quotidie magis stabiles et immoti persistant, alacrique pede instent viam quae ducit ad vitam, et alios omnes, quos ipsi habuere in errore socios, habere etiam possint in salutari conversione consortes.

§ 2. Nulla autem interposita mora, hanc libentissimo prorsus animo ad te scribimus epistolam, qua tibi, venerabilis frater, committimus, ut omnibus et singulis commemoratis ecclesiasticis viris, qui ad catholicam communionem nuper reversi quiqui tibi notissimi gratissimas ad nos dederunt literas, nostro nomine etiam atque etiam gratuleris eisque amplissimis amantissimisque verbis manifestes summam laetitiam et consolationem qua affecti fuimus, eosque certiores facias de praecipua paterna caritate, qua ipsos, veluti nobis carissimos in Christo filios, prosequimur, ac de apostolica benedictione quam cum omnis verae felicitatis voto coniunctam cuique eorum, intimo cordis affectu, amantissime impertimur. Iam vero, dum tibi de hoc tam fausto eventu ex animo congratulamus, plane non dubitamus, ven. frater, quin, tuam omnem in Deo spem collocans eiusque divino auxilio fretus, pergas maiore usque alacritate, studio et contentione tuas ommes curas, cogitationes, consilia, labores in id potissimum conferre, ut catholica Ecclesia eiusque salutaris doctrina in istius ecclesiasticae provinciae regionibus maiora in dies incrementa suscipiat ac vigeat, floreat ac dominetur, utque omnes miseri errantes, discussa mentis caligine, resipiscant ac veritatis lumen aspiciant et ad unicum Christi ovile redeant. Nos quidem haud omittimus divitem in misericordia Deum humiliter et impense precari, ut in abundantia divinae suae gratiae tibi semper propitius adesse velit tuisque pastoralibus curis et laboribus benedicat. Atque superni huius praesidii auspicem et certissimum pontificiae nostrae in te benevolentiae pignus apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, cunctisque clericis laicisque fidelibus, tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XVIII. oct. MDCCCLVIII., pontificatus nostri anno XIII.

V.

Respondet Patriarchae Armeniorum Ciliciae gratias agenti ob summam mille scutorum a Pontifice datam ad templum in oppido Marasc aedificandum, et nuncianti plurimos ex schismaticis illius oppidi ad Ecclesiam remeasse, eique animos addit, ut alios quoque ad unitatem revocet (1).

---

(1) Ex Reg. Epist. ad Principes etc. an. XIV.

Ven. fratri Gregorio Petro,
Patriarchae Ciliciae Armeniorum,
Montem Libanum.

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil erat cur tuis obsequentissimis literis, die XVII. proximi mensis novembris datis, gratias nobis ageres, ven. frater, quod Cardinali nostrae Congregationi Fidei Propagandae praefecto in mandatis dederimus, ut summam mille scutatorum romanae monetae tibi mitteret, quae in templum in oppido Marasc aedificandum est eroganda. Optatissimum enim nobis fuisset maiorem pecuniae vim tibi huius rei causa suppeditare, nisi tristissima temporum adiuncta impedivissent. Vehementer autem in Domino gavisi sumus, cum ex eisdem tuis literis noverimus, quamplurimos commemorati oppidi, divina adspirante gratia, ad catholicae Ecclesiae sinum rediisse. Quod quidem maximae consolationi nobis fuit inter gravissimas, quibus premimur, curas, angustias et amaritudines. Ac tibi addimus animos, ven. frater, ut, caelesti ope fretus, maiori usque alacritate et studio ministerium tuum implere pergas nullisque unquam curis, consiliis laboribusque parcas, ut omnes miseros errantes ad unicum Christi ovile reducas. Denique omnium caelestium munerum auspicem et praecipuae nostrae in te benevolentiae pignus apostolicam benedictionem toto cordis affectu tibi ipsi atque istis venn. fratribus sacrorum Antistitibus cunctisque clericis laicisque fidelibus tuae et illorum curae commissis, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. dec. MDCCCLIX., pontificatus nostri anno XIV.

VI.

Patriarchae Babylonensis eiusque Episcoporum observantiam erga Sedem Apostolicam laudat, ac respondet circa sensus de civili principatu Pontifici imminuto patefactos, eosque excitat ad populos instruendos de fallaciis et erroribus qui diffunduntur, et ad fidem Delegato Apostolico habendam, de quo iam ipsis S. Congregatio responderat (1).

Venn. fratribus Iosepho Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum, Petro Georgio Archiepiscopo Scleuviensi, Ignatio Episcopo Mardensi, Hieronymo Paulo Episcopo Zazirensi, Michaeli Episcopo Suvitensi,

PIUS PP. IX.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Libentissime vestras accepimus literas, die IV. proximi mensis iulii datas ac nuper nobis redditas, quibus, venn. fratres, singularem vestram erga nos et hanc Petri Cathedram, catholicae unitatis centrum omniumque ecclesiarum matrem et magistram, pietatem, amorem et observantiam luculenter profiteri summopere gloriamini. Ex eisdem autem literis novimus etiam quantus sit animi vestri dolor, luctus et indignatio propter iniquissimos ac plane sacrilegos ausus contra civilem nostrum et huius Apostolicae Sedis principatum beatique Petri patrimonium admissos ab infestissimis catholicae Ecclesiae eiusdemque Sedis hostibus, qui omnis iustitiae inimici iura quaeque divina et humana conculcare non reformidant. Grati nobis admodum fuere huiusmodi egregii vestri sensus amplissimis laudibus plane digni, ex quibus non leve solatium percepimus inter maximas gravissimasque nostras angustias et amaritudines. Pergite vero, venn. fratres, ardentiori usque studio una cum fidelibus curae vestrae commissis misericordiarum Deum sine intermissione orare et obsecrare, ut imperet ventis et mari et Ecclesiam suam sanctam a tot tantisque eripiat calamitatibus eamque a solis ortu usque ad occasum novis et splendidioribus exornet augeatque triumphis, ac nos adiuvet, roboret et consoletur in omni tribulatione nostra. Et quoniam haud ignoratis acerbissimum sane bellum quo luctuosis hisce temporibus divina nostra vexatur religio, idcirco, venn. fratres, caelesti auxilio freti, pro vestra pietate et episcopali zelo ne omittatis, omni cura studioque eiusdem religionis causam stre-

(1) Ex Reg. Epist. ad principes etc. an. XV.

nue defendere, vestri gregis incolumitati diligentissime prospicere, et multiplices inimicorum hominum fallacias detegere, errores refellere et coarguere ac tela retundere. Iam vero nostra Congregatio Fidei Propagandae praeposita congruum dedit responsum circa ea, quae de isto Apostolico Delegato significastis. Atque a vobis, venn. fratres, etiam atque etiam exposcimus, ut plenam in eodem Delegato velitis habere fiduciam, atque persuasissimum vobis sit, ipsum in vestro bono procurando omnem operam esse impensurum. Denique hanc etiam occasionem libenter amplectimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam nostram erga vos benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apostolicam benedictionem quam intimo cordis affectu vobis ipsis, venn. fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. sept. MDCCCLX., pontificatus nostri anno XV.

VII.

Queritur cum Episcopo Tiraspolensi quod Armeni eius dioecesis debita destituantur cura spirituali, illum adhortatur, ut sedulo studio ipsis opituletur, eosque per se vel per Suffraganeum visitet ac de eorum numero, parochis ac statu ad S. Sedem referat, ac simul fideles omnes eius curae concreditos in dies magis erudiat et confirmet (1).

Venerabili fratri Ferdinando, Episcopo Tiraspolensi,

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Magno animi nostri dolore certe novimus, catholicos armenii ritus fideles, in ista Tiraspolensi dioecesi degentes tuaeque pastorali curae ex octavi articuli conventionis commissos, spiritualibus auxiliis haud iuvari ea qua par est ratione, ita ut in aliquibus locis ipsi ignorent, te esse proprium legitimumque suum pastorem, et arbitrentur se ab hac Apostolica Sede esse desertos. Itaque pro apostolici nostri ministerii officio te hisce literis etiam atque etiam monemus, hortamur et excitamus, ven. frater, ut, gravissimi tui muneris debitum serio considerans in conspectu Domini, summa cura et industria eosdem catholicos armenios, tuae fidei traditos, divini verbi praeconio, Sacramentorum administratione pascere ac spiritualibus quibusque praesidiis iuvare et sempiternae eorum saluti diligentissime consulere studeas. Cum vero ad proprii gregis salutem procurandam eiusque mala avertenda pastoris oculi summam vim habere soleant, ne omittas ipsos Armenos tuis oculis sedulo inspicere ac praesens visitare. Si vero id per te agere minime potueris, tuum Episcopum suffraganeum ad illos invisendos mittas velimus, ut, eorum indigentiis diligenter inspectis rebusque omnibus perpensis, valeas opportuna inire consilia, quae ad maiorem eorumdem Armenorum fidelium spiritualem utilitatem conducant. Maxime autem optamus, ut accuratam de ipsis fidelibus Armenis, in ista tua dioecesi commorantibus, relationem nobis maiori, qua fieri potest, celeritate mittas, ac simul nos certiores diligenter facias de illorum numero, et significes quot sint eorum paroeciae et presbyteri, qui illis in sacro ministerio operam navant, et res omnes enarres quae ad ipsos fideles Armenios quovis modo possunt pertinere. Dum vero pastoralem tuam curam et sollicitudinem erga ipsos Armenios excitamus, a te etiam omni studio exposcimus, ven. frater, ut summa item cura universi tui gregis incolumitati dies noctesque sollicite advigiles illumque sanctissimis catholicae Fidei ac doctrinae praeceptionibus quotidie magis erudias et per gratiarum charismata confirmes atque ab venenatis pascuis arceas, ad salutaria propellas et ad salutis semitas reducas. Plane non dubitamus, quin hisce paternis nostris monitis, hortationibus et votis libentissime ac studiosissime obsequi velis, ven. frater, cum praesertim haud ignores, aeternum illum iudicem cuncta quae egeris quaeque omiseris, in illo ultimo iudicii die diligentissime ac subtilissime esse requisiturum, et unumquemque nostrum ex operum me-

(1) Ex Reg. Epist. ad principes etc. an. XV.

ritis probaturum. Interim vero divitem in misericordia Deum humiliter enixeque oramus, ut in abundantia divinae suae gratiae tibi semper propitius adesse velit, quo omnes ministerii tui partes sedulo implere et maiorem Dei eiusque sanctae Ecclesiae gloriam et animorum salutem magis in dies procurare queas. Ac superni huius praesidii auspicem et praecipuae paternae nostrae in te caritatis pignus apostolicam benedictionem toto cordis affectu tibi ipsi, ven. frater, cunctisque clericis laicisque fidelibus tuae curae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXII. aprilis MDCCCLXI., pontificatus nostri anno XV.

VIII.

Agens cum Patriarcha Melchitarum de plurimis schismaticis fidem catholicam amplectentibus, ei significat quae iusserit et aget ut conversi subsidio aliquo inventur, et congrue respondeatur Episcoporum litteris ad se missis; praecipit insuper, ut ab Episcopo Macario rationem petat pecuniae in Europa collectae, utpote quae expendenda sit in Ecclesiae graecae et redeuntium ad fidem utilitatem (1).

Venerabili fratri Clementi,
Patriarchae Antiochensi Melchitarum,

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Inter gravissimas, quibus undique premimur, acerbitates, summa certe consolatione affecti fuimus ubi tuas legimus literas, die XVII. proximi mensis iulii datas. Namque eisdem, ven. frater, significas plurimos ex variis istis regionibus, divina adspirante gratia, eiuratis funestissimi schismatis erroribus, ad catholicae Ecclesiae sinum rediisse, quos inter extitit dilectus filius sacerdos Ioannes Resk, qui egregiis, velut testaris, ingenii dotibus ornatus, suo exemplo plures ad catholicam veritatem profitendam reduxit. Itaque in humilitate cordis nostri maximas clementissimo misericordiarum et luminum Patri egimus gratias, atque ab ipso enixis precibus iugiter efflagitamus, ut divinae suae gratiae lumine omnium misere errantium mentes propitius illustrare velit, quo ipsi de schismate emergant et ad catholicae Ecclesiae gremium reverti properent atque festinent. Iam vero ad te pervenisse arbitramur nostram epistolam, venerabili fratri Gregorio Kuba Episcopo Emesensi iam inde a die XII. proximi mensis iunii scriptam, quam tibi misimus, ut illam ad eumdem venerabilem fratrem perferendam curares. Nunc autem scias velimus, ven. frater, nos iam in mandatis dedisse nostrae Congregationi Fidei Propagandae negotiis ecclesiarum ritus orientalis praepositae, ut aliquod subsidium mittat pro iis qui ad catholicam unitatem redierunt. Neque omittemus operi propagationis Fidei significare, nostris in votis omnino esse, ut eorumdem indigentiis aliqua pecuniae summa occurrat. Optamus autem, ut venerabilibus fratribus Gregorio Kuba Episcopo Emesensi, Basilio Episcopo Mariannensi (Zahale) et Meletio Episcopo Haeliopolitano manifestes, nos accepisse epistolam ab ipsis subscriptam et ad nos, die VIII. elapsi mensis iunii, datam, eamque tradidisse nostrae commemoratae Congregationi, ut, rebus omnibus accurate perpensis et ad nos relatis, congruum det responsum. Nunc vero cum sciamus, venerabilem fratrem Macarium Episcopum multam pecuniae vim in Europa collegisse, idcirco volumus, ut idem tibi rationem reddat, cum eadem pecunia in istarum Graeco-Melchitarum ecclesiarum utilitatem sit omnino eroganda. Aequum autem vel maxime est, ut aliqua eiusdem pecuniae pars in eorum auxilio impendatur, qui istic ad catholicae Ecclesiae gremium redeunt. Perge vero, ven. frater, maiore usque alacritate et vigilantia omnes tui muneris partes strenue implere ac maiorem Dei gloriam et animarum salutem procurare. Tibi autem persuade, nihil nobis gratius esse posse, quam ut ea praestemus, quae in maiorem istorum fidelium utilitatem cedere posse noverimus. Interim vero a Deo O. M. humiliter enixeque exposcimus, ut uberrima divinae suae gratiae dona super te propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves

---

(1) Ex Reg. Epist. ad principes etc. an. XVII.

tuae curae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem et praecipuae nostrae etc. apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XVIII. aug. MDCCCLXII., pontificatus nostri anno XVII.

IX.

Congaudet praefecto apostolico missionum Quan-tong, Quan-si et Hai-non, qui retulerat primum iecisse lapidem novi extruendi templi cum magna etiam infidelium frequentia, eique et missionariis animos adiicit ad fidem propagandam et fideles confirmandos (1).

Venerabili fratri Zephyrino, Episcopo Cybistrano, praefecto apost. Quan-tong, Quan-si et Hai-non,
Canton Chinae.

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ex tuis observantissimis et amantissimis litteris, anniversario die redeunte, quo episcopalem consecrationem a nobis accepisti, datis, non mediocri certe animi nostri consolatione intelleximus, te, ven. frater, solemnibus caeremoniis sacrum auspicalem posuisse lapidem aedificando istic templo ad honorem Omnipotentis Dei Salutaris nostri et ad invocandum ac laudandum nomen sanctum eius. Ac perlibenter quoque novimus, ad huiusmodi sacram caeremoniam maxima frequentia confluxisse non solum fideles istic degentes, verum etiam acatholicos et infideles ac ipsum pro-regem. Equidem, ven. frater, vehementer gaudemus istic aedificari domum Dei, ac futurum confidimus ut, ipso beneiuvante, quamprimum absolvatur templum idem, cuius fundamenta a te iacta fuerunt. Tibi autem de hac re summopere ex animo gratulamur, quae luculenter ostendit eximiam tuam religionem, pietatem ac sacerdotalem zelum in maiore Dei gloria promovenda. Perge, ven. frater, una cum tuis missionariis alacriore usque studio omnes tibi a nobis commissi muneris partes explere, ac nullis curis, consiliis laboribusque parcere unquam velis, ut fideles in sanctissimae nostrae religionis professione quotidie magis stabiles et immoti permaneant et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et miseri errantes ac sedentes in tenebris et umbra mortis, discussa mentis caligine ac depulsis erroribus, lumen catholicae fidei et religionis adspiciant et ad unicum Christi ovile confugiant. Nos quidem in humilitate cordis nostri divitem in misericordia Deum oramus et obsecramus, ut uberrima divinae suae gratiae dona super te et istos tuos missionarios propitius semper effundat ac tuis et eorum laboribus benedicat, quo istic omnes ad Deum vivum et verum et unicum Filium eius Iesum Christum Deum et Dominum nostrum convertantur et sanctam matrem catholicam Ecclesiam agnoscant. Atque horum auspicem et studiosissimae nostrae in te voluntatis pignus, apost. bened. peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII. maii MDCCCLXIV., pontificatus nostri anno XVIII.

X.

Reprobat scholarum ordinationes, quibus iuventutis institutionem ab Ecclesiae vigilantia amovent.

Venerabili fratri Hermanno,
Archiepiscopo Friburgensi in Brisgovia,

PIUS PP. IX.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum non sine maxima animi nostri aegritudine ex pluribus nunciis accepimus, in magno isto Badensi ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinationes, quae variis modis christianam iuventutis institutionem et educationem in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicae Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent, nihil dubitavimus, quin

(1) Ex Reg. Epist. ad principes etc. an. XVIII.

tu, venerabilis frater, pro eximio tuo in animarum salute curanda studio ac properspecta tua in Ecclesiae libertate eiusque iuribus tuendis, constantia fortiter iis omnibus obsisteres, quae vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt tuae litterae super hoc tanti momenti negotio ad nos datae et commentarius eisdem adiectus. Ac vehementer laetamur, cum videamus, te, venerabilis frater, licet aetate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare eadem illa fortitudine, qua in episcopalis tui ministerii decursu summopere praestitisti, ac nostras et huius Sanctae Sedis laudes merito optimoque iure tibi comparasti. Equidem inter maximas, quibus affligimur, acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus sacrorum Antistites eo maiore divinae suae gratiae auxilio roboret ad Christi Iesu gregem tuendum, quo graviora in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus damna inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

§ 2. Nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis institutionibus ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio eiusque salutaris doctrina amoveatur et saluberrima eius vis coangustetur ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate, cum maximo christianae civilisque reipublicae damno, undique maiorem in modum invalescere et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum veritates a Deo revelatae impudenter denegentur vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur eorumque cogitationes actionesque ad materialium fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis a divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, idcirco pravarum doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur, ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit et in humanae societatis instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem institutis arceant, et ipsa instituta pleno civilis politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita et ad volubilium aetatis opinionum rationem.

§ 3. Nihil vero mirum, si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare ac verum utilemque civitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam, sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae, pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota et impulsa, maximas tum privatis familiis tum reipublicae affert calamitates.

§ 4. At vero, cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio, seiuncta a catholica fide et ab Ecclesiae potestate, maximo sit

hominibus et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis ac de educatione curanda in scholis publicisque institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque honestatem et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum eiusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, idcirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem et vigilantiam prae ceteris educationis institutis sibi merito atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas, summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, educationem habeat, verum etiam cogeretur, omnes fideles monere eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

§ 5. Tibi autem, venerabilis frater, summopere gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae, quoad iuventutis institutionem educationemque firmiter inhaerens, tuo commentario omnibus opinionibus ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto magno Badarum ducatu propositae fuere circa popularium scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum nobis est, te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur et augetur. Summa vero afficimur consolatione, cum istius tuae dioecesis clerus suae vocationis et officii probe memor una tecum suam omnem in Ecclesiae eiusque catholici populi iuribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, propterea quod iste fidelis populus optime sentiens de catholica suae prolis educatione, nihil antiquius habeat, quam ut eadem proles omnino instituatur in scholis, quae a catholica dirigantur Ecclesia. Iam vero levantes oculos nostros ad Dominum Deum Nostrum, ab ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantia divinae suae gratiae tibi, venerabilis frater, et isti clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes, caelesti ope roborati, pro Ecclesiae suae sanctae causa sub tuo ductu strenue dimicare pergant. Atque superni huius praesidii auspicem, et peculiaris, qua te in Domino complectimur, benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam, tibi ipsi, venerabilis frater, cunctisque clericis laicisque fi-

delibus, tuae vigilantiae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV. iulii MDCCCLXIV., pontificatus nostri anno XIX.

XI.

Gratulatur quod Bulgarorum natio Rom. Ecclesiae unitatem cupiat.

Dilecto filio Raphaeli Popow presbytero administratori apostolico ecclesiae Bulgarorum unitae,

PIUS PP. IX.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Magnam animo nostro consolationem affert singulare studium, quo Bulgarorum natio erga catholicam fidem exardescit et ad pristinam cum Romana Ecclesia unitatem reverti satagit, a qua maiores sui misere desciverant. Quod potissimum studium ut, quantum cum Domino possumus, foveamus, nihil intentatum relinquimus quod spirituali eiusdem nationis consolationi et emolumento esse possit. Eo sane consilio selectos nationis illius oratores hic in alma urbe nostra humanissime excepimus et Iosephum Sokolski presbyterum, quem ecclesiae isti Bulgarorum unitae Apostolicum Vicarium constitueramus, nostris ipsis manibus Episcopum consecravimus. Ubi vero propter improvisam atque diuturnam huius Antistitis absentiam catholicos Bulgaros veluti gregem sine Pastore haerere intelleximus, primo eorumdem curam tum civilem tum spiritualem, probatissimis sive eiusdem sive alius nationis sacerdotibus, ad Bulgarorum tamen ritum traductis, committendam censuimus: deinde compertum habentes Bulgaris ipsis fore gratissimum, si a proprii ritus atque nationis Praesule regerentur, te dilecte fili in administratorem apostolicum iis praefecimus, facta tibi praeterea per apostolicas litteras, quas die XXVIII., martii huius vertentis anni ad te dedimus, facultate, ut pontificalia eisdem modo atque forma, quibus orientales Archimandritae uti consueverunt, exercere posses. Nunc autem animo reputantes utilius multo Bulgarorum genti fore, si, quo et sacras Bulgarorum ordinationes nec non reliqua episcopalis ordinis munia recepto apud eos ritu peragere valeas et nova auctus dignitate non solum nationi tuae, verum etiam exteris maiori sis in honore et reverentia, episcopali quoque charactere decorareris, omnibus rei momentis cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Congregationis Fidei Propagandae pro negotiis ritus orientalis expediendis sedulo perpensis, de eorumdem venn. fratrum consilio, te, dilecte fili, ad episcopalem dignitatem evehere constituimus. Quae cum ita sint, ab quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia te absolventes et absolutum fore censentes, te hisce literis Episcopum de apostolicae nostrae potestatis plenitudine eligimus, facimus, renunciamus, tibique omnia et singula iura et facultates tribuimus, quae episcopalis ordinis propriae sunt. Porro praecipimus atque mandamus, ut episcopalis consecrationis munus, emissa catholicae fidei professione iuxta formam ab Urbano VIII. praedecessore nostro rec. me. praefinitam, a tribus Episcopis ritus orientalis, gratiam et communionem habentibus cum hac S. Sede Apostolica, suscipere tenearis, utque in tuo administratoris apostolici munere obeundo, a Vicario Apostolico patriarchali constantinopolitano dependentia firma iugiter maneat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Bulgarorum unitae etiam iuramento firmatis, ceterisque contrariis quibuscumque (1).

Datum in Arce Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die IV. augusti MDCCCLXV., pontificatus nostri anno XX.

XII.

Respondit Episcopis Angliae laetantibus, quod per supremam Inquisitionem declaraverit ad Ecclesiam non pertinere qui primatum R. Pontificis non profitentur et quod primum iecerit lapidem ad templum S. Thomae in Urbe a rui-

---

(1) Decretum Congr. *Cum gens Bulgarorum* diei XVI. martii h. a. vide in secunda parte.

nis excitandum, ab eisque sperat studium in dies ardentius ad profligandos errores et populos excolendos (1).

Venn. fratribus Henrico Eduardo Archiepiscopo Westmonasteriensi aliisque Angliae Episcopis, eius suffraganeis,

Westmonesterium.

PIUS PP. IX.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Vehementer delectati sumus vestris litteris, intimo erga nos et hanc Apostolicam Sedem pietatis et observantiae sensu conscriptis ac die XI. proximi mensis aprilis datis. Namque eisdem litteris, venn. fratres, una cum isto vestro clero et fidelibus, vigilantiae vestrae commissis, maximas nobis agitis gratias ob paternam pietatem qua usi sumus erga miseros illos, qui a veritate aberrantes ac funestissimi tum Photiani tum Anglicani schismatis sectatores, perperam comminiscuntur et confingunt, se cum catholica Ecclesia communionem habere posse, cum extra ipsius Ecclesiae unitatem omnino sint. Atque etiam significatis, cum summa laetitia a vobis exceptas fuisse epistolas die XVI. septembris MDCCCLXIV. et VIII. novembris MDCCCLXV. S. Officii iussu nostro exaratas, ex quibus clare aperteque cognoscitur, neminem posse ad veram Christi Ecclesiam pertinere, nisi plena animi cordisque subiectione et aperta oris confessione huic Petri Cathedrae Romanoque Pontifici firmiter adhaereat, qui, tamquam Petri successor, ab ipso Christo Domino totius Ecclesiae caput centrumque unitatis ac Princeps divinitus est constitutus cum suprema potestate pascendi agnos et oves. Faxit Deus, venn. fratres, ut miseri errantes, suis eiuratis erroribus, et catholicae veritatis lucem adspiciant et ad unicum Christi ovile confugiant. Nos quidem haud omittimus dies noctesque id a misericordiarum Patre humillimis ac ferventissimis precibus exposcere ac huius rei causa potentissimum Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis patrocinium etiam atque etiam implorare. Iam vero ex aliis vestris litteris eodem die XI. commemorati mensis aprilis datis libentissime agnovimus, summo vos gaudio affectos fuisse, quod nos sacrum auspicalem lapidem ad excitandum e ruinis templum hic in urbe dicatum clarissimo Antistiti S. Thomae Cantuariensi, qui pro catholica Ecclesia strenue decertavit et glorioso sanguine effuso martyrii palmam est adeptus. Et quoniam vehementer gratulamini sollicitudinem qua, pro gravissimo supremi apostolici nostri ministerii officio, tot pestiferos huius praesertim infelicis nostrae aetatis errores damnavimus ac proscripsimus, idcirco certi sumus, vos, venn. fratres, pro eximia pietate et episcopali zelo omnes pastoralis muneris partes sedulo explentes, nihil unquam intentatum esse relicturos, quo sanctissimae nostrae fidei ac religionis eiusque salutaris doctrinae causam luctuosissimis hisce temporibus quotidie magis tueri, defendere ac vestrorum fidelium saluti consulere et nefarias adversariorum insidias detegere ac monstrosa eorum opinionum portenta profligare possitis. Denique vobis persuasissimum sit, praecipuam esse, qua vos in Domino complectimur benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apost. benedictionem etc., quam ex intimo etc. vobis etc. cunctisque etc. cuiusque vestrum curae etc. peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXXI. maii MDCCCLXVI., pontificatus nostri anno XX.

XIII.

R. P. D. Petrus Hattar Diarbekiriensi et R. P. D. Gabriel Farso Mardinensi Chaldaeorum ecclesiis praeficiuntur.

Dilecto filio Petro Attar,
presbytero Chaldaeo,

PIUS PP. IX.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Supremi Apostolatus officium, humilitati nostrae in persona b̄m̄i Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino commissum, illud in primis postulat, ut

(1) Ex Reg. Epist. ad principes etc. an. XX.

singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa, cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in consistoriali allocutione habita IV. idus iulias anni MDCCCLXVII., quam in nostra constitutione, quae incipit *Reversurus*, edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque orientalis ritus patriarchatibus nos quamprimum fore moderaturos.

§ 2. Quae omnia ven. frater Iosephus Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum, ad quem acta praedicti consistorii, una cum memorata constitutione a Congregatione nostra de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis, fuerant transmissa, omni obsequio excepit. Cum enim, posthabitis longaevae aetatis ac difficillimae regionis incommodis, in Curdistaniae montes tunc divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit ven. fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut nobis nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum, quidquid pro Chaldaicae ecclesiae bono nobis constituendum videretur: quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac sedem Mausilien. seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie kalendas augusti superioris anni, aperte declaravit, se quoad certas regulas, in Episcoporum electione constituendas, minime dissentire a voluntate nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur; quinimmo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine instituto, reformentur; et ad hunc finem perspicuae leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudicaremus, iidem, nedum Amidenae seu Diarbekiren. Ecclesiae anno ante vacanti, verum et Mardensi, quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maximae profecto consolationi nobis fuere, magnumque solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt; quandoquidem et eximium praedicti ven. fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate et singularem erga nos fidem ac devotionem praeseferebant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum ecclesia reflloresceret. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus; neque operam nostram, quod et nobis et praedecessoribus nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium ecclesiarum ordinatione constituenda unquam desiderari patiemur.

§ 3. Cum itaque archiepiscopalis ecclesia Amidena seu Diarbekiren. Chaldaeorum, ad quam regendam apostolicis nostris litteris datis pridie idus ianuarias an. MDCCCXLVII. ven. frater Petrus Georgius de Natale a Geziren. Chaldaeorum sede fuerat translatus, vacaverit et vacet in praesens per mortem eiusdem Petri Georgii, qui supremum diem obiit in Albana dioecesi suburbicaria, cumque praefatus ven. fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes, quos illi dioecesi gubernandae idoneos existimavit, uti superius relatum est, nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis. Quorum audita relatione mentem animumque nostrum ad te convertimus, quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo aliisque necessariis dotibus praeditum idem ven. fr. Patriarcha nobis una cum aliis proposuit. Quapropter te a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium praefatae archiepiscopali ecclesiae Amidenae seu Diarbekiren. Chaldaeorum apostolica auctoritate praeficimus, eiusdemque ecclesiae curam, regimen et ad-

ministrationem in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus.

§ 4. Volumus autem, ut a praefato ven. fr. Iosepho Patriarcha vel ab alio Antistite ab eo specialiter designando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Chaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac districte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae, iuxta formam ab Urbano VIII. praedecessore nostro praefinitam, una cum iuramento obedientiae et fidelitatis nobis ac successoribus nostris debitae, in manibus memorati ven. fr. Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris, non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, noveris te, una cum Antistite, qui te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem nostram et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum; teque insuper a pontificalis officii exercitio, nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali ecclesiae tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a te sic emissae et iuramenti a te praestiti authenticum exemplar tua manu signatum, memorati ven. fr. Patriarchae subscriptione roboratum vestrisque sigillis munitum ad nos quantocitius mitti iubemus per ven. fr. Nicolaum Archiepiscopum Martianopolitanum, nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistania atque in Perside Delegatum.

§ 5. Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum tibi onus cum gratia nostrae benedictionis alacriter suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in tua dioecesi iuxta sacros canones personaliter et assidue residens, catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare ceterasque gravissimi tui ministerii partes accuratissime implere studeas. Imprimis vero omnem curam impendas, quo universi fideles tuae curae concrediti, sublata qualibet contentione et aemulatione, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, et pax Christi exultet in cordibus eorum. Et quoniam administratio quorumdam ecclesiasticorum bonorum occasionem simultatibus et contentionibus praebuisse dignoscitur, idcirco huic negotio rite procurando iussimus a memorata nostra Congregatione opportunas tibi dari instructiones et mandata.

§ 6. Denique praecipimus tibi ac districte mandamus, ut venerabili fratri Iosepho Patriarchae eiusque successoribus ab hac Apostolica Sede confirmatis, canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas: clero autem et populo istius tuae dioecesis Amiden. Chaldaeorum expresse mandamus, ut te uti legitimum suum pastorem devote suscipiant debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

§ 7. Haec volumus, decernimus atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXII. martii MDCCCLXIX., pontificatus nostri anno XXIII.

XIV.

De eadem electione.

Dilecto filio Gabrieli Farso, presbytero Chaldaeo,

PIUS PP. IX.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Supremi Apostolatus officium, humilitati nostrae in persona bmi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino commissum, illud in primis postulat, ut singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa, cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in consistoriali allocutione habita IV. idus iulias an. MDCCCLXVII., quam in nostra constitutione, quae incipit *Reversurus*, edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque orientalis ritus patriarchatibus nos quamprimum fore moderaturos.

§ 2. Quae omnia ven. frater Iosephus Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum, ad quem Acta praedicti consistorii, una cum memorata constitutione a Congregatione nostra de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis fuerant transmissa, omni obsequio excepit. Cum enim posthabitis longaevae aetatis ac difficillimae regionis incommodis, in Curdistaniae montes tunc divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit ven. fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut nobis nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum quidquid pro Chaldaicae ecclesiae bono nobis constituendum videretur: quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac sedem Mausilien. seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie kalendas augusti superioris anni, aperte declaravit, se quoad certas regulas, in Episcoporum electione constituendas, minime dissentire a voluntate nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur; quin immo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine instituto, reformentur; et ad hunc finem praecipuae leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudicaremus, iidem, nedum Amidenae seu Diarbekiren. ecclesiae anno ante vacanti, verum et Mardensi, quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maximae profecto consolationi nobis fuere, magnumque solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt: quandoquidem et eximium praedicti ven. fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate et singularem erga nos fidem ac devotionem praeseferebant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum ecclesia refloresceret. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus; neque operam nostram, quod et nobis et praedecessoribus nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium ecclesiarum ordinatione constituenda unquam desiderari patiemur.

§ 3. Cum itaque episcopalis ecclesia Mardensis Chaldaeorum, per obitum ven. fr. Ignatii Decstu, ultimi eiusdem Episcopi, vacaverit et vacet in praesens, cumque praefatus ven. fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes quos illi dioecesi gubernandae idoneos aestimavit, uti superius relatum est, nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis. Quorum audita sententia, mentem animumque nostrum ad te convertimus, quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo aliisque necessariis dotibus praeditum idem ven. fr. Patriarcha nobis una cum aliis proposuit, quique nuper apostolici visitatoris munere in eadem Amidensi civitate solerter defunctus fuisti. Quapropter te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefatae episcopali ecclesiae Mardensi Chaldaeorum apostolica auctoritate praeficimus, eiusdemque Ecclesiae curam, regimen et administrationem in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committimus.

§ 4. Volumus autem, ut a praefato ven. fr. Iosepho Patriarcha vel ab alio Antistite ab eo specialiter designando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Chaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac districte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae, iuxta formam ab Urbano VIII. praedecessore nostro praefinitam, una cum iuramento obedientiae et fidelitatis nobis ac successoribus nostris debitae, in manibus memorati ven. fratris

Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris, non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, noveris te, una cum Antistite, qui te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem nostram et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum; teque insuper a pontificalis officii exercitio, nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali ecclesiae tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a te sic emissae et iuramenti a te praestiti authenticum exemplar tua manu signatum, memorati ven. fr. Patriarchae subscriptione roboratum, vestrisque sigillis munitum, ad nos quanto citius mitti iubemus per ven. fr. Nicolaum Archiepiscopum Martianopolitanum, nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistania atque in Perside Delegatum.

§ 5. Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum tibi onus cum gratia nostrae benedictionis alacriter suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in tua dioecesi iuxta sacros canones personaliter et assidue residens, catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare ceterasque gravissimi tui ministerii partes accuratissime implere studeas.

§ 6. Denique praecipimus tibi ac districte mandamus, ut ven. fr. Iosepho Patriarchae eiusque successoribus, ab hac Apostolica Sede confirmatis, canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas: clero autem et populo istius tuae dioecesis Mardensis Chaldaeorum expresse mandamus, ut te uti legitimum suum pastorem devote suscipiant debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

§ 7. Haec volumus, decernimus atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XXII. martii MDCCCLXIX., pontificatus nostri anno XXIII.

APPENDIX I.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI

ORIENTALIBUS ET LATINIS PRAESCRIPTA (1)

IN LINGUA GRAECA

Εγὼ
κραταιᾷ πίστει πιστεύω τε καὶ ὁμολογῶ ἅπαντα καὶ καθέκαστα τὰ περιεχόμενα ἐν τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως, ὅτῳ ἡ ἁγία Ῥωμαϊκὴ Ἐκκλησία χρῆται, ἤτοι·

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε

Ego
firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visi-

---

(1) Primo volumine *Iuris* (pag. 227) iam relata inspicitur forma professionis orthodoxae fidei ab Urbano VIII. praescripta Orientalibus: quam igitur hic vides impressam, exemplar est illius, quae post Conc. Vatic. recte ac iure concinnata fuit, et qua nunc Antistites, suae quisque nationis lingua, uti debent.

Pro historia autem additur professio orthodoxae fidei a Graecis emittenda SS. D. N. Gregorii XIII. iussu. (Confer postremae notulae verba pag. 232, vol. I. Iuris et Innoc. IV. const. *Sub catholicae*).

« Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

§ 1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

§ 2. Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica synodus Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione, procedit, cum id quod sancti doctores Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est; illamque verborum illorum *Filioque* explicationem, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

§ 3. Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem.

§ 4. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae istituta. Illorumque animas, qui, post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

§ 5. Item, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et ve-

πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ· τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος Ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς Παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. Σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. Καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, τὸ Κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν Προφητῶν. Εἰς Μίαν, Ἁγίαν, Καθολικὴν καὶ Ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν. Ὁμολογῶ ἓν Βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Προσδοκῶ ἀνά-

bilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas: et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et

---

rum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

§ 6. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis synodi Tridentinae, sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur.

§ 7. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

§ 8. Item, sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

§ 9. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium: illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

§ 10. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

§ 11. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosanta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

§ 12. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate, D. N. Iesu Christi: fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

§ 13. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

§ 14. Constanter teneo purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

§ 15. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

§ 16. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

§ 17. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

§ 18. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosanta Tridentina synodo, tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia et schismata atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, anathematizo et abiuro.

§ 19. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo.

§ 20. Voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

στασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

Ἔτι πιστεύω καὶ ἀποδέχομαι καὶ ὁμολογῶ πάντα τὰ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς οἰκουμενικῆς ἐν Φλορεντίᾳ Συνόδου περὶ τῆς δυτικῆς τε καὶ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ἑνώσεως ὁρισθέντα τε καὶ δηλωθέντα, ἤγουν, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἀϊδίως ἐστί· καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι ἔχει ἐκ τοῦ Πατρὸς ἅμα καὶ τοῦ Υἱοῦ· καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως, ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται· ἐπειδήπερ ὃ οἱ Ἅγιοι Διδάσκαλοι καὶ Πατέρες, ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐκπορεύεσθαι λέγουσιν, εἰς ταύτην φέρει τὴν ἔννοιαν, ὥστε διὰ τούτων δηλοῦσθαι καὶ τὸν Υἱὸν εἶναι κατὰ μὲν τοὺς Γραικοὺς αἰτίαν, κατὰ δὲ τοὺς Λατίνους ἀρχὴν τῆς τοῦ Ἁγίου Πνεύματος ὑπάρξεως, ὥσπερ καὶ τὸν Πατέρα· καὶ ἐπεὶ πάντα ὅσα ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, αὐτὸς ὁ Πατὴρ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ Υἱῷ ἐν τῷ γεννᾷν δέδωκε, πλὴν τοῦ εἶναι Πατέρα, τοῦτο αὐτὸ ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, αὐτὸς ὁ Υἱὸς παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀϊδίως ἔχει, ἀφ' οὗ ἀϊδίως καὶ γεγέννηται· καὶ τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν, τὴν καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνισθῆναι, καὶ ἀνάγκης τότε ἐπικειμένης, θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι.

Ἔτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς· τούς τε ἱερεῖς ἐν θατέρῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ὀφείλειν τελεῖν, ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας Ἐκκλησίας, εἴτε δυτικῆς εἴτε ἀνατολικῆς, συνήθειαν.

Ἔτι ἐὰν οἱ ἀληθῶς μετανοήσαντες ἀποθάνωσιν ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἀγάπῃ, πρὶν τοῖς ἀξίοις τῆς μετανοίας καρποῖς ἱκανοποιῆσαι περὶ τῶν ἡμαρτημένων ὁμοῦ καὶ ἠμελημένων, τὰς τούτων ψυχὰς καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι μετὰ θάνατον· ὥστε δὲ ἀποκουφίζεσθαι αὐτὰς τῶν τοιούτων τιμωριῶν, λυσιτελεῖν αὐταῖς τὰς τῶν ζώντων πιστῶν ἐπικουρίας, δηλονότι τὰς ἱερὰς θυσίας, καὶ εὐχὰς, καὶ ἐλεημοσύνας, καὶ τἄλλα τῆς εὐσεβείας ἔργα, ἅ τινα παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν εἴωθε γίνεσθαι κατὰ τὰ τῆς Ἐκκλησίας διατάγματα· ἐκείνων δὲ τὰς ψυχὰς, οἵτινες μετὰ τὸ βαπτισθῆναι οὐδεμιᾷ ὅλως τῆς ἁμαρτίας κηλῖδι ὑπέπεσον, ἢ ἔτι τὰς μετὰ τὸ ἐφελκύσασθαι τὴν τῆς ἁμαρτίας κηλῖδα, εἴτε ἐν τοῖς αὐτῶν σώμασιν εἴτε μετὰ τὸ τὰ σώματα ἀποδύσασθαι, ὡς προείρηται, καθαρθείσας, εἰς οὐρανὸν εὐθὺς προσλαμβάνεσθαι, καὶ καθαρῶς θεωρεῖν αὐτὸν τὸν ἕνα καὶ τρισυπόστατον Θεὸν καθώς ἐστιν, ἕτερον μέντοι ἑτέρου τελεώτερον κατὰ τὴν τῶν βεβιωμένων ἀξίαν· τὰς δὲ ψυχὰς τῶν ἐν τῇ κατ' ἐνέργειαν

expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definivit, et declaravit, videlicet: quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est; et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio; et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione, procedit; cum id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem; cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum ***Filioque*** explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem.

Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari; et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt,

θανασίμῳ ἁμαρτίᾳ, ἢ καὶ ἐν μόνῃ τῇ προπατορικῇ ἀποβιούντων, εὐθέως καταβαίνειν εἰς ᾅδην, τιμωρίαις ὅμως ἀνίσοις τιμωρηθησομένας.

Ἔτι τὴν ἁγίαν Ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν Ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν Ῥωμαϊκὸν Ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς Ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν Πατέρα καὶ Διδάσκαλον ὑπάρχειν· καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, καὶ διιθύνειν, καὶ κυβερνᾷν τὴν Καθολικὴν Ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι· καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.

Προσέτι ὁμολογῶ καὶ προσδέχομαι τἄλλα πάντα, ἅτινα ἐκ τῶν δογμάτων τῆς ἱερᾶς καὶ οἰκουμενικῆς Τριδεντίνης Συνόδου, ἡ ἁγία καὶ ἱερὰ Ῥωμαϊκὴ καὶ Ἀποστολικὴ Ἐκκλησία πρὸς τοῖς ἐν τῷ ἐπάνω εἰρημένῳ συμβόλῳ κατεχομένοις, ὁμολογηθῆναι καὶ ἀποδεχθῆναι προέθηκε καὶ διώρισεν, ὡς ἕπεται.

Τὰς Ἀποστολικὰς καὶ ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις, καὶ τὰς λοιπὰς τῆς αὐτῆς Ἐκκλησίας διαταγὰς ἰσχυρότατα ἀποδέχομαι καὶ ἀσπάζομαι.

Ἔτι τὴν Θείαν Γραφὴν κατ' ἐκεῖνον τὸν νοῦν, ὃν ἐκράτησε καὶ κρατεῖ ἡ ἁγία μήτηρ Ἐκκλησία, ἧς τινός ἐστι διακρῖναι περὶ τῆς ἀληθινῆς ἐννοίας καὶ ἑρμηνείας τῶν Θείων Γραφῶν, ἀποδέχομαι· καὶ αὐτὴν οὐδέποτε εἰ μὴ κατὰ τὴν ὁμόθυμον συμφωνίαν τῶν Πατέρων λήψομαί τε καὶ ἑρμηνεύσω.

Καὶ πάλιν ὁμολογῶ ἑπτὰ εἶναι ὄντως καὶ ἰδίως τὰ τοῦ καινοῦ νόμου μυστήρια, τὰ ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διατεταγμένα εἰς σωτηρίαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους, κἂν οὐ πάντα καθεκάστοις ἀναγκαῖα, τὸ Βάπτισμα, τὸ Χρίσμα, τὴν Εὐχαριστίαν, τὴν Μετάνοιαν, τὸ Εὐχέλαιον, τὴν Χειροτονίαν, καὶ τὸν Γάμον, καὶ ταῦτα χάριν παρέχειν· τούτων δὲ τὸ Βάπτισμα, τὸ Χρίσμα, καὶ τὴν Χειροτονίαν χωρὶς ἱεροσυλίας δευτερῶσαι οὐ θέμις.

Ἔτι τοὺς ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἀποδεχθέντας καὶ ἐπικυρωθέντας θεσμοὺς, ἐν τῇ πάντων τῶν προλεχθέντων μυστηρίων ἐπισήμῳ τελετουργίᾳ, προσίεμαι καὶ ἀποδέχομαι.

Ἅπαντα καὶ καθέκαστα τὰ περὶ τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας, καὶ δικαιώσεως, ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ Τριδεντίνῃ Συνόδῳ διορισθέντα δέχομαι καὶ ἀσπάζομαι.

Ὁμοίως ὁμολογῶ ἐν τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ προσ-

mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae, ex decretis sacrae oecumenicae generalis Synodi Tridentinae, sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur:

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item, sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie sacramenta novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in missa offerri Deo

φέρεσθαι τῷ Θεῷ τὴν ἀληθινὴν, καὶ οἰκείαν, καὶ ἱλαστήριον θυσίαν ὑπὲρ ζώντων καὶ νεκρῶν, καὶ ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ τῆς Εὐχαριστίας μυστηρίῳ ὑπάρχειν ἀληθῶς, ὄντως καὶ οὐσιωδῶς τὸ σῶμα τὸ αἷμα μετὰ τῆς ψυχῆς καὶ θεότητος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὅλην μὲν τὴν τοῦ ἄρτου οὐσίαν εἰς τὸ σῶμα, καὶ ὅλην τὴν οὐσίαν τοῦ οἴνου εἰς τὸ αἷμα μεταβάλλεσθαι, ἣν μεταβολὴν ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία μετουσίωσιν ὀνομάζει.

Καὶ πάλιν ὁμολογῶ ἐπὶ θατέρῳ μόνον εἴδει ὅλον καὶ τέλειον τὸν Χριστὸν, καὶ τὸ ἀληθινὸν μυστήριον λαμβάνεσθαι.

Βεβαίως κρατῶ τὸ πῦρ τὸ καθαρτήριον ὑπάρχειν, καὶ τὰς ψυχὰς τὰς ἐν αὐτῷ κατεχομένας ταῖς τῶν πιστῶν ἐπικουρίαις ὠφελεῖσθαι. Ὁμοίως τοὺς Ἁγίους μετὰ τοῦ Χριστοῦ βασιλεύοντας, τιμητέους τε καὶ ἐπικλητέους· αὐτούς τε ὑπὲρ ἡμῶν εὐχὰς τῷ Θεῷ προσφέρειν· τά τε αὐτῶν λείψανα τιμῆς ἄξια.

Ἰσχυρότατα διισχυρίζομαι χρῆναι τὰς τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀειπαρθένου Θεοτόκου καὶ τῶν ἄλλων Ἁγίων εἰκόνας ἔχειν καὶ κατέχειν, καὶ ταύταις τὴν προσήκουσαν τιμὴν καὶ θεραπείαν ἀπονέμειν.

Τὴν τῶν ἰνδουλγεντιῶν ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ ἀφεθῆναι, και τὴν αὐτῶν χρῆσιν τῷ χριστιανῷ λαῷ σωτηριωτάτην εἶναι κατάφημι.

Τὴν Ἁγίαν Καθολικὴν καὶ Ἀποστολικὴν Ῥωμαϊκὴν Ἐκκλησίαν πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν μητέρα καὶ διδάσκαλον ἐπιγινώσκω, καὶ τῷ Ῥωμαϊκῷ Ἄκρῳ Ἀρχιερεῖ, τῷ τοῦ Ἁγίου Πέτρου τῶν Ἀποστόλων κορυφαίου διαδόχῳ, καὶ τοῦ Χριστοῦ τοποτηρητῇ, ἀληθινὴν ὑπακοὴν ὑπισχνοῦμαι καὶ ὄμνυμι.

Ὁμοίως τ' ἄλλα πάντα τὰ παρὰ τῶν θείων κανόνων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ μάλιστα παρὰ τῆς ἐν Τριδέντῳ ἱερᾶς, καὶ παρὰ τῆς ἐν Βατικανῷ Ἁγίας Οἰκουμενικῆς Συνόδου παραδοθέντα, ὁρισθέντα καὶ διασαφηνισθέντα, ἐξαιρέτως δὲ περὶ τοῦ πρωτείου καὶ τοῦ ἐν τῷ διδάσκειν ἀλανθάστου τοῦ Ῥωμαϊκοῦ Ἀρχιερέως, ἀναμφιβόλως ἀποδέχομαι καὶ ὁμολογῶ· καὶ ὁμοῦ τὰ ἐναντία πάντα καὶ τὰ σχίσματα καὶ τὰς αἱρέσεις οἱασδηποτοῦν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας καταδικασθείσας καὶ ἀποβληθείσας καὶ ἀναθεματισθείσας, κἀγὼ ὁμοίως καταδικάζω, ἀποβάλλω, ἀναθεματίζω.

Ταύτην τὴν ἀληθινὴν καθολικὴν Πίστιν, ἧς ἔξωθεν οὐδεὶς σώζεσθαι δύναται, ἣν ἐν τῷ παρόντι ἑκουσίως ὁμολογῶ, καὶ ἀληθῶς κρατῶ, τὴν αὐτὴν τέλειον καὶ ἀμώμητον ἕως τῆς ὑστάτης τοῦ βίου ἀναπνοῆς βεβαιότατα, Θεοῦ συνεργοῦντος, κατέχειν καὶ ὁμολογεῖν, καὶ ὑπὸ τῶν ἐμοὶ ὑποταγέντων, ἢ ἐκείνων ὧν ἐν τῷ ἔργῳ μου ἐπιμελεῖσθαί με δεήσει, κρατεῖσθαι,

verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate D. N. Iesu Christi: fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, et schismata atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo.

Hanc veram catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spe-

διδάσκεσθαι καὶ κηρύττεσθαι, ὅσον ἐπ' ἐμοί, σπουδάσειν, ἐγὼ ὁ αὐτὸς	ctabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem
ἐπαγγέλλομαι, εὔχομαι, καὶ ἐπόμνυμι. Οὕτως ἔστω μοι ὁ Θεὸς βοηθός, καὶ ταῦτα τὰ Ἅγια τοῦ Θεοῦ Εὐαγγέλια.	spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

IN LINGUA CHALDAICA

ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܐܡܝܢ

ܐ : ܐܢܐ ܦܠܢ ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ ܒܫܪܝܪܘܬܐ ܫܠܝܡܬܐ ܘܡܘܕܐ ܐܢܐ [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

IN LINGUA ARABICA

بسم الآب والابن والروح القدس
آمين

انا
أومن ايمانًا ثابتًا واعترف بكل ما يتضمّن
اجمالاً وافرادًا في قانون الايمان الذي تستعمله
الكنيسة الرومانية المقدسة اي
أومن باله واحد آب قادر على كل شيء صانع
السماء والارض كل ما يرى وما لا يرى وبرب واحد
يسوع المسيح ابن الله الوحيد المولود من الآب
قبل كل الدهور اله من اله نور من نور اله
حق من اله حق مولود غير مصنوع واحد مع
الآب في الجوهر الذي به صار كل شيء الذي من
اجلنا نحن البشر ومن اجل خلاصنا نزل من
السماوات وتجسد من الروح القدس من مريم
العذراء فصار انسانًا . صُلب ايضا من اجلنا
على عهد بيلاطوس البنطي وتألّم وقُبر وقامَ
في اليوم الثالث كما في الكتب وصعد الى
السماء وهو جالس عن يمين الآب وايضًا سيأتي
بمجد ليدين الاحياء والاموات الذي لن يكون

لملكه انقضاء . وبالروح القدس الربّ والمحيي
المنبثق من الآبِ والابنِ الذي مع الآبِ والابن
معًا يُسجَد لهُ ويُمجَّد الذي نطق بالانبياء .
وبكنيسةٍ واحدةٍ مقدسةٍ كاثوليكية رسولية .
اعترفُ بمعمودية واحدةٍ لمغفرة الخطايا وأترجّى
قيامةَ الموتى وحيوةَ الدهر الآتي آمين

أحترمُ ايضًا واقبلُ المجامعَ العامَّة كما يأتي
اي المجمعَ الاولَ النيقاويَّ واعترفُ بمـا تقرَّر
فيه ضدًّا لِاريوسَ المحروم ذكرهُ انَّ الرب يسوع
المسيح هو ابن الله الوحيدُ المولودُ من الآبِ أَعني
من جوهر الآبِ مولودٌ غير مصنوعٍ واحدٌ مـع
الآبِ في الجوهر وأَنهُ قد حُرِّمت بصوابٍ في المجمع
نفسه تلك الالفاظ الكفرية أنهُ كان وقتٌ لم
يكن فيه ابنُ الله او أَنَّهُ مصنوعٌ من أَشياء ليست
بموجودةٍ او من جوهرٍ آخرَ او ماهيَّـةٍ أُخرى او
أَنَّهُ قابلٌ للتغيُّر او التحوُّل

والمجمعَ القسطنطينيَّ الاولَ وهو الثاني رتبةً
وأَعترفُ بما تقرَّر فيه ضدًّا لمقدونيوس المحروم
ذكرهُ أَنَّ الروحَ القدسَ ليس بعبدٍ بل ربٌّ
ليس بخليقةٍ بل الٰهٌ وأَنَّ لهُ مع الآبِ والابن
لاهوتًا واحدًا

والمجمعَ الافسسيَّ الاولَ وهو الثالث رتبـةً
وأَعترفُ بما تقرَّر فيـه ضدًّا لنسطور المحروم
ذكرهُ أَنَّ اللاهوتَ والناسوتَ باتحادهما الغير
الموصوف والغير المدرك في أُقنوم ابن الله اقاما
لنا مسيحًا واحدًا يسوعَ وأَنَّ العذراءَ الكليـةَ
الطوبى هي لذلك والدة الله حقيقةً

والمجمعَ الخلقيدونيَّ وهو الرابع رتبةً وأَعترفُ
بما تقرَّر فيهِ ضدًّا لاوطيخا وديوسقوروس المحروم
ذكرهما أَنَّ ابن الله الواحد بعينه سيّدنا يسوع
المسيحَ كاملٌ باللاهوت وكاملٌ بالناسوت الٰهٌ حقٌّ
وانسانٌ حقٌّ من نفسٍ ناطقـةٍ وجسدٍ . وأَنهُ
واحدٌ مع الآبِ في الجوهر حسبَ اللاهوت وهو
عينهُ واحدٌ معنـــا في الجوهر حسبَ الناسوت
مشابهٌ لنا في كلّ شيء ما خلا الخطيئةَ وأَنهُ مولودٌ
من حيثُ اللاهوت من الآبِ قبلَ الدهور .
وهو بعينه من حيثُ الناسوت مولود من مريم
العذراء والدة الله في الايام الاخيرة لاجلنا ولاجل
خلاصنا وأن الربَّ المسيح الواحد بعينه الابن
الوحيد يجب أن يُعرَف بذي طبعين من غير
اختلاطٍ ولاتغيُّرٍ ولا تجزُّؤٍ ولا انفصـــالٍ غير
محذوفٍ فرق الطبعين بسبب الاتحــاد بـل
بالافضل مع سلامة الخاصيَّة التي لكلٍ منهما
الملتقية في اقنوم واحدٍ وقوامٍ واحدٍ وأَنه غير
منقسم ولا منفصل الى اقنومين بل هو عينهُ
الابن الواحدُ والوحيدُ الٰهٌ كلمةٌ ربٌّ يسوع المسيح

ثم اعترفُ أَنَّ لاهوتَ سيّدنا يسوع المسيح عينهُ
الذي هو بحسبه واحد في الجوهر مع الآب والروح
القدس غير قابلٍ للتألُّم والموت وأنهُ هو عينهُ
صُلب ومات بحسب الجسد فقط كما تقرَّر ايضًا
في المجمع المذكور وفي رسالة القديس لاون
الحبر الروماني الذي نادت الآباء في ذاك المجمع
بأَنَّ الطوباويَّ بطرسَ الرسول قد تكلم بفيه
وبذلك القرار تحرَّم ارطقـة الذين كانوا بكفر
يُعقبونَ التقديسات الثَّلثَ المسلَّمة من الملائكة
والملَّحنةَ في المجمـع الخلقيدونى المذكور وهي
قدُّوسٌ الله قدُّوسٌ القويُّ قدُّوسٌ الذي لا يموت
ارحمنا بقولهم يا مَنْ صُلبتَ لاجلنا : وهكذا
كانوا يقرِّرونَ أَنَّ طبعَ الاقانيم الثلثة الالهيَّ
قابلٌ للتألُّم والموت

والمجمع القسطنطينيُّ الثاني وهو الخامس رتبةً
الذي فيه تكرَّر تحديدُ المجمـع الخلقيدوني
المذكور

والمجمع القسطنطيني الثالث وهو السادسُ
رتبةً وأَعترفُ بمـا تقرَّر فيه ضدًّا للمونوثليين
(اي القائلين إنَّ في المسيح مشيئة واحدة) أَنَّ
في سيّدنا يسوعَ المسيح الواحد بعينه مشيئتين
طبيعيَّتين وفعلين طبيعيَّين دون انقسـام او
تحوُّلٍ او انفصالٍ او اختلاطٍ وأَنَّ مشيئتهُ الانسانيَّة
غيرُ مضادَّةٍ لمشيئتهِ الالهيَّـــة القادرةِ على كلِ
شيء بل خاضعةٌ لها

والمجمع الثاني النيقاويَّ وهو السابع رتبـةً
وأعترفُ بما تقرَّر فيه ضدًّا للايكونوكلاستي
(اي محاربي الصور المقدَّسة) أَنهُ ينبغي أن نحوي

ويحفظ صورَ المسيح والعذراء والدة الله وسائرَ القديسين ونقدّم لها ما يقتضى من الاكرام والاحترام

والمجمع القسطنطيني الرابع وهو الثامن رتبةً واعترف أنّه اصاب بحرمه فوتيوس وارجاعه القديس اغناطيوس البطريرك

وايضًا احترم واقبل سائر المجامع العامّة الأُخرى التي عُقدت قانونيًّا وثبّتت بسلطان الحبر الروماني . لا سيما المجمع الفلورنتيني وأعترف بكل ما تقرَّر فيه اعني . أنّ الروح القدس هو من الآب والابن منذ الازل وله من الآب والابن معًا ماهيته وكيانه الاقنوميّ ومنبثقٌ منذ الازل من كليهما كما من مبدإ واحد ونفخة وحيدة

وايضًا أنّ ذلك اللفظ (ومن الابن) أضيف الى قانون الايمان جوازًا وصوابًا ايضاحًا للحقيقة ولداعي الضرورة الحاضرة

وايضًا أنّ جسد المسيح يتقدّس حقيقةً في الخبز القمحي خميرًا كان او فطيرًا وانه يجب على الكهنة أن يقدّسوه في احدهما اي كلٌّ واحد بحسب عادة كنيسته غربيةً كانت او شرقيةً

وايضًا أنّ التائبين حقيقةً اذا ماتوا بحال محبة الله قبل الوفاء عن خطاياهم الفعلية والاهمالية بتقديمهم أثمارًا لائقة بالتوبة تطهّر انفسهم بعد الموت في عذابات المطهر ولكي يفرّج عنهنّ من تلك العذابات تفيدهنّ اسعافات المؤمنين الاحيا اي ذبائح القداديس والصلوات والصدقات والاعمال الأخرى البرورة المعتاد أن يقدّمها المؤمنون عن غيرهم من المؤمنين حسب رسوم الكنيسة وأنّ أنفسَ الذين لم يتدنّسوا بعد قبولهم العماد بأدنى خطيئة البتة والأنفس اللواتي بعد تدنيسهنّ بالخطيئة تطهّرن اما في اجسادهنّ او بعد الممات يُقبلنَ حالًا في السماء ويشاهدنَ جليًّا الله عينه المثلّث والواحد كما هو بذاته لكن على تفاوت بينهنّ في ذلك بحسب اختلاف الاستحقاقات . اما أنفس الذين يموتون وعليهم خطيئة فعليّة مميتة او الخطيئة الاصلية فقط فيهبطنَ حالا الى الجحيم لكن عقوباتهنّ مختلفة

وايضًا أنّ للكرسيّ القدس الرسوليّ وللحبر الرومانيّ الرئاسة على المسكونة كلها . وأنّ الحبر الرومانيّ عينه خليفةٌ للطوباويّ بطرس رئيس الرسل ونائبٌ للمسيح الحقيقي ورأس البيعة كلّها وأبو ومعلم المسيحيين قاطبةً وأنّه تسلّم في شخص ماري بطرس من سيّدنا يسوع المسيح تمام السلطان ليرعى الكنيسة كلّها ويدبّرها ويسوسها كما جاء ذلك في اعمال المجامع العامّة والقوانين المقدسة حسبما يقرّر المجمع الفلورنتينيّ نفسه

وايضًا أنّ شرائع العهد العتيق اي طقوس الشريعة الموسوية وقدسيّاتها وذبائحها وأسرارها قد بطلت بمجيء ربنا يسوع المسيح ولا يمكن حفظها بدون إثم بعد اعلان الانجيل وكذلك تمييز تلك الشريعة العتيقة بين المآكل الطاهرة والنجسة هو من الطقوس التي عبرت في اشراق الانجيل

وايضًا أنّ ذلك نهْي الرسل عن ذبائح الأصنام والدم والمخنوق كان مناسبًا لذلك الزمان لرفع داعي الخلاف بين اليهود والأمم فلما زالت علّة هذا التحريم الرسوليّ زال معلولها

وكذلك اني أحترم واقبل المجمع التريدنتيني وأعترف بما تقرّر وأُعلن فيه لا سيما أنّه يُقدّم لله في القداس ذبيحة حقيقية صحيحة رضوانيّة عن الأحياء والاموات وأنّ جسد ربنا يسوع المسيح ودمه مع نفسه ولاهوته وبالتالي المسيح كلّه يوجد حقًّا وفعلًا وجوهريًّا في سرّ القربان الأقدس حسب الايمان الذي كان لكنيسة الله كلّ حين . وأن جوهر الخبز يتحوّل كلّه جسدًا وجوهرَ الخمر يتحوّل كلّه دمًا وهذا التحوّل قد سمّته الكنيسة الكاثوليكية بكل صواب استحالةً جوهريةً وأنّ المسيح كلّه في كل من الشكلين وفي كل من اجزائهما اذا جزّئا

وايضًا أنّ أسرارَ الشريعة الجديدة المرسومة من سيّدنا يسوع المسيح لاجل خلاص الجنس البشري

هي سبعةٌ وإنّ لم تكن جميعها ضروريةً لكل انسانٍ وهي المعمودية والتثبيت والقربان المقدّس والتوبة والمسحة الأخيرة ودرجة الكهنوت والزيجة . وأنَّ كلّا منها يمنح النعمة وان المعمودية والتثبيت ودرجة الكهنوت منها لا يمكن تكرارها

وايضًا ان المعموديّة ضروريّةٌ للخلاص ولهذا يجب عند حلول خطر الموت المبادرة الى منحها بلا ابطاء البتة وأيّ منحها وفي أيّ وقت كان بالمادة والصورة والنيّة المطلوبة فهي صحيحةٌ

وايضا ان رباط سرّ الزيجة لا يُحَلّ ولو امكن افتراق الزوجين مضجعًا وسكنى لزنى او ارطقة او أسباب أخرى غير أن لا يحلّ لهما والحالة هذه عقدُ زواجٍ آخر

وايضًا أنَّ التقليدات الرسوليةَ والكنائسيّةَ يجب قبولها وتوقيرها

وايضًا أنَّ المسيح ابقى في الكنيسة السلطان على الغفرانات وأنَّ استعمالها يفيد جدًّا الشعبَ المسيحيَّ للخلاص

وكذلك اني أقبل واعترف بما تقرَّر في المجمع التريدنتيني المذكور في شأن الخطيئة الاصليَّة والتبرير وعدد الكتب المقدسة للعهدين العتيق والجديد وتفسيرها

وايضًا احترمُ واقبل المجمع المسكونيّ الواتيكانيَّ وأعترف واتمسك بغاية الثبات بكل ما سلّمه وقرّره وأعلنه خاصةً بما يتعلّق برئاسة الحبر الاعظم وعصمة تعليمه

واقبل ايضًا واعترف بسائر ما تقبله وتعترف به الكنيسة المقدسة الرومانية ومعًا أرذل وأرفض وأحرم كل ما ترذله وترفضه وتحرمه الكنيسة نفسها من المضادّات والانشقاقات والأرطقات

وفوق ذلك اني أعد وأُقسم أن أُطيع حقّ الطاعة الحبر الرومانيَّ خليفة بطرس الطوباويّ رئيس الرسل ونائب سيّدنا يسوع المسيح

وهذا الايمان ايمان الكنيسة الكاثوليكية التي لا خلاصَ لأحدٍ خارجًا عنها الذي الآنَ اعترف به طوعًا وبه اتمسك حقًّا فانني انا نفسي أعد وأنذر وأحلف أنّ أحفظه بمعونة الله سالمًا بلا عيبٍ معترفًا به بغاية الثبات الى آخر نسمةٍ من حياتي واجتهد على قدر استطاعتي أنّ يتمسّك به ويعلّمه ويبشّر به من كان تحت ولايتي او عنايتي في وظيفتي مليعتي هكذا الله واناجيله هذه المقدسة

IN LINGUA AETHIOPICA

በስመ ፡ አብ ፡ ወወልድ ፡
ወመንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ አሐዱ ፡ አምላክ ።
አሜን ።

አነ ፡
አአምን ፡ ሃይማኖተ ፡ ጽኑዐ ፡ ወእትአመን ፡ ኵሎ ፡ ወ፩ደ፩ደ ፡ ዘሀለዉ ፡ በጸሎተ ፡ ሃይማኖት ፡ ዘትገብሮ ፡ ቅድስት ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ሮማዊት ።

ወዝንቱ ፡ ውእቱ ፡ አአምን ፡ በ፩ ፡ እግዚአብሔር ፡ አብ ፡ ከሃሌ ፡ ኵሉ ፡ ገባሬ ፡ ሰማያት ፡ ወምድር ፡ ወኵሉ ፡ ዘያስተርኢ ፡ ወዘኢያስተርኢ ። ወበ፩ ፡ እግዚእ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ወልደ ፡ እግዚአብሔር ፡ ዋሕድ ፡ ዘተወልደ ፡ እምአብ ፡ እምቅድመ ፡ ኵሉ ፡ ዓለም ፡ አምላክ ፡ ዘእምአምላክ ፡ ብርሃን ፡ ዘእምብርሃን ፡ አምላክ ፡ ጽድቅ ፡ ዘእምአምላክ ፡ ጽድቅ ፡ ዘተወልደ ፡ ወአኮ ፡ ዘተገብረ ። ኅቡረ ፡ ህላዌ ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ዘበቱ ፡ ኵሉ ፡ ኮነ ። ዘበእንቲአነ ፡ ለሰብእ ፡ ወበእንተ ፡ መድኃኒትነ ፡ ወረደ ፡ እምሰማያት ፡ ወተሠገወ ፡ እመንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ ወእማርያም ፡ ድንግል ፡ ወኮነ ፡ ብእሴ ። ወእምዝ ፡

ተሰቅለ ፡ በእንቲአነ ፡ በመዋዕለ ፡ ጲላጦስ ፡ ጴንጤናዊ ፡ ሐመ ፡ ወተቀብረ ። ወተንሥአ ፡ አመ ፡ ሣልስት ፡ ዕለት ፡ በከመ ፡ ጽሑፍ ፡ ውስተ ፡ ቅዱሳት ፡ መጻሕፍት ። ዓርገ ፡ ውስተ ፡ ሰማያት ፡ ወነበረ ፡ በየማነ ፡ አብ ። ዳግመ ፡ ይመጽእ ፡ በስብሐት ፡ ይኰንን ፡ ሕያዋነ ፡ ወሙታነ ። ወአልበ ፡ ማኅለቅት ፡ ለመንግሥቱ ። ወአአምን ፡ በመንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ እግዚእ ፡ ወማሕየዊ ፡ ዘሠረፀ ፡ እምአብ ፡ ወወልድ ። ወዘይሰገድ ፡ ሎቱ ፡ ወዘይሴባሕ ፡ ኅቡረ ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ወወልድ ፡ ዘነበበ ፡ በነቢያት ። ወአአምን ፡ በአሐቲ ፡ ቅድስት ፡ ካቶሊካዊት ፡ ወሐዋርያዊት ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ። እትአመን ፡ በአሐቲ ፡ ጥምቀት ፡ ለስርየተ ፡ ኃጢአት ። ወእሴፎ ፡ ትንሣኤ ፡ ሙታን ፡ ወሕይወተ ፡ ዓለም ፡ ዘይመጽእ ። አሜን ።

ወዓዲ ፡ አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ዓበይተ ፡ ጉባኤያተ ፡ ዘከመ ፡ ይተሉ ፡ ፬ ፡ ድኅረ ፡ ፩ ። ዝ ፡ ውእቱ ። ጉባዔ ፡ ኒቅያ ፡ ቀዳማዊተ ፡ ወእትአመን ፡ ዘተወሰነ ፡ ባቲ ፡ በላዕለ ፡ አርዮስ ፡ ዘውጉዝ ፡ ዝክሩ ፡ ከመ ፡ እግዚእ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ውእቱ ፡ ዋሕድ ፡ ወልደ ፡ እግዚአብሔር ፡ ዘተወልደ ፡ እምአብ ። ዝ ፡ ብሂል ፡ እምህላዌ ፡ አብ ፡ ዘተወልደ ፡ ወአኮ ፡ ዘተገብረ ፡ ኅቡረ ፡ ህላዌ ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ወከመ ፡ እማንቱ ፡ ቃላት ፡ እኩያት ፡ በርትዕ ፡ ተኰነና ፡ በይእቲ ፡ ጉባኤ ። በእንተ ፡ ዘይቤላ ፡ ከመ ፡ ቦ ፡ ጊዜ ፡ አመ ፡ ኢሀሎ ፡ አው ፡ ከመ ፡ ተገብረ ፡ እምነ ፡ ኢምንትኒ ፡ እለ ፡ ኢሀለዉ ፡ አው ፡ እምካልእት ፡ ህላዌ ፡ ወሚመ ፡ እምጠባይዕ ፡ አው ፡ ከመ ፡ ውእቱ ፡ ዘይትዌለጥ ፡ አው ፡ ዘይትመየጥ ፡ ወልደ ፡ እግዚአብሔር ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ዘቍስጥንጥንያ ፡ ቀዳማዊተ ፡ ወበኍልቍ ፡ ዳግሚተ ። ወእትአመን ፡ በኵሉ ፡ ዘተወሰነ ፡ በውስቴታ ፡ በላዕለ ፡ መቅዶንዮስ ፡ ዘውጉዝ ፡ ዝክሩ ። ከመ ፡ መንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ ኢኮነ ፡ ገብረ ፡ አላ ፡ እግዚእ ፡ ወአኮ ፡ ፍጥረት ፡ ዳዕሙ ፡ አምላክ ፡ ውእቱ ፡ ወዘ ህለዎ ፡ አሐዱ ፡ አምላክና ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ወወልድ ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባዔ ፡ ኤፌሶን ፡ ቀዳማዊተ ፡ ወበኍልቍ ፡ ሣልሲተ ። ወእትአመን ፡ ዘተወሰነ ፡ በውስቴታ ፡ በላዕለ ፡ ንስጥሮስ ፡ ዘውጉዝ ፡ ዝክሩ ፡ ከመ ፡ መለኮት ፡ ወትስብእት ፡ በዘኢይትነገር ፡ ወበዘኢይትፌከር ፡ ተዋሕዶ ፡ በአሐቲ ፡ አካል ፡ ዘወልደ ፡ አምላክ ፡ ተሰምየ ፡ ለነ ፡ አሐደ ፡ ኢየሱስሃ ፡ ክርስቶስሃ ፡ ወበእንተዝ ፡ ከመ ፡ ቅድስት ፡ ወብፅዕት ፡ ድንግል ፡ በአማን ፡ ወላዲተ ፡ አምላክ ፡ ይእቲ ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ዘኬልቄዶን ፡ በኍልቍ ፡ ራብዓዊተ ፡ ወእትአመን ፡ ኵሎ ፡ ዘተወሰነ ፡ በውስቴታ ፡ በላዕለ ፡ አውጣኪ ፡ ወዲዮስቆሮስ ፡ ዘውጉዝ ፡ ዝክረ ፡ ክልኤሆሙ ። ከመ ፡ ፩ ፡ ወለሊሁ ፡ ወልደ ፡ እግዚአብሔር ፡ እግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ውእቱ ፡ ፍጹም ፡ በመለኮት ፡ ወፍጹም ፡ በትስብእት ። አምላክ ፡ ዘበአማን ፡ ወብእሲ ፡ ዘበአማን ፡ ዘእምነፍስ ፡ ለባዊት ፡ ወሥጋ ። ኅቡረ ፡ ህላዌ ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ዘከመ ፡ መለኮቱ ፡ ወውእቱ ፡ ኅቡረ ፡ ህላዌ ፡ ምስሌነ ፡ ዘከመ ፡ ትስብእቱ ፡ ወከመ ፡ በኵሉ ፡ ይትሜሰለነ ፡ ዘእንበለ ፡ ኃጢአት ። እምቅድመ ፡ ዓለምኒ ፡ ዘከመ ፡ ተወልደ ፡ እምአብ ፡ ዘከመ ፡ መለኮቱ ፡ ወበደኃሪኒ ፡ መዋዕል ፡ ውእቱ ፡ በእንቲአነ ፡ ወበእንተ ፡ መድኃኒትነ ፡ ተወልደ ፡ እማርያም ፡ ድንግል ፡ ወላዲተ ፡ አምላክ ፡ ዘከመ ፡ ትስብእቱ ። ወለሊሁ ፡ ፩ክርስቶስ ፡ ወልድ ፡ እግዚእ ፡ ዋሕድ ፡ ዘእሙር ፡ በ፪ ባሕርያት ፡ ዘእንበለ ፡ ቱሳሔ ፡ ወዘእንበለ ፡ ውላጤ ፡ ወዘእንበለ ፡ ተፈልዮ ፡ ወዘእንበለ ፡ ፍልጠት ፡ እንዘ ፡ ኢይጠፍእ ፡ ምንተኒ ፡ ተሌልዮተ ፡ ባሕርያት ፡ እንበይነ ፡ ተዋህዶ ፡ ፈድፋደሰ ፡ እንዘ ፡ ትትዓቀብ ፡ እንቲአሆን ፡ ለ፪ባሕርያት ፡ ወበ፩ ፡ አካል ፡ ወግጻዌ ፡ እንዘ ፡ ይትጋብኡ ። ወአኮ ፡ ኅበ ፡ ፪ ፡ አካላት ፡ ዘተከፍለ ፡ አው ፡ ዘተፈልጠ ፡ አላ ፡ ፩ ፡ ወውእቱ ፡ ወልድ ፡ ዋሕድ ፡ አምላክ ፡ ቃል ፡ እግዚእ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ።

ወእትአምን ፡ ካዕበ ፡ መለኮተ ፡ ውእቱ ፡ እግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ዘከመ ፡ ውእቱ ፡ ኅቡረ ፡ ህላዌ ፡ ምስለ ፡ አብ ፡ ወመንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ ከመ ፡ ውእቱ ፡ ዘኢየሐምም ፡ ወዘኢይመውት ፡ ወከመ ፡ ውእቱ ፡ ተሰቅለ ፡ ወሞተ ፡ በሥጋ ፡ ባሕቲቱ ፡ በከመ ፡ ተወሰነ ፡ በጉባኤ ፡ ዘተነግረት ፡ ቅድመ ፡

ወበመልእክተ ፡ ቅዱስ ፡ ልዮን ፡ ሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ዘሮሜ ፡ ዘበአፈ ፡ ዚአሁ ፡ ብፁዕ ፡ ጴጥሮስ ፡ ሐዋርያ ፡ ከመ ፡ ተናገረ ፡ ከልሑ ፡ አበው ፡ በይእቲ ፡ ጉባኤ ። ወበይእቲ ፡ ውሳኔ ፡ ተወግዘት ፡ እኪት ፡ ኑፋቄሆሙ ፡ ለእልክቱ ፡ እለ ፡ ላዕለ ፡ ፫ቅዳሴያት ፡ ዘተውህበ ፡ እምኀበ ፡ መላእክት ፡ ወበዘተብህላ ፡ በጉባኤ ፡ ኬልቄዶን ፡ ቅዱስ ፡ እግዚአብሔር ፡ ቅዱስ ፡ ኃያል ፡ ቅዱስ ፡ ሕያው ፡ ተሠሃለነ ፡ ወሰኩ ፡ ዘተሰቀልከ ፡ በእንቲአነ ። ወበዝንቱ ፡ አጠየቁ ፡ ከመ ፡ መለኮታዊት ፡ ባሕርየ ፡ ፫አካላት ፡ ሐማሚት ፡ ወመዋቲት ፡ ይእቲ ።

ወአከብር ፡ ጉባኤ ፡ ዘቍስጥንጥንያ ፡ ዳግማዊተ ፡ ወበኍልቍ ፡ ሐምሲተ ፡ ዘባቲ ፡ ተሐደሰ ፡ ውሳኔ ፡ ጉባኤ ፡ ዘኬልቄዶን ፡ ዘተነግረት ፡ ቅድመ ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ሣልሲተ ፡ ዘቍስጥንጥንያ ፡ ወበኍልቍ ፡ ሳድሲተ ፡ ወእትአመን ፡ ዘተወሰነ ፡ በይእቲ ፡ ላዕለ ፡ ሞኖቴሊታስ ፡ ዘውእቶሙ ፡ እለ ፡ ይብሉ ፡ ፩ፈቃድ ። ወበውእቱ ፡ ፩እግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ከመ ፡ ሀለዉ ፡ ፪ፈቃዳት ፡ ባሕርያውያት ፡ ወ፪ ፡ ምግባራት ፡ ባሕርያውያት ፡ በኢተከፍሎ ፡ ወበኢተወልጦ ፡ ወበኢተቶስሖ ። ወፈቃዱ ፡ ሰብአዊት ፡ ከመ ፡ ኢትትቃረን ። ዳዕሙ ፡ ተአዛዚት ፡ ይእቲ ፡ ለፈቃዱ ፡ መለኮታዊት ፡ ወከሃሊተ ፡ ኵሉ ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ኒቅያ ፡ ዳግማዊተ ፡ ወበኍልቍ ፡ ሳብዓዊተ ። ወእትአመን ፡ ዘተወሰነ ፡ በውስቴታ ፡ ላዕለ ፡ ኢኮኖክላስታስ ፡ ዘውእቶሙ ፡ ሰባርያነ ፡ ሥዕላት ፡ ከመ ፡ ይደሉ ፡ ሀልዎ ፡ ወነቢረ ፡ ሥዕላት ፡ ዘክርስቶስ ፡ ወዘድንግል ፡ ወላዲተ ፡ አምላክ ፡ ወዘካልኣን ፡ ቅዱሳን ። ወዘከመ ፡ ይትወሀብ ፡ ሎሙ ፡ ዘይደሉ ፡ አክብሮ ፡ ወአምኆ ።

አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ራብዓዊተ ፡ ዘቍስጥንጥንያ ፡ ወበኍልቍ ፡ ሳምናዊተ ። ወእትአመን ፡ ከመ ፡ በውስቴታ ፡ ኮነ ፡ በዘይደሉ ፡ ተወግዞቶ ፡ ፎጽዮስ ፡ ወተመይጦተ ፡ ቅዱስ ፡ አግናጥዮስ ፡ በትረያርክ ፡ ኀበ ፡ መንበሩ ።

ወዓዲ ፡ አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ኵሎ ፡ ካልዓነ ፡ ጉባኤያተ ፡ ዐበይተ ፡ በሥልጣነ ፡ ሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ዘሮሜ ፡ በሥርዐት ፡ ዘተገብሩ ፡ ወዘጸንዐ ፡ ወፈድፋደሰ ፡ ጉባኤ ፡ ዘፍሎርንሳ ። ወእትአመን ፡ እለ ፡ ተወሰኑ ፡ በውስቴታ ፡ ዝ ፡ ብሂል ።

ከመ ፡ መንፈስ ፡ ቅዱስ ፡ እምአብ ፡ ወእምወልድ ፡ ውእቱ ፡ ለዓለም ፡ ወከመ ፡ ህላዌሁ ፡ ወከዊኖቱ ፡ አካላዌ ፡ እምአብ ፡ ወእምወልድ ። ወእም፪ሆሙ ፡ ኅቡረ ፡ ይሄሉ ፡ ለዓለም ፡ ከመ ፡ ዘእም፩ ፡ ሥርው ፡ ወእምአሐቲ ፡ አስተንፍሶ ፡ ይሠርፅ ።

ወእትዌከፍ ፡ ይእተኒ ፡ ብሂለ ፡ ወእምወልድ ፡ በእንተ ፡ ከሢተ ፡ ጽድቅ ፡ ወበእንተ ፡ ግብር ፡ ዐቢይ ፡ ከመ ፡ ተወሰከት ፡ በድልወት ፡ ወበርትዕ ፡ ውስተ ፡ ተአምኖተ ፡ ሃይማኖት ።

ወካዕበ ፡ በዘናዕት ፡ እመሂ ፡ በዘብሑዕ ፡ ኅብስተ ፡ ሥርናይ ፡ ሥጋሁ ፡ ለክርስቶስ ፡ በጽድቅ ፡ ከመ ፡ ይትገበር ። ወከመ ፡ ይደልዎሙ ፡ ለካህናት ፡ ገቢር ፡ በ፩ ፡ እም፪ሆሙ ፡ ዝኒ ፡ ብሂል ፡ ፩፩ሂ ፡ በከመ ፡ ልማደ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያኑ ፡ እመሂ ፡ ምዕራባዊት ፡ አው ፡ ምሥራቃዊት ።

ወካዕበ ፡ እለ ፡ ነስሑ ፡ በአማን ፡ እመ ፡ አዕረፉ ፡ በፍቅረ ፡ እግዚአብሔር ፡ እምቅድመ ፡ ያእክሉ ፡ ለፍሬ ፡ ዘይደሉ ፡ ለንስሐ ፡ በእንተ ፡ ተዐድዎ ፡ ወአበሳ ፡ ከመ ፡ ይነጽሓ ፡ ነፍሳቲሆሙ ፡ በሥቃይ ፡ መንጽሒ ፡ እምድኅረ ፡ ሞቶሙ ፡ ወከመ ፡ ይፃኡ ፡ እምዘከመዝ ፡ ሥቃይ ፡ ይበቍዖሙ ፡ ረድኤተ ፡ ምእመናን ፡ ሕያዋን ፡ ዝኒ ፡ ብሂል ፡ መሥዋዕተ ፡ ቅዳሴያት ፡ ወጸሎታት ፡ ወምጽዋታት ፡ ወካልአት ፡ ምግባራተ ፡ ኂሩት ፡ እለ ፡ ልሙዳን ፡ ከመ ፡ ይትገበሩ ፡ እምነ ፡ ምእመናን ፡ በእንተ ፡ ካልአን ፡ ምእመናን ፡ በከመ ፡ ሥርዓተ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ። ወነፍሳተ ፡ እልክቱሰ ፡ እለ ፡ እምድኅረ ፡ ጥምቀት ፡ ኢረስሑ ፡ ምንተኒ ፡ ግሙራ ፡ በነውረ ፡ ኃጢአት ። ወዓዲ ፡ እምድኅረ ፡ ርስሐተ ፡ ኃጢአት ፡ እለ ፡ ወዕአ ፡ እንዘ ፡ ይነጽሓ ፡ በሥጋቲሆን ፡ አው ፡ በጊዜያተ ፡ ጸአቶን ፡ እማንቱ ፡ ከመ ፡ ይበውአ ፡ ሶቤሃ ፡ ውስተ ፡ መንግሥተ ፡ ሰማያት ፡ ወይሬእያ ፡ ገሃደ ፡ ኪያሁ ፡ እግዚአብሔርሃ ፡ ሥሉሰ ፡ ወዋሕደ ፡ ዘከመ ፡ ውእቱ ፡ በከመ ፡ ተሌልዮተ ፡ ትሩፋቲሆን ፡ በፍድፋዴ ፡ አሐዱ ፡ እምካልኡ ። ነፍሳተ ፡ እልክቱሰ ፡ እለ ፡

ሞቱ ፡ በዘገብርዎ ፡ ኃጢአት ፡ ሞታዊ ፡ ወሚመ ፡ በባሕቲቱ ፡ ወሪሰ ፡ ኃጢአት ፡ ከመ ፡ ሰቤሃ ፡ ይወርዳ ፡ ውስተ ፡ ሲኦል ፡ ወይሣቀያ ፡ በሥቃያት ፡ ፍሉጣት ።

ወካዕበ ፡ እትአመን ፡ ከመ ፡ ቦቱ ፡ ለቅዱስ ፡ ወለሐዋርያዊ ፡ መንበር ፡ ወለሮማዊ ፡ ሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ቅድምና ፡ በኵሉ ፡ ዓለም ። ወከመ ፡ ውእቱ ፡ ሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ሮማዊ ፡ ውእቱ ፡ መትልወ ፡ ብፁዕ ፡ ጴጥሮስ ፡ ሊቀ ፡ ሐዋርያት ፡ ወዘበአማን ፡ መጋቢሁ ፡ ለክርስቶስ ፡ ወርእሰ ፡ ኵላ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ወውእቱ ፡ አብ ፡ ወመምህር ፡ ለኵሎሙ ፡ ክርስቲያን ፡ ወከመ ፡ ተውህበት ፡ ሎቱ ፡ እምኀበ ፡ እግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ምልእት ፡ ሥልጣን ፡ ርዕይ ፡ ወኰንኖ ፡ ወአርትዖ ፡ ላዕለ ፡ ኵላ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ሀየንተ ፡ ብፁዕ ፡ ጴጥሮስ ፡ በከመ ፡ ተነግረ ፡ ካዕበ ፡ በሥርዓተ ፡ ዓበይት ፡ ጉባኤያት ፡ ወበቅዱሳት ፡ ቀኖናት ፡ ከመ ፡ ይእቲ ፡ ጉባኤ ፡ ፍሎርንሳ ፡ ተናገረት ።

ወዓዲ ፡ አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ከመ ፡ ሕገጋት ፡ ዘኪዳን ፡ ብሊት ፡ አው ፡ ዘሕገ ፡ ሙሴ ፡ ሥርዐታት ፡ ወቅዳሴያት ፡ ወመሥዋዕታት ፡ ወምሥጢራት ፡ በምጽአተ ፡ እግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ተሠዕራ ፡ ወእምድኅረ ፡ ስብከተ ፡ ወንጌል ፡ ኢይደሉ ፡ ዓቂቦቶን ፡ እስመ ፡ ውእቱ ፡ አበሳ ። ወካዕበ ፡ ዐቂበ ፡ ፈሊጠቶን ፡ ለመባልዕልተ ፡ ዝኩ ፡ ሕገ ፡ ብሊት ፡ ዘንጹሓት ፡ ወዘኢንጹሓት ፡ ከመ ፡ ውእቱ ፡ አምሥርዓታት ፡ ዘኃለፉ ፡ በምጽአተ ፡ ወንጌል ።

ወውእቱኒ ፡ ሕርመተ ፡ ሐዋርያት ፡ እምዝቡሕ ፡ ለአማልክት ፡ ወደም ፡ ወዘሕኑቅ ፡ በውእቱ ፡ ዘመን ፡ ከመ ፡ ደለወ ፡ ከመ ፡ ይሠዐር ፡ ምክንያተ ፡ ፍልጣን ፡ እማእከለ ፡ አይሁድ ፡ ወአሕዛብ ፡ ወምክንያተ ፡ ዛቲ ፡ ሕርመት ፡ ሐዋርያዊት ፡ እምድኅረ ፡ ኃለፈ ፡ ከማሁ ፡ ተሠዕረ ፡ ሕርመት ።

ወካዕበ ፡ አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ጉባኤ ፡ ዘትሪዴንቶ ። ወእትአመን ፡ ኵሎ ፡ ዘተወሰኑ ፡ ወዘተከሥቱ ፡ በውስቴታ ። ወፈድፋደሰ ፡ ከመ ፡ ይቀርብ ፡ ለእግዚአብሔር ፡ በቅዳሴ ፡ ዘበአማን ፡ ውኩፍ ፡ ወዘመስተምሕር ፡ መሥዋዕት ፡ በእንተ ፡ ሕያዋን ፡ ወሙታን ። ወአአምን ፡ ከመ ፡ ሀሎ ፡ በቅዱስ ፡ ምሥጢረ ፡ ቍርባን ፡ በከመ ፡ ሃይማኖት ፡ ዘትሄሉ ፡ ዘልፈ ፡ በቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ዘእግዚአብሔር ፡ በአማን ፡ ወበጽድቅ ፡ ወበህላዌ ፡ ሥጋ ፡ ወደም ፡ ኅቡረ ፡ ምስለ ፡ ነፍሱ ፡ ወምስለ ፡ መለኮቱ ፡ ለእግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ ወበእንተዝ ፡ ኵለንታሁ ፡ ክርስቶስ ፡ ከመ ፡ ሀሎ ፡ ወከመ ፡ ይትመየጥ ፡ ኵሉ ፡ ህላዌ ፡ ኅብስት ፡ ኀበ ፡ ሥጋ ፡ ወኵሉ ፡ ህላዌ ፡ ወይን ፡ ኀበ ፡ ደም ። ወለዛቲ ፡ ሚጠት ፡ ትሰምያ ፡ በጥዩቅ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ካቶሊካዊት ፡ ፍልሰተ ፡ ህላዌ ፡ ኀበ ፡ ካልዕ ፡ ህላዌ ። ወከመ ፡ ይሄሉ ፡ ክርስቶስ ፡ ኵለንታሁ ፡ በበአሐዱ ፡ አርአያ ፡ ወበበአሐዱ ፡ ክፍል ፡ ዘዝንቱ ፡ አርአያ ፡ ድኅረ ፡ ተከፍለ ።

ወዓዲ ፡ እትዌከፍ ፡ ከመ ፡ ፯እሙንቱ ፡ ምሥጢራተ ፡ ኪዳን ፡ ሐዲስ ፡ ዘተሠርዑ ፡ እምእግዚእነ ፡ ኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ በእንተ ፡ መድኃኒተ ፡ ዘመደ ፡ እጓለ ፡ እመሕያው ። እመኒ ፡ ኢኮነ ፡ በግብር ፡ ኵሉ ፡ ፩፩ ። ወውእቶሙ ፡ ጥምቀት ፡ ሜሮን ፡ ቍርባን ፡ ንስሐ ፡ ቀብዕ ፡ ዘድውይ ፡ መዓርገ ፡ ክህነት ፡ አውስቦ ፡ በሕግ ፡ ወከመ ፡ እሙንቱ ፡ ይሁቡ ፡ ጸጋ ። ወእምነ ፡ እልክቱሰ ፡ ለጥምቀት ፡ ወሜሮን ፡ ወለመዓርገ ፡ ክህነት ፡ ኢይደሉ ፡ ይትወከፍዎሙ ፡ ዳግመ ።

ወካዕበ ፡ ጥምቀት ፡ ከመ ፡ ግብር ፡ ውእቱ ፡ ለመድኃኒት ። ወበእንተዝ ፡ እመ ፡ ቀርበ ፡ ፍርሀተ ፡ ሞት ፡ ፍጡነ ፡ ዘእንበለ ፡ ንስቲት ፡ ጕንድዮ ፡ ይደሉ ፡ ከመ ፡ ይትወሀብ ፡ እምነ ፡ መኑሂ ፡ ወበኵሉ ፡ ጊዜ ፡ ባሕቱ ፡ ዘተገብረ ፡ ኅቡረ ፡ በዘይደሉ ፡ ማይ ፡ ወበቃላት ፡ ወበሕሊና ፡ ከመ ፡ ቅውም ፡ ውእቱ ።

ወካዕበ ፡ እትዌከፍ ፡ ምሥጢረ ፡ ሰብሳብ ፡ ከመ ፡ ማዕሠር ፡ ዘኢይትፈታሕ ፡ ውእቱ ፡ ወእመኒ ፡ በእንተ ፡ ዝሙት ፡ ወበእንተ ፡ ኑፋቄ ፡ አው ፡ በካልእ ፡ ምክንያት ፡ እመ ፡ ተክህለ ፡ ተፈልጦ ፡ በበይናቲሆሙ ፡ ብእሲ ፡ እምብእሲት ፡ እምነ ፡ ማኅደር ፡ ወእምነ ፡ ዐራት ፡ ከመ ፡ ኢመፍትው ፡ ሎሙ ፡ አውስቦ ፡ ካልኣዊ ።

ከማሁ ፡ ለትውፊተ ፡ ቃል ፡ ዘሐዋርያት ፡ ወዘቅድስት ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ከመ ፡ ይደሉ ፡ ይትቀበልዋ ፡ ወያክብርዋ ።

ወዓዲ ፡ ሥልጣነ ፡ ኅድገታተ ፡ ዘሥቃየ ፡ ኃጢአት ፡ ከመ ፡ ተውህበ ፡ ለቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ እምኀበ ፡ ክርስቶስ ፡ ወግብሮሙ ፡

ለእሙንቱ ፡ ከመ ፡ ይከውን ፡ በቍዔተ ፡ ፈድፋደ ፡ ለሕዝበ ፡ ክርስቲያን ።

ወከማሁ ፡ በእንተ ፡ ኃጢአተ ፡ ርስት ፡ ወበእንተ ፡ አጽድቆ ፡ ወበእንተ ፡ ትእምርት ፡ ወትርጓሜ ፡ ዘመጻሕፍት ፡ ቅዱሳት ፡ ዘብሉይ ፡ ወዘሐዲስ ፡ ኪዳን ፡ በዘአቅደምነ ፡ ዘክሮታ ፡ ጉባኤ ፡ ትሪደንቶ ፡ ዘተወሰኑ ፡ እትዌከፍ ፡ ወእትአመን ።

ወከማሁ ፡ አከብር ፡ ወእትዌከፍ ፡ ዓቢየ ፡ ጉባኤ ፡ ዘባቲካኖ ። ወኵሎ ፡ ዘተውህበ ፡ እምኔሃ ፡ ወዘተወሰነ ፡ ወዘተከሥተ ። ፈድፋደሰ ፡ በእንተ ፡ ቀድምና ፡ ዘሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ሮማዊ ፡ ወበእንተ ፡ መምህርናሁ ፡ ዘኢይሔሱ ፡ እእኅዝ ፡ ወእትአመን ፡ ጽኑዓ ፡ ጥቀ ።

ወዓዲ ፡ ኵሎ ፡ ክልዓነ ፡ ዘተርፋ ፡ ዘትትዌከፍ ፡ ወዘትትአመን ፡ ቅድስት ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ሮማዊት ፡ እትዌከፍ ፡ ወእትአመን ። ወምስሌሃ ፡ ኵሎ ፡ ተቃርኖታተ ፡ ወፍልጠታተ ፡ ወኑፋቄያተ ፡ እምን ፡ ይእቲ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ዘተኰነኑ ፡ ወዘተገድፉ ፡ ወዘተወግዙ ፡ አነኒ ፡ ከማሃ ፡ እኴንኖሙ ፡ ወእገድፎሙ ፡ ወእወግዞሙ ።

ወዓዲ ፡ ለሊቀ ፡ ጳጳሳት ፡ ሮማዊ ፡ መትልወ ፡ ብፁዕ ፡ ጴጥሮስ ፡ ሊቀ ፡ ሐዋርያት ፡ ወመጋቢሁ ፡ ለኢየሱስ ፡ ክርስቶስ ፡ አማናዊተ ፡ ተአዝዞ ፡ እትከየድ ፡ ወእምሕል ።

ለዛቲ ፡ ሃይማኖት ፡ ዘቤተ ፡ ክርስቲያን ፡ ካቶሊካዊት ፡ ዘበአፍአ ፡ እምኔሃ ፡ መኑሂ ፡ ኢይክል ፡ ድኂነ ፡ ይእዜ ፡ በፈቃድየ ፡ እትአመና ፡ ወበጽድቅ ፡ እእኅዛ ። ወይእተ ፡ ፍጽምተ ፡ ወዘአልቦ ፡ ሙስና ፡ እስከ ፡ እስትንፋስ ፡ ደኃሪት ፡ በፅንዕ ፡ ፍጹም ፡ በረድኤተ ፡ እግዚአብሔር ፡ ከመ ፡ እእኅዝ ፡ ወእትአመን ፡ ወከማሁ ፡ እምእለ ፡ በታሕቴየ ፡ አው ፡ በእሙንቱ ፡ እለ ፡ መግቦቶሙ ፡ ትሔውፅ ፡ ኀቤየ ፡ በዘይደልወኒ ፡ ከመ ፡ ትትአኃዝ ፡ ወትትነገር ፡ ወትሰበክ ፡ መጠነ ፡ ክሂሎትየ ፡ ከመ ፡ አሰተሐምም ፡ አነ ፡ ለልየ ፡ እትከየድ ፡ ወእበፅዕ ፡ ወእምሕል ።

ወከመዝ ፡ ይርድአኒ ፡ እግዚአብሔር ፡ ወዝንቱ ፡ ቅዱስ ፡ ወንጌለ ፡ እግዚአብሔር ።

IN LINGUA ARMENA

Յանուն Հօր և Որդւոյ և Հոգւոյն Սրբոյ. Ամէն:

Ես

հաստատուն հաւատով հաւատամ, և դաւանիմ զամենայն և զիւրաքանչիւր պարունակեալսն ի Հանգանակին հաւատոյ, որով վարի Սուրբ Եկեղեցին Հռովմէական. այս է՝

Հաւատամ ի մի Աստուած Հայրն ամենակալ, յարարիչն երկնի և երկրի, ամենայն երևելեաց և աներևութից: Եւ ի մի Տէր Յիսուս Քրիստոս յՈրդին Աստուծոյ Միածին, և ի Հօրէ ծնեալ նախ քան զամենայն յաւիտեանս, Աստուած յԱստուծոյ, Լոյս ի Լուսոյ. Աստուած ճշմարիտ յԱստուծոյ ճշմարտէ. ծնունդ, և ոչ արարած, համագոյակից Հօր, որով ամենայն ինչ եղև. որ յաղագս մեր մարդկան և վասն մերոյ փրկութեան իջեալ ի յերկնից՝ մարմնացաւ Հոգւով Սրբով ի Մարիամայ Կուսէն, և մարդացաւ: Եւ ի խաչ ելեալ վասն մեր առ Պոնտացւով Պիղատոսիւ՝ չարչարեցաւ և թաղեցաւ: Եւ յարեաւ յաւուր երրորդի ըստ Գրոց, և ելեալ յերկինս՝ նստի ընդ աջմէ Հօր, և միւսանգամ գալոց է փառօք ի դատել զկենդանիս և զմեռեալս, որոյ թագաւորութեան ոչ գոյ վախճան: Եւ ի Սուրբ Հոգին Տէր և կենդանարար, որ ի Հօրէ և յՈրդւոյ բղխի, որ ընդ Հօր և ընդ Որդւոյ ի միասին երկրպագի և փառաւորի, որ խօսեցաւ ի մարգարէս: Եւ ի մի սուրբ, կաթողիկէ և առաքելական Եկեղեցի: Խոստովանիմ զմի մկրտու-

թիւն ի թողութիւն մեղաց։ Նաեւ ակնունիմ յարութեան մեռելոց, և կենաց հանդերձեալ յաւիտենից. ամէն։

Նաեւ ես յարգեմ և ընդունիմ զտիեզերական ժողովսն գնշանակեալս ի կարգիս, այսինքն. Զնիկիոյ առաջինն. և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Արիոսի, որոյ դատապարտեալ է յիշատակն, սահմանեցաւ, թէ Տէր Յիսուս Քրիստոս է Որդի Աստուծոյ ի Հօրէ ծնեալ Միածին, այսինքն է, ի գոյացութենէ Հօր. ծնունդ, և ոչ արարած, համագոյակից Հօր. և թէ յիրաւի դատապարտեցան ի ժողովէ անդ այս ամբարիշտ ձայնք, թէ էր երբեմն յորժամ ոչ էր, կամ թէ յոչէից եղեալ իցէ, կամ յայլմէ գոյացութենէ կամ յէութենէ, կամ թէ իցէ փոփոխելի կամ այլայլելի Որդին Աստուծոյ։

Զկոստանդնուպօլսոյ առաջինն, ըստ կարգի երկրորդ. և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Մակեդոնի, որոյ դատապարտեալ է յիշատակն, սահմանեցաւ, թէ Հոգին Սուրբ ոչ է ծառայ, այլ Տէր. ոչ արարած, այլ Աստուած. եւ ունի զմի Աստուածութիւն ընդ Հօր և ընդ Որդւոյ։

Զեփեսոսի զառաջինն, ըստ կարգի երրորդ. և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Նեստորի, որոյ դատապարտեալ է յիշատակն, սահմանեցաւ, թէ Աստուածութիւնն և մարդկութիւն անճառ և անհաս միաւորութեամբ ի միում անձին Որդւոյն Աստուծոյ, զմի Յիսուս Քրիստոս մեզ կացուցին, վասն այնորիկ Ամենօրհնեալ Կոյսն ճշմարտապէս է Աստուածածին։

Զքաղկեդոնին, ըստ կարգի չորրորդն. և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Եւտիքեայ և Դիոսկորոսի, որոց երկոցունցն յիշատակ է դատապարտեալ, սահմանեցաւ, թէ մի եւ նոյն Որդին Աստուծոյ Տէր մեր Յիսուս Քրիստոս է կատարեալ յԱստուածութեան և կատարեալ ի մարդկութեան, Աստուած ճշմարիտ և մարդ ճշմարիտ ի հոգւոյ բանականէ և ի մարմնոյ, համագոյակից Հօր ըստ Աստուածութեան, և նոյն ինքն համագոյակից մեզ ըստ մարդկութեան, ըստ ամենայնի նման մեզ բաց ի մեղաց. յառաջ քան զյաւիտեանս ի Հօրէ ծնեալ ըստ Աստուածութեան, և յաւուրս յետինս նոյն ինքն յաղագս մեր և վասն մերոյ փրկութեան ի Մարիամայ Աստուածածին Կուսէն ըստ մարդկութեան, մի եւ նոյն Քրիստոս Որդի Տէր Միածին, յերկուս բնութիւնս անշփոթ, անփոփոխելի, անբաժանելի, անանջատելի ծանուցեալ. ոչ երբէք ի բաց բարձեալ տարբերութեան բնութեանց վասն միաւորութեան, նա մանաւանդ ամբողջ պահեալ յատկութեան երկաքանչիւր բնութեան, և ի միում անձին և յինքնակայութեան համընթացեալ. ոչ յերկուս անձինս որոշեալ կամ բաժանեալ, այլ մի եւ նոյն Որդի և Միածին Աստուած Բանն, Տէր Յիսուս Քրիստոս։

Դաւանեալ, թէ նորին Տեառն մերոյ Յիսուսի Քրիստոսի Աստուածութիւնն, ըստ որոյ համագոյակից է Հօր և Հոգւոյն Սրբոյ՝ է անչարչարելի և անմահ. այլ նա ինքն խաչեցաւ և մեռաւ ըստ մարմնոյ եւեթ, որպէս նոյնօրինակ սահմանեալ կայ ի նմին ժողովի, և ի տումարի Սրբոյն Լեւոնի Հռովմայ Քահանայապետի, որոյ բերանով Երանելի Առաքեալն Պետրոս խօսեցաւ, որպէս վերաձայնեցին Հարքն ի ժողովի անդ. որով սահմանադրութեամբ դատապարտի ամբարիշտ հերետիկոսութիւն այնոցիկ, որք յԵրեքսրբեանն աւանդեալ ի Հրեշտակաց, որ և երգեցաւ ի նախասացեալ ժողովն Քաղկեդոնի, Սուրբ Աստուած, Սուրբ Հզօր, Սուրբ Անմահ ողորմեա մեզ, յաւելուին. որ խաչեցար վասն մեր. և այնպէս զաստուածային բնութիւն երից անձանց չարչարելի համարէին և մահկանացու։

Զկոստանդնուպօլսոյ երկրորդն, ըստ կարգի հինգերորդ, յորում նորոգեցաւ սահմանադրութիւն նախասացեալ ժողովոյն Քաղկեդոնի։

Զ Կոստանդնուպօլսոյ երրորդն, ըստ կարգի վեցերորդ․ և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Միակամեայց սահմանեցաւ, թէ ի մի և ի նոյն Տէր մեր Յիսուս Քրիստոս երկին են բնական կամք, և երկին բնական ներգործութիւնք, անանջատելի, անփոփոխելի, անբաժանելի, անշփոթելի․ և թէ մարդկային կամք նորա ոչ է հակառակ, այլ հպատակ աստուածային և ամենազօր կամաց նորա։

Զ Նիկիոյ երկրորդն։ ըստ կարգի եօթներորդն․ և դաւանիմ զոր ի նմա ընդդէմ Պատկերամարտից սահմանեցաւ, թէ զՊատկերս Քրիստոսի և Աստուածածնին Կուսին և այլոց Սրբոց արժան է ունել և պահել, և ընծայել նոցա զպարտ պատշաճ պատիւ և զյարգութիւն։

Զ Կոստանդնուպօլսոյ չորրորդն, ըստ կարգի ութերորդ․ և դաւանիմ, զի անդ Փոտիոս իրաւամբք դատապարտեցաւ․ և սուրբն Իգնատիոս Պատրիարք վերստին հաստատեցաւ յաթոռ իւր։

Նաև ես մեծարեալ պատուեմ և ընդունիմ զայլ ամենայն տիեզերական ժողովս օրինապէս հանդիսացեալս և հաստատեալս իշխանութեամբ Հռովմայ Քահանայապետին, և մանաւանդ զՖլորենտեան Սինհոդոսն, և դաւանիմ զորս միանգամ ի նմին սահմանեցան, այսինքն՝

Թէ Հոգին Սուրբ ի յաւիտենից է ի Հօրէ և յՈրդւոյ, և զէութիւն իւր և զենթակայական զգոլն իւր ունի ի Հօրէ և յՈրդւոյ միանգամայն, և յերկոցունց մշտնջենաւորապէս, որպէս ի միոջէ սկզբանէ, և միակ փչմամբ բղխի։

Նաև թէ յաւելուածն այն Եւ յՈրդւոյ ի պատճառս բացայայտութեան ճշմարտութեան, և ըստ ստիպելոյ հարկին, օրինօք և բանաւորապէս յաւելաւ ի Հանգանակ անդր։

Նաև թէ բաղարջ կամ խմորեալ հացիւ ցորենոյ ճշմարտապէս կատարի Մարմին Քրիստոսի, և քահանայք միոյն կամ միւսոյն յայսցանէ պարտին կատարել զնոյն Մարմին Տեառն, այսինքն՝ իւրաքանչիւր ըստ իւրոյ, կամ Արևմտեան և կամ Արևելեան եկեղեցւոյ սովորութեան։

Նաև զարձեալ, եթէ ճշմարտապէս ապաշխարողքն վախճանեսցին ի սէր Աստուծոյ, մինչչև վճարեալ իցեն արժանաւոր պտղովք ապաշխարութեան զհատուցումն մեղաց գործելոց և զանցառութեանց, հոգիք նոցա յետ մահու մաքրին պատժովք քաւարանին, և առ ի թեթևանալ ի պատժոյ անտի օգտեն նոցա օժանդակութիւնք հաւատացելոց կենդանեաց, որպէս զոհք Պատարագաց, աղօթք և ողորմութիւնք, և այլ գործք բարեպաշտականք, զորս հաւատացեալք վասն այլոց հաւատացելոց սովոր են առնել, ըստ սահմանադրութեանց Եկեղեցւոյ․ և հոգիք այնոցիկ՝ որք յետ ընդունելոյ զմկրտութիւն՝ ոչինչ ամենևին արատ մեղաց յինքեանս ձգեալ իցեն, որպէս և նոքա՝ որք յետ վարակելոյ արատով մեղաց՝ մաքրեալ իցեն, կամ ի մարմնի աստ կամ յետ ելից ի մարմնոյ, իսկ և իսկ յերկինս ընկալեալ լինին, և դէմ յանդիման պայծառ տեսանեն զնոյն ինքն զԱստուած Երրեակ և զՄին, որպէս և էն․ այլ ըստ զանազանութեան արդեանց՝ մի քան զմի կատարելագոյն․ իսկ հոգիք նոցա որք մեռանին ի ներգործական մահուչափ մեղս, կամ ի սկզբնականն և եթ, իսկ և իսկ ի դժոխս իջանեն, բայց անհաւասար պատժովք պատուհասին։

Նա. թէ սուրբ Գահն առաքելական և Քահանայապետն Հռովմայ յընդհանուր տիեզերս ունի զգլխաւորութիւն, և նա ինքն Հռովմայ Քահանայապետն է յաջորդ Երանելւոյն Պետրոսի Առաքելապետի, և ճշմարիտ փոխանորդ Քրիստոսի, և գլուխ համօրէն Եկեղեցւոյ, և հայր և վարդապետ ամենայն քրիստոնէից․ և նմա յանձին Երանելւոյն Պետրոսի աւանդեալ է ի Տեառնէ մերմէ Յիսուսէ

Քրիստոսէ լիակատար իշխանութիւն հովուելոյ, ուղղելոյ և կառավարելոյ զընդհանուր Եկեղեցի, որպէս և (ըստ ասելոյ Նորին Փլորենտեան Սինհոդոսի), ի գործս տիեզերական ժողովոց և ի սուրբ կանոնս պարունակի։

Նաև թէ օրինականք Հնոյ Կտակի, կամ արարողութիւնք Մովսիսական օրինաց, սրբութիւնք, զոհք և խորհուրդք դադարեցան ի գալստեան Տեառն մերոյ Յիսուսի Քրիստոսի, և յետ հրատարակելոյ Աւետարանին՝ չէ մարթ պահել զայնոսիկ առանց մեղաց։ Նաև ես խտրութիւնք կերակրոց սրբոց և անսրբոց Հին Օրինաց վերաբերին առ արարողականս՝ որք անհետ եղեն ի ծագել Աւետարանին։

Նաև ես այն արգելումն Առաքելոց ի զոհելոց անտի կռոց, և յարենէ, և ի հեղձուցելոյ, ի դէպ էր այն ժամանակի, որպէս զի բարձցի ի միջոյ առիթ երկպառակութեան որ ընդ հրէայս և ընդ հեթանոսս. արդ՝ ի դադարել պատճառի Առաքելական արգելմանդ այդորիկ դադարեաց և գործն։

Նմանապէս յարգեմ և ընդունիմ զՏրիտենդեան Սինհոդոսն, և դաւանիմ որ ինչ ի նմին սահմանեցաւ և յայտ արարաւ, և մանաւանդ զայն, թէ ի Պատարագի մատուցանի Աստուծոյ ճշմարիտ, իսկական, և քաւութեան զոհ վասն կենդանեաց և ննջեցելոց. և թէ յԱմենասուրբ խորհուրդն Հաղորդութեան՝ (ըստ հաւատոյն, որ միշտ հաստատուն եղև յԵկեղեցւոջ Աստուծոյ) պարունակի ճշմարտապէս, իրապէս, և գոյացապէս Մարմին և Արիւն հանդերձ Հոգւովն և Աստուածութեամբն Տեառն մերոյ Յիսուսի Քրիստոսի ուստի բովանդակ Քրիստոս. և լինի փոխարկումն բովանդակ գոյացութեան հացին՝ ի Մարմին, և բովանդակ գոյացութեան գինւոյ՝ յԱրիւն, և զայս փոխարկութիւն Կաթողիկէ Եկեղեցի պատշաճապէս կոչէ գոյացափոխութիւն. և ընդ իւրաքանչիւր տեսակաւ, և ընդ իւրաքանչիւր մասամբք անձնիւր տեսակաց, 'ի լինել բաժանման, բոլոր Քրիստոս պարունակի։

Նաև ես՝ թէ եօթն են խորհուրդք Նորոյ Օրինացս ի Քրիստոսէ Տեառնէ մերմէ սահմանեալք ի փրկութիւն ազգի մարդկան, թէպէտև չիցեն ամենեքին իւրաքանչիւրոցն հարկաւորք. այսինքն՝ Մկրտութիւն, Դրոշմ, Հաղորդութիւն, Ապաշխարութիւն, Վերջին Օծումն, Կարգ, եւ Պսակ, և սոքա տան զշնորհս. և ի սոցանէ զՄկրտութիւն, զԴրոշմ և զԿարգ անմարթ է կրկնել։

Նաև թէ Մկրտութիւնն է հարկաւոր առ ի փրկութիւն, նմին իրի եթէ վասնզի մահու կայցէ մօտալուտ, իսկոյն անյապաղ պարտ է մատակարարել զՄկրտութիւնն. և է վաւեր, եթէ կարեոր նիւթով, ձևով և դիտաւորութեամբ մատակարարեսցի յումմէ, և երբ և իցէ։

Նաև դարձեալ՝ թէ կապն Խորհրդոյ Պսակին է անլուծանելի. և թէպէտև հնար իցէ բաժանիլ ամուսնացն ըստ առագաստին և բնակցութեան՝ վասն շնութեան և հերետիկոսութեան, և կամ վասն այլ ինչ պատճառաց, բայց չէ՛ օրէն նոցա յայլ ամուսնութիւն անցանել։

Նաև ես, թէ զԱռաքելական և զԵկեղեցական աւանդութիւնս պարտ է ընդունել և յարգել։

Նաև թէ, իշխանութիւն Ներողութեանց ի Քրիստոսէ շնորհեալ է յԵկեղեցւոջ, և կիրառութիւն նոցին կարի փրկաւէտ է քրիստոնեական ժողովրդեան։

Նմանապէս՝ զոր ինչ միանգամ յաղագս սկզբնական մեղաց, յաղագս Արդարացուցման, և յաղագս ցուցակի սուրբ գրոց Հին և Նոր կտակարանաց և մեկնութեան նոցին սահմանեալ են ի նախասացեալ Ժողովն Տրիտենդեան, ընդունիմ և դաւանիմ։

Նոյնպէս եւ յարգեմ և ընդունիմ զտիեզերական Սիւնհոդոսն Վատիկանեան, և ամենայն հաստատութեամբ յանձն առնում և դաւանիմ զհամօրէն աւանդեալս, սահմանեալս և յայտ արարեալս առ ի նմանէ, մանաւանդ զգլխաւորութենէ Քահանայապետին Հռովմայ և զնորին անսխալ վարդապետութենէ։

Եւ ես զայլ ամենայն ինչ ընդունիմ և դաւանիմ, զոր ինչ ընդունի և դաւանի սուրբ Եկեղեցին Հռովմէական. միանգամայն և զամենայն հակառակս, և զհերձուածս, և զհերետիկոսութիւնս զառ ի յԵկեղեցւոյ անտի դատապարտեալս, հերքեալս և նզովեալս՝ և ես նոյնպէս դատապարտեմ, հերքեմ և նզովեմ։

Եւս և Հռովմայ Քահանայապետի, յաջորդին Երանելւոյն Պետրոսի Առաքելապետի, և փոխանորդին Յիսուսի Քրիստոսի, խոստանամ և երդնում զճշմարիտ հնազանդութիւն։

Զայս Հաւատս Կաթողիկէ Եկեղեցւոյ, արտաքոյ որոյ ոչ ոք կարէ փրկիլ, զոր յայժմուս կամաւորապէս դաւանիմ և ճշմարտապէս ունիմ, զնոյն ամբողջ և անարատ մինչև ցյետին շունչ կենացս ամենայն հաստատութեամբ, օգնականութեամբն Աստուծոյ, պահել և խոստովանիլ, եւս և հպատակաց իմոց, կամ որոց խնամք ըստ պաշտաման իմոյ՝ ինձ յանձն իցեն, տալ պահել, ուսուցանել և քարոզել ըստ կարի իմում ջանացայց. ըստ այսմ՝ ես ինքն խոստանամ, ուխտեմ և երդնում։ Այսպէս օգնեսցէ ինձ Աստուած եւ սուրբ Աւետարանս Աստուծոյ։

Formula brevior professionis fidei pro haereticis seu schismaticis orientalibus.

Ego N. N. firma fide teneo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas: et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo Dominum Nostrum Iesum Christum Deum et hominem esse, perfectum Deum perfectumque hominem; divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem immaculate conceptam vere esse Dei genitricem; duas in ipso Christo esse inconfuse naturas, duasque naturales voluntates, et duas naturales operationes.

Credo septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse.

Credo in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, ac sub altera tantum specie totum atque integrum Christum sumi.

Credo matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Credo, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta; illorumque animas qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae, post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exutae sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Credo S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Cetera item omnia a ss. Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Florentina, Tridentina et Vaticana Synodo tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili

magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia et schismata et haereses ab Ecclesia damnatas, ego quoque reiicio et damno. Hanc veram fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam sponte profiteor, et veraciter teneo, hanc ipsam omnino usque ad extremum vitae meae spiritum, Deo adiuvante, volo retinere et profiteri.

Sic ego N. *(ponit dexteram supra S. Evangelium)* promitto et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Professio orthodoxae fidei iuxta formam a Summis Pontificibus Pio IV. et Pio IX. Latinis praescriptam (1).

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum

(1) DECRETUM. – Quod a priscis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, idipsum, sacrosancta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV., qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita idibus novembris MDLXIV. constitutione *Iniunctum nobis*, formam concinnavit professionis fidei recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis, quos de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contingeret. Quod et alia constitutione edita eodem die et anno incipien. *In sacrosancta* salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes, vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos sive laicos, vel cuiusvis ordinis regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos.

Iam vero, cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per literas apostolicas *Postquam Dei munere* diei XX. octobris MDCCCLXX. indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae constitutiones, prima scilicet de fide catholica, quae incipit *Dei filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor aeternus*, non solum opportunum, sed etiam necessarium diiudicatum est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SSmus D. N. Pius PP. IX., exquisito ea desuper re voto specialis Congregationis emorum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit, praecepit atque mandavit, ceu per praesens decretum praecipit ac mandat, ut in praecitata Piana formula professionis fidei, post verba « *praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo* », dicatur « *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio* », utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis constitutionibus S. M. Pii IV. statutis. Id igitur ubique, et ab omnibus, ad quos spectat, diligenter ac fideliter observetur, non obstantibus etc.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Concilii die XX. ianuarii MDCCCLXXVII.

P. Card. CATERINI *Praefectus*.

I. Archiepiscopus Ancyranus *Secretarius*.

Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia *transubstantiationem* appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam, et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.

APPENDIX II.

Tractatus seu concordata de re ecclesiastica inita inter S. Sedem et civilia gubernia regionum, quae iurisdictioni S. Congregationis de Prop. Fide subsunt (1).

I.

Conventio inter Pium VII. et Regem Borussiae. - 1821.

Vide constitutionem Pii VII. *De salute animarum* in qua est inserta conventio, *in Iur. Pontific.* vol. IV., pag. 59.

II.

Conventio inter Pium VII. et principes provinciae ecclesiasticae Rheni superioris. - 1821.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Provida solersque Romanorum Pontificum sollicitudo in iis componendis et ordinandis, quae ad aptiorem Dominici Gregis custodiam ac procurationem ex ipsa etiam temporum ac locorum natura magis expedire dignoscantur, eos adigit ad novas episcopales sedes quandoque constituendas, et quandoque illarum aliquas transferendas, ut, Domino messis benedicente, aptiora exinde in fidelis populi spirituale bonum praesidia queant comparari. Statim ac itaque reddita fuit Germaniae tranquillitas, nos, ad componendas res ecclesiasticas, in praeterita temporum calamitate perturbatas, continuo direximus curas nostras, iisque in Bavariae regno quatuor abhinc annis opportune ordinatis, nostras pariter sollicitudines absque mora convertimus ad illos omnes orthodoxae fidei cultores, qui actu subsunt dominationi Serenissimorum Principum Statuumque Germaniae, nempe Regis Wirtembergiae, Magni Ducis Badensis, Electoris Hassiae, Magni Ducis Hassiae, Ducis Nassoviae, Liberae Civitatis Francofurtensis, Magni Ducis Megalopolitani, Ducum Saxoniae, Ducis Oldenburgensis, Principis Waldeccensis, ac Liberarum Civitatum Hanseaticarum, Lubeccensis et Bremensis, qui, esse paratos ostendendo ad omnem operam dandam pro Episcopatuum ab Apostolica Sede vel erigendorum vel instaurandorum convenienti dotatione, Legatos communi nomine Romam, huius rei causa, miserunt. Ast, cum res omnes ecclesiasticae, de quibus actum fuit, conciliari minime potuerint, spe tamen non decidentes fore ut pro eorundem Principum ac Statuum sapientia valeant illae in posterum componi; ne interea christifideles in dictis regionibus commorantes, quos in maxima spiritualis regiminis necessitate agnoscimus constitutos, diutius propriis destituantur Pastoribus, ad nonnullarum in praecipuis ipsorum Principum et Statuum civitatibus ac territoriis sedium erectionem ac dioecesium circumscriptionem procedendum esse decrevimus, ut celerrime Ecclesiis illis de suis Episcopis providere valeamus: reservata nobis cura, catholicos aliorum Principum subditos, iis dioecesibus, quas commodiores iudicabimus, in posterum adiungendi.

§ 2. Audito igitur consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, supprimimus, annullamus et extinguimus titulum, denominationem, naturam et essentiam, totumque praesentem statum

(1) Perutile, imo necessarium, visum est huc referri tractatus huiusmodi, tum quia plurimis in casibus explanare possunt Missionariis res agendas, tum maxime quia, sicut generatim concordata ius pontificium novissimum constituunt, ita novissimi iuris pontificii de Propaganda Fide sunt veluti fundamentum ea, quae inita fuere cum guberniis regionum, quae sac. Congregationi P. F. subsunt.

vacantium tam episcopalis ecclesiae Constantiensis, quam praepositurae vere nullius Sancti Viti Elvacensis una cum suis capitulis, ad effectum libere procedendi ad infra dicendas novas ecclesiarum erectiones ac dioecesium circumscriptiones, atque ulterius immutamus praesentem statum episcopalium Ecclesiarum Moguntinae ac Fuldensis, ita ut illa a quocunque metropolitico iure Archiepiscopi Mechliniensis omnino subtracta et non amplius dispositioni nostrarum litterarum apostolicarum incipientium « Qui Christi Domini » datarum tertio calendas decembris anni millesimi octingentesimi primi subiecta remaneat, atque ista a regulari statu per alias apostolicas litteras fel. memor. Benedicti decimi quarti praedecessoris nostri, quarum initium « In Apostolicae » constituto, ad statum saecularem translata intelligatur; ac scientia, deliberatione et potestate similibus, ad omnipotentis Dei gloriam, orthodoxae fidei exaltationem et catholicae religionis incrementum, Friburgum Brisgoviae civitatem principem, studiorum academia aliisque fundationibus insignem atque a novem mille et amplius civibus inhabitatam, in civitatem archiepiscopalem, ac celeberrimum templum sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in ecclesiam archiepiscopalem et parochialem; pariterque Rottenburgum ad Nicarum, olim caput Ducatus Hohenbergensis in medio Regni Wirtembergiae, in quo tribunal provinciae existit, quodque incolar. quinque millia quingenti inhabitant, in civitatem episcopalem, in eadem peramplum templum sub invocatione Sancti Martini Episcopi et Confessoris, in ecclesiam episcopalem; nec non Limburgum ad Lahnum, fertili solo, in medio Ducatus Nasovici situm, et bis mille septingentos continens habitatores, in civitate similiter episcopalem, et in illa existens templum sub invocatione Sancti Georgii, in ecclesiam item episcopalem cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praeeminentiis, honoribus et privilegiis archiepiscopali et episcopalibus respective sedibus legitime competentibus, perpetuo erigimus et constituimus. Antedictae vero metropolitanae ecclesiae Friburgensi praefatas quatuor episcopales ecclesias Moguntinam, Fuldensem, Rottenburgensem ac Limburgensem suffraganeas assignamus.

§ 3. Porro quodlibet capitulum tam metropolitanae Friburgensis, quam cathedralium ecclesiarum Moguntinae ac Rottenburgensis ex unica decanatus dignitate et sex canonicatibus: Fuldense vero ex dignitate decanatus et quatuor canonicatibus; ac Limburgense ex decanatus dignitate, ac quinque canonicatibus, respective constabunt; ac insuper, ad ministrorum numerum aliquantulum augendum, sex in Friburgensi ac Rottenburgensi, quatuor in Moguntina et Fuldensi, ac duae in Limburgensi respective ecclesiis praebendae seu vicariae pro totidem praebendatis seu vicariis erunt constabiliendae. Unicuique autem ex memoratis capitulis, ut pro chori servitio, pro distributionum et aliorum quorumlibet emolumentorum divisione, pro onerum supportatione, pro rerum ac iurium tam spiritualium quam temporalium prospero felicique regimine ac directione quaecunque statuta, capitula et decreta, licita tamen et honesta et canonicis regulis minime adversantia, sub respectivi, pro tempore existentis, Antistitis praesidentia, inspectione et adprobatione condere atque edere, nec non gratiis, insignibus ac privilegiis, quibus alia cathedralium ecclesiarum in illis partibus capitula legitime fruuntur et gaudent, frui et gaudere libere ac licite possint et valeant, licentiam et facultatem concedimus ac impertimur.

§ 4. Cuilibet profecto Antistiti supradictarum ecclesiarum expresse iniungimus, ut, servatis servandis, deputet ex canonicis unum, qui munus poenitentiarii stabiliter exerceat, ac alterum, a quo sacra scriptura statis diebus populo exponatur, vel, si minus commode canonici ad haec munera deputari possint, curabunt Episcopi, ut muneribus huiusmodi ab aliis idoneis presbyteris satis fiat, utque media ad congruam laborum mercedem presbyteris ipsis comparandam opportune conquirantur.

§ 5. Cumque ad praescriptum sacri Concilii Tridentini pro cleri educatione ac institutione Seminarium puerorum ecclesiasticum ab Episcopo libere regendum et administrandum existere debeat in singulis ex praedictis tam archiepiscopali quam episcopalibus ecclesiis, ubi is alumnorum alatur numerus, quem respectivae dioecesis necessitas et utilitas postulat; cumque in quatuor ex illis iam adesse sciamus: in reliqua ecclesia, quamprimum poterit, congrue erigendum mandamus.

§ 6. Volentes nunc ad quinque supradictarum dioecesium circumscriptionem procedere, ut, distinctis singularum finibus, nulla quaestio inter respectivos Episcopos circa ecclesiasticae iurisdictionis exercitium exurgere possit, praevia dismembratione infra nominandorum locorum a dioecesibus et ecclesiis, a quibus actu dependent, de simili apostolicae potestatis plenitudine, sequentia decernimus, praescribimus et constituimus: Metropolitana Friburgensis ecclesia pro dioecesano suo territorio habebit cunctam ditionem Magni Ducatus Badensis, nempe paroecias intra limites huiusce Ducatus positas, quae partim ad Constantiensem, partim etiam ad Argentinensem, Spirensem, Wormatiensem, Herbipolensem, Basileensem et Ratisbonensem dioeceses vel pertinent, vel iam pertinebant; alias quatuordecim paroecias cum sua filiali positas in Principatu Hohenzollern-Hechingen ad praefatam dioecesim Constantiensem pertinentes, nec non viginti quatuor paroecias in Principatu Hehenzollern-Sigmaringen existentes eidem Constantiensi dioecesi spectantes, atque insuper octodecim paroecias decanatus Vöringen, ac paroecias septemdecim decanatus Hachigerlo in dicto sitas Principatu et ad praedictam dioecesim pertinentes.

§ 7. Episcopalis ecclesia Moguntina pro suo territorio dioecesano habebit universam ditionem Magni Ducatus Hassiaci, nempe paroecias omnes dioecesi Moguntinae reliquas post separationem locorum sub ditione Bavarica existentium, aliaque loca et paroecias ex Ratisbonensi ac Wormatiensi dioecesibus, nec non unicam paroeciam loci Herbstein ex dioecesi Fuldensi ad Magnum Ducatum praedictum in temporalibus pertinentes, ac denique paroecias in locis Darmstadt, Giessa et Offenbach eiusdem Magni Ducatus Hassiaci, ita tamen ut a primo futuro Episcopo in locis, quae maxima in parte ab Acatholicis inhabitantur, novae parochiales ecclesiae pro catholicis fundentur, si ipsi in magno sint numero, si vero exiguo, paroeciis catholicis vicinioribus adscribantur.

§ 8. Ecclesia episcopalis Fuldensis pro suo dioecesano territorio habebit totum electoratum Hassiae, videlicet quadraginta paroecias actu in ipsa dioecesi comprehensas, paroecias viginti ex antiqua metropolitana dioecesi olim Moguntina, postea Ratisbonensi, atque unam in loco Volkmarsen ex dioecesi Paterbonensi, demptis illis paroeciarum fractionibus, quae in Bavarico regno existentes proximioribus aliis paroeciis dioecesium regni Bavariae aut iam applicatae fuerunt, aut brevi ex apostolica delegatione applicabuntur. Paroeciarum autem exterarum fractiones, in dictione Hassiaca existentes, proximiori alicui dioecesis Fuldensis paroeciae vel paroeciis erunt applicandae. Eidem interea Fuldensi dioecesi unitas relinquimus novem paroecias in Magno Ducatu Saxonico Weimariensi sitas, de quibus aliter, si opus fuerit, disponendi nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris facultatem libere reservamus.

§ 9. Rottenburgensis episcopalis ecclesia pro suo territorio dioecesano habebit integrum regnum Wirtembergense cum paroeciis omnibus, quae iam ab anno millesimo octingentesimo decimo sexto ab Augustana, Spirensi, Wormatiensi et Herbipolensi dioecesibus fuerunt separatae, nec non paroeciis ad suppressam praeposituram S. Viti Elvacensis nullius dioecesis antea pertinentibus.

§ 10. Episcopalis demum ecclesia Limburgensis pro dioecesano suo territorio habebit totum ducatum Nassovicum, in quo comprehenduntur quinquaginta octo paroeciae ad antiquam Ratisbonensem, et paroeciae quinquaginta duae ad antiquam Trevirensem olim dioeceses metropolitanas spectantes, nec non viginti quatuor paroeciae in provincia Dillenburg et Weilburg existentes, ac insuper territorium liberae civitatis Francofurtensis, in quo cum tribus filiabus unica existit parochialis ecclesia sub invocatione S. Bartholomaei Apostoli, ad quam Catholici omnes dictae civitatis ac territorii pertinent, quaeque a supradicta Ratisbonensi dioecesi pendebat.

§ 11. Supradictas idcirco civitates et ecclesias in archiepiscopalem et episcopales erectas cum praedictis locis et paroeciis quinque supranumeratis ecclesiis pro respectivo dioecesano territorio attributis, illorum incolas utriusque sexus, tam clericos quam laicos, pro clero et populo, perpetuo assignamus et cuiuslibet Antistitis iurisdictioni spirituali omnimodo subiicimus, ita ut personis iuxta canonicas sanctiones dignis et idoneis ad easdem archiepiscopalem et episcopales ecclesias regendas tam pro hac prima vice, quam futuris temporibus, apostolica au-

ctoritate, praevio inquisitionis processu, a Romano Pontifice, ad formam instructionis piae memoriae Urbani Papae octavi praedecessoris nostri iussu editae, in singulis casibus committendo, praeficiendis liceat, quemadmodum nos praecipimus et mandamus, per se ipsos, vel per alios eorum nomine, postquam tamen praesentes literae debite atque integre fuerint executae, et praesules ipsi apostolicae provisionis literas consecuti fuerint, veram, realem, et corporalem possessionem regiminis, administrationis, et omnimodi iuris dioecesani in praedictis ecclesiis, civitatibus, ac dioecesibus, et bonis aliisque redditibus pro dotatione assignatis vel assignandis libere apprehendere, apprehensamque perpetuo retinere. Decernimus interea, ut omnia et singula loca supra memorata ab iisdem sive vicariis, sive administratoribus legitime deputatis, temporarie pergant gubernari, quibus actu subduntur.

§ 12. Ut autem omnia et singula superius a nobis disposita celerem felicemque sortiantur effectum, venerabili fratri Ioanni Baptistae de Keller Episcopo Evariensi, quem nominamus, eligimus ac deputamus praesentium literarum nostrarum exequutorem, committimus et mandamus, ut ad supradictarum ecclesiarum, capitulorum et seminariorum in bonis fundisque stabilibus, aliisque redditibus cum iure hypothecae specialis, et in fundos postmodum ac bona stabilia convertendis, ab iis in proprietate possidendis et administrandis respectivam dotationem procedat, modo et forma, quibus a serenissimis Principibus, quorum sub ditione singulae Dioeceses sunt positae, oblata et expressa fuerunt per infra memoranda instrumenta legitima forma exarata, et ad nos transmissa, quae servantur in actis huius congregationis rebus consistorialibus praepositae, et quorum authentica exempla a praedicto exequutore singulis ecclesiis tradentur in eorum respective archiviis asservanda; videlicet:

§ 13. Archiepiscopali Ecclesiae Friburgensi in Brisgovia assignabit dominatum Lincensem, vulgo Linz, aliosque redditus, quae bona redditusque in totum septuaginta quinque millium trecentum sexaginta quatuor florenorum rhenensium annuam summam producunt, prout clare ac distincte describitur in instrumento ex speciali mandato magni ducis badensis die vigesima tertia decembris anni millesimi octingentesimi vigesimi confecto: fundos vero dictus Ioannes Baptista Episcopus ita distribuet, ut ex iis obveniant quotannis archiepiscopali mensae floren. tria decem millia quatuor centum, quibus addendo eas praestationes infra enarrandas a tribus cathedralibus ecclesiis annuatim persolvendas, eiusdem friburgensis mensae archiepiscopalis annui redditus erunt florenorum quatuordecim millium septingentorum et decem; decano capituli floren. quatuor millia; primo ex canonicis floren. bismille tercentum; cuilibet ex aliis quinque canonicis floreni mille octingenti; unicuique demum ex sex praebendatis floreni nongenti; seminario insuper dioecesano floren. viginti quinque millia; fabricae cathedralis ecclesiae floren. quinque millia ducenti sexaginta quatuor; cancellariae archiepiscopali floren. tria millia; domibus denique ecclesiasticorum emeritorum et demeritorum, vel iam existentibus, vel ab Ordinario, cuius iurisdictioni subdentur, erigendis, floren. octo millia. Praeterea pro archiepiscopi habitatione assignabit palatium in civitate friburgensi, foro ecclesiae metropolitanae adiacens, antea statibus provincialibus Brisgoviae destinatum, cum suis adnexis pertinentiis, atque horto ante portam civitatis, et pro habitatione tam decani quam sex canonicorum et sex praebendatorum alias domos in praedicto instrumento descriptas.

§ 14. Episcopali ecclesiae Moguntinae, firmis redditibus et proventibus quibus actu gaudet, annuam tribuet summam viginti millium floren. rhenensium percipiendam ex proventibus ac redditibus praefecturae Moguntinae ad exigenda vectigalia redditusque dominicos constitutae, solvendam quotannis praedictae ecclesiae ea lege, ut memorata summa gaudeat iure hypothecae in bonis fundis et redditibus dominicis eiusdem praefecturae Moguntinae, utque huiusmodi dispositio firma, stabilis et inconcussa maneat, donec ipsi Episcopo ecclesiae Moguntinae praedia et fundi, quorum fructus viginti millium florenorum summam annuatim producant, pleno iure ab ea possidenda assignentur, prout expresse cavetur in instrumento ex speciali mandato magni ducis Hassiae et ad Rhenum die vigesima sexta augusti anni millesimi octingente-

simi vigesimi exarato. Hac autem summa viginti millium florenorum annuorum adiuncta redditibus, qui dotem modo exstantem Moguntinae Ecclesiae constituunt, tamquam supplementum dotationis, tota quantitas redditnum, quae inde exurget, ita a praefato exequutore distribuenda erit, ut Episcopo florenorum octo millium, Vicario eius generali florenorum bismille quingentorum, cuilibet ex sex canonicis florenorum mille octingentorum, primo vero ex quatuor praebendatis nongentorum florenorum, et cuilibet ex aliis tribus octingentorum florenorum annuos redditus liberos praebeant. Haec tamen dispositio quoad decanum, canonicos, et praebendatos suum non sortietur effectum, nisi cum Moguntinae cathedralis Ecclesiae Canonicorum numerus ad senarium fuerit redactus, in quem finem decernimus, ut quatuor ex decem illius capituli actualibus praebendis primo quomodocunque vacaturae aliis non conferantur, ad hoc ut idem capitulum ex decano et sex Canonicis imposterum constet. Interea tamen decem viventes Canonici eosdem annuos redditus percipient, quos ante avulsam ac Spirensi ecclesiae attributam portionem antiquae Moguntinae dioecesis percipiebant, quique post novam circumscriptionem dioecesium territorii olim Galliarum per alias nostras literas sub plumbo datas tertio kalendas decembris anni millesimi octingentesimi primi statutam illis attributi fuerunt. Quoad praebendatos autem in Moguntina ecclesia cathedrali actu non existentes, quoniam eorum vice funguntur presbyteri habentes redditus partim praebendae ex officio fabricae minutae praesentiarum nomine nuncupatae, partim pensionum, quae a gubernio solvuntur in praesens, hinc huiusmodi presbyteri idem servitium cum dictis redditibus cathedrali Ecclesiae praestare pergent, donec, iis decedentibus, quatuor supra memoratae praebendae, ex nunc pro tunc erigendae, constitui possint cum supra enunciata dotatione annuorum florenorum nongentorum pro primo, et florenorum octingentorum pro quolibet ex aliis tribus praebendatis. Pro Episcopi autem habitatione domus illa cum adiacente horto inserviet, qua huc usque gavisus fuit; idem peragendum erit tam pro praesentibus, quam pro futuris Canonicis, pro quorum habitatione iam assignatae reperiuntur decem domus, quarum quatuor hortos etiam habent adiacentes. Ad fabricam cathedralis ecclesiae manutenendam, et ad sustinendos sumptus ad divinum cultum necessarios, conservabuntur fundi, praedia aliique redditus a praedicta ecclesia ab antiquo possessa, quae ad annuam termille tercentorum triginta quinque florenorum summam pertingunt. Idem disponimus circa seminarium dioecesanum, quod, praevia suppressione coenobii olim a religiosis viris ordinis fratrum eremitarum S. Augustini inhabitati, in ipso coenobio cum adnexis ecclesia atque horto stabiliter erigendum constituimus, ipsique assignandos decernimus annuos redditus partim ex antiquis eius fundis, anno millesimo octingentesimo sexto restitutis, partim ex posterioribus dotationibus et legatis provenientes, ac termillium septingentorum florenorum summam constituentes, firma etiam recentissima et uberrima dotatione ipsius favore facta, nec non aliis inposterum forsan faciendis, quarum redditus eidem seminario perpetuo erunt addicendi. Idem demum disponimus de domo emeritorum Pfaffenschwabenhemii existente, ac destinata fovendis et sustentandis clericis aut senio fessis aut morbo fractis, quam, praevia suppressione coenobii olim a canonicis regularibus ordinis S. Augustini inhabitati, in huiusce coenobii fabrica constitui mandamus: et cuius dotatio annuam profert summam florenorum mille octingentorum viginti duorum, ultra ea, quae subsidii charitativi nomine veniunt, collecta in parte antiquae dioecesis Moguntinae, postea Ratisbonensis, quae solvi hucusque solita, non exigua capient incrementa.

§ 15. Fuldensis ecclesia episcopalis habebit agros, prata, et silvas, aliosque redditus annuam summam florenorum rhenensium viginti sex millium tercentum et septuaginta constituentes, prout latius describitur in instrumento ab antedicto electore Hassiae sub die quarta decima martii anni millesimi octingentesimi vigesimi primi confecto. Hanc autem dotationem praefatus exequutor ita distribuet, ut Episcopo sex millia floren., decano capituli bismille sexcenti floreni, unicuique ex quatuor canonici mille octingenti floreni, cuilibet ex quatuor praebendatis octingenti floreni annuatim obveniant, fabricae cathedralis Ecclesiae duo florenorum millia, seminario dioecesano septem

millia florenorum, et Archiepiscopo friburgensi, tanquam metropolitano, centum septuaginta floreni annuatim persolvantur. Insuper pro habitatione Episcopi, proque curia episcopali, statuimus domum Cathedrali Ecclesiae proximam ad montem S. Michaelis cum duobus adiacentibus hortis et pertinentiis suis; pro habitatione decani, quatuor canonicorum et quatuor praebendatorum alias domos in memorato instrumento descriptas; ac denique pro seminario, aedificium proximum cathedrali Ecclesiae, iam ad hunc usum destinatum, cum horto adiacente.

§ 16. Rottenburgensis ecclesia episcopalis gaudebit redditibus singulatim descriptis in instrumento, ex speciali mandato antedicti regis Wirtembergensis die decima novembris anni millesimi octingentesimi vigesimi confecto, qui quidem ita a praedicto exequutore dividendi erunt, ut episcopali mensae decem millia floren., decano capituli bismille quatuor centum floren., unicuique ex sex canonicis floreni mille octingenti, primo e sex praebendatis floreni nongenti, cuilibet ex aliis quinque praebendatis floreni octingenti, fabricae cathedralis Ecclesiae et manutentioni aliorum aedificiorum floreni mille quatuor centum, seminario dioecesano floren. octo millia nonaginta duo, cancellariae episcopali floren. sex millia nongenti et sexdecim, cathedrali Ecclesiae pro divini cultus expensis floren. bismille centum et quinquaginta, pro aedituo aliisque Ecclesiae inservientibus floreni octingenti, et Archiepiscopo Friburgensi, tamquam metropolitano, octingenti sexaginta quatuor floreni annuatim obveniant. Quod si decanus ad munus etiam Vicarii Generalis ab Episcopo eligatur, alii floreni mille et centum ipsi erunt persolvendi: si vero simplex canonicus capitularis ad praedictum vicarii generalis munus ab Episcopo designabitur, eidem florenorum mille septingentorum augmentum attribuetur. Praeterea pro habitatione Episcopi proque curia episcopali, domum in civitate Rottenburgi versus vallem Nicari sitam, praefecturae regiae antea destinatam, cum adiacente horto, ac pertinentiis suis; pro habitatione decani capituli, sex canonicorum, et sex praebendatorum, alias domos in praedicto instrumento pariter descriptas; nec non pro Seminario Episcopali, praevia suppressione Conventus olim inhabitati a Fratribus ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, domum ipsius quondam coenobii ad Nicarum sitam in seminarii clericorum usum respective addici mandamus.

§ 17. Episcopalis Ecclesia Limburgensis gaudebit bonis, fundis, censibus, decimis aliisque redditibus, annuam summam constituentibus viginti unius millium sexcentum sex florenorum, prout apparet ex instrumento de speciali mandato ducis Nassoviae die tertia ianuarii currentis anni millesimi octingesimi vigesimi primi confecto, quae quidem redditus exequutor praedictus ita distribuet, ut in singulos annos obveniant Episcopo floren. sex millia; decano capituli bismille quatuor centum floren.; primo canonico, qui simul parochus Limburgensis erit, floreni mille octingenti; secundo canonico floreni pariter mille octingenti; tertio canonico, qui simul erit parochus ecclesiae Dietkirchensis, floreni item mille octingenti; quarto canonico, qui simul parochus erit in Alta Villa, floren. bismille tercentum; et quinto canonico, simul parocho in libera civitate Francofurtensi eiusque territorio, ea ipsa summa, quam uti parochus actu iam percipit (super dictarum retentione paroeciarum cum memoratis quatuor canonicis apostolica delegata auctoritate dispensandi, cum hoc tamen quod curae animarum paroeciarum huiusmodi per idoneos vicarios ab Ordinario, servatis servandis, ad formam canonicarum sanctionum approbandos et instituendos opportune provideatur); primo sacellano, qui canonicum parochum Limburgensem in animarum cura adiuvabit, floreni octingenti; secundo sacellano, cui missas in sacello Ptochii limburgensis satisfacere incumbet, floreni octingenti; Archiepiscopo Friburgensi, uti metropolitano, pro rata augmenti eius dotationis biscentum septuaginta floreni; seminario intra provinciam constituto, vel constituendo, pro clericorum Limburgensis dioecesis educatione et instructione, floreni mille quingenti; cancellariae denique episcopali, ac pro caeteris sumptibus administrationis tam ecclesiasticae, quam bonorum, floren. bismille centum triginta. Pro Episcopi praeterea habitatione, praevia suppressione monasterii seu coenobii, olim a Fratribus ordinis S. Francisci inhabitati, partem ipsius monasterii, quam hucusque obtinuit praefectus ducalis, cum finitimo horto muris septo; pro decano vero, quinque canonicis, et duo-

bus sacellanis, alias domos in praedicto instrumento descriptas, respective assignandas decernimus.

§ 18. Antedicto insuper Ioanni Baptistae Episcopo iniungimus, ut animarum curae in metropolitana et cathedralibus ecclesiis opportune consulat, statuatque a quibus presbyteris, praevio concursu, ad normam canonicarum sanctionum, a respectivo Ordinario adprobandis ac instruendis, et qua cum congrua dotatione in Ecclesiis ipsis debeat exerceri; utque designet in quod seminarium provinciae ecclesiasticae Friburgensis clerici dioecesis Limburgensis recipi valeant, cum assignatione annua supradictorum mille quingentorum florenorum usque dum proprium Limburgense seminarium erigatur; atque ut ulterius summam determinet a respectivis principibus territorialibus subministrandam, qua divini cultus impensis in suppressis tam episcopali Constantiensi, quam praeposituralí Elvacensi Ecclesiis opportune ac stabiliter provideatur; ac demum curet, quod suppressorum capitulorum actu existentibus canonicis annua praestatio ad eorum vitam integre ac fideliter persolvatur.

§ 19. Ad consulendum praeterea respectivorum dioecesanorum bono et commoditati praescribimus, ut omnia et singula documenta respicientia paroecias et loca ab antiquis dioecesibus dismembrata, novisque applicata, a veteribus cancellariis extrahantur, atque opportuna forma tradantur novis archiepiscopali et episcopalibus respective cancellariis, in quibus perpetuo erunt asservanda.

§ 20. Habita vero ratione reddituum supra memoratis archiepiscopali et episcopalibus ecclesiis respective assignatorum in libris camerae Apostolicae, prout sequitur, nempe Ecclesiam Friburgensem in florenis sexcentum sexaginta octo cum uno tertio, Ecclesiam Moguntinam in florenis tercentum quadraginta octo cum uno sexto, ecclesiam Fuldensem in florenis tercentum triginta duobus, Ecclesiam Rottenburgensem in florenis quatuor centum nonaginta, et Ecclesiam Limburgensem in florenis tercentum triginta duobus, taxari mandamus.

§ 21. Atque ut cuncta a nobis, ut supra, disposita, rite ad exitum perducantur, supradicto Ioanni Baptistae Episcopo Evariensi, harum literarum exequutori deputato, omnes et singulas ad huiusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut, praeviis respectivis dotationibus, per instrumenta in valida diversorum statuum forma exaranda, ad uniuscuiusque ecclesiae cum suo capitulo sive erectionem, sive novam ordinationem, ac respectivi territorii dioecesani circumscriptionem procedere, cunctaque alia, ut supra ordinata, peragere ac statuere, delegata sibi apostolica auctoritate, libere ac licite possit et valeat; atque ulterius ipsi Ioanni Baptistae Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut, ad plenam rerum omnium, in locis praesertim ab eius residentia remotis, executionem, unam seu plures personam vel personas in dignitate ecclesiastica constitutam vel constitutas subdelegare, et tam ipse Ioannes Baptista, quam persona vel personae ab eo sic subdeleganda vel subdelegandae, super quacunque oppositione, in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota, pronuntiare libere item ac licite possint et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat. Eidem porro Ioanni Baptistae Episcopo expresse iniungimus et mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se quam per subdelegatos suos in harum literarum executionem conficiendorum intra quadrimestre ab expleta ipsarum executione ad Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat, in archivio praedictae Congregationis consistorialis de more asservanda.

§ 22. Praesentes autem literas et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, vel eorum aliquo, ius aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis et praeeminentiae, ac speciali quoque, specifica, expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam non satis aut nullimode auditi fuerint, sive ex alia qualibet iuridica, privilegiata ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet defectu quantumvis magno et substantiali,

sive etiam ex eo, quod solemnitates et quaecunque alia forsan servanda et adimplenda in praemissis minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, sive adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, limitationibus, modificationibus, decretis ac declarationibus generalibus vel specialibus quomodolibet factis, minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac tamquam ex pontificiae providentiae officio, certa scientia et potestatis plenitudine nostris factas et emanatas, perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac supradictarum ecclesiarum Episcopis et Capitulis aliisque, quorum favorem praesentes nostrae literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa, ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri, nec ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, neque ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse ac fore volumus atque decernimus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non ecclesiarum etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis, et indultis, quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum effectum latissime ac plenissime, specialiter et expresse, scientia et potestatis plenitudine pariter derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

§ 23. Volumus insuper, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, reordinationis, erectionis, dismembrationis, unionis, aggregationis, applicationis, concessionis, indulti, circumscriptionis, assignationis, attributionis, statuti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo, decimo septimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno vigesimo secundo.

III.

Conventio inter Leonem XII et Georgium IV regem Hannoverae. 1824.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Impensa Romanorum Pontificum sollicitudo, qua in universae catholicae Ecclesiae bonum advigilant, ad ea procuranda ipsos compellit, quibus fidelis populi commoditati consulatur, et pro locorum ac temporum ratione facilius ad ea pertrahatur, quae sint divini cultus, quaeque ad aeternam animarum salutem valeant conducere. Hinc assiduis ipsi studiis in id semper connisi sunt, ut dominico gregi nunquam deessent Pastores, qui eum in salutaria pascua deducerent, et in iustitiae semitis retinerent.

§ 2. Id sane potissimum intendit praedecessor noster felicis recordationis Pius Septimus pro cura, quam in religionis utilitates, ubi maxime de ipsius discrimine metuendum videbatur, enixe impendebat, quando post teterrimas praeteritorum temporum calamitates omnibus in tota Germania episcopalibus sedibus opportune prospicere studuit, cogitationesque suas pariter convertit ad duas antiquitate et dignitate praestantes ecclesias, Hildesimensem scilicet atque Osnabrugensem, quae usque a Caroli Magni aevo suam ducunt originem, quaeque nunc intra fines Hannoveriani regni continentur.

§ 3. Re propterea collata cum serenissimo Georgio Quarto regnorum Magnae Britanniae et Hiberniae unitorum nec non Hannoverae rege, ac Brunswicensi et Luneburgensi duce, laudatus Pontifex, auditis etiam nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de faciliori ratione deliberandum censuit, quae in tanta rerum conversione occurrebat, unice ad binas illas episcopales sedes cum suis capitulis aliquo pacto conservandas, atque dotem ipsis ac dioeceses, quo potest aptius, praefiniendas.

§ 4. Cumque nos, meritis licet imparibus, ad summi pontificatus apicem, divina sic disponente benignitate, fuerimus evocati, in id etiam sedulo incumbere debuimus, ne de illa catholici gregis portione minus solliciti videremur. Perspeximus quidem a sacrorum canonum rigore haud mediocriter temperandum fuisse, multumque locorum, temporum ac personarum conditoni, aliisque id genus peculiaribus adiunctis tribuendum. Ast cum maxime congruat, praedecessorum vestigiis inhaerere atque ad exitum perducere, quae Pius Septimus morte praeventus nequivit apostolicae auctoritatis munimine roborare, novum in Hannoveriano regno ecclesiarum et capitulorum statum novosque dioecesium limites ad eorum normam, quae laudatus praedecessor duxerat admittenda, constitui necessarium conspeximus.

§ 5. Habentes igitur pro expressis ac de verbo ad verbum prolatis iis omnibus, quae praedictarum ecclesiarum et capitulorum anteriora iura, privilegia ac praerogativas respiciunt, et consensui supplentes eorum omnium, quorum intersit, de apostolicae potestatis plenitudine, praevia omnimoda suppressione, extinctione et cessatione prioris status earumdem ecclesiarum et capitulorum, decernimus, quod ex nunc in posterum capitulum cathedralis ecclesiae Hildesimensis efformetur ab unica decanatus dignitate, et sex canonicis, ac quatuor vicariis seu praebendatis.

§ 6. Mensae Episcopalis annui redditus erunt in summa quatuor millium thalerorum monetae conventionalis, ut infra percipiendorum, ac insuper aedes pro decenti habitatione, si non adsint, noviter Episcopo erunt attribuendae.

§ 7. Decanus capituli cathedralis annuo redditu thalerorum mille quingentorum monetae conventionalis, duo canonici seniores mille quatuor centum, tertius et quartus canonicus mille, postremi duo canonici octingentorum, ac quatuor vicarii seu praebendati quatuorcentum, ut infra percipiendorum, respective gaudebunt, atque insuper decanus, quilibet canonicus et duo vicarii in ordine priores domos habebunt, unicuique eorum praebendae assignandas.

§ 8. Ad huiusmodi autem redditus constituendos praefatus Georgius rex spopondit intra quadriennium, a data praesentium numerandum, tot fundos ac bona stabilia, decimas et census reales iisdem Episcopo et Capitulo, ea, qua singulis par est, quantitate, se traditurum, quot praedictis annuis adsignatis redditibus ab omni cuiuscumque generis onere prorsus liberis et immunibus respondeant, ita tamen, ut antea per infrascriptum harum litterarum exequutorem apostolicae sedis iudicio subiiciantur, quo accurate perpenso, necessariam ab ipsa adprobationem nanciscantur. Interea vero, donec isthaec redditaum adsignatio in fundis ac bonis stabilibus, decimis censibusque realibus locum habeat, memoratae summae Episcopo et Capitulo a thesauro regio quotannis in pecunia numerata integre ac libere erunt persolvendae.

§ 9. Quod vero spectat Ecclesiam Osnabrugensem, quoniam praesentes rerum circumstantiae utramque ecclesiam dotari posse non sinunt, nova ipsius Osnabrugensis episcopalis mensae, capituli ac seminarii dotatio suspensa perstet, usquedum necessaria ad id suppetant media, quo casu in fundis, bonis stabilibus, decimis, censibusque realibus erit perficienda, atque tunc Osnabrugensis Episcopus non secus ac Episcopus Hildesi-

mensis annuo reddita quatuor millium thalerorum monetae conventionalis in supramemoratis bonis gaudebit, Capitulum eodem ac Hildesimense capitularium et vicariorum numero constabit, paresque redditus annui eisdem respective assignabuntur, nec non episcopali seminario ea reddituum annua summa tribuetur, quae necessitatibus et utilitati dioecesis valeat respondere.

§ 10. Quamdiu autem episcopatus Osnabrugensis dotatio suspensa manebit, episcopali mensae Hildesimensi augmentum bismille thalerorum e bonis ecclesiasticis in provincia Osnabrugensi sitis percipiendorum, itemque decano Hildesimensis capituli augmentum tercentum thalerorum assignabitur, ab ipsis annuatim respective percipiendorum, perdurante tantummodo praedicta dotationis episcopatus Osnabrugensis suspensione.

§ 11. Atque interea, ne dioecesis Osnabrugensis, cui ob eas rationes designari in praesens Antistes nequit, legitimo careat rei sacrae regimine, mandamus, ut venerabilis frater Carolus de Gruben, Episcopus Parensis in partibus infidelium, eiusdemque Osnabrugensis ecclesiae suffraganeus, dioecesim ipsam, quoad vixerit, gubernare prosequatur, eoque defuncto, Hildesimensis pro tempore Episcopus dioecesim quoque Osnabrugensem facultatibus ad id ab Apostolica Sede qualibet vice sibi speciatim delegandis administrare, suumque vicarium in spiritualibus generalem, qui in civitate Osnabrugensi resideat, debeat adsciscere: qui quidem vicarius, dummodo vere dignus et idoneus iudicatus fuerit, a Romano Pontifice titulo alicuius episcopalis ecclesiae in partibus infidelium, servatis omnibus servandis, decorabitur ad hoc, ut pontificalia in ipsa civitate et dioecesi Osnabrugensi exercere possit et valeat. Eidem idcirco vicario generali Osnabrugensi pro sua et episcopalis curiae dotatione annua persolvenda erit summa trium millium thalerorum monetae conventionalis a praelaudati serenissimi regis liberali munificentia promissa, quae in ipsius vicarii generalis congruam et in annuam laboribus respondentem mercedem ecclesiasticorum, qui suam eidem in ea procuratione operam commodabunt, erit impendenda.

§ 12. Donec autem proprium Osnabrugense Seminarium erigi potuerit, huiusce dioecesis clerici alentur atque educabuntur in episcopali seminario Hildesimensi, cui propterea bona ac redditus, quibus actu gaudet, integre conservabuntur: quod idem dictum volumus de bonis ac redditibus in tuitionem aedium sacrarum, tam Hildesimensis, quam Osnabrugensis, atque in sumptus divini cultus ac ministrorum mercedem adsignatis.

§ 13. Quotiescumque vero aliqua ex supradictis sedibus episcopalibus, tam Hildesimensi, quam Osnabrugensi, quae ambae perpetuis futuris temporibus immediate subiectae erunt Apostolicae Sedi, vacaverit, illius cathedralis ecclesiae Capitulum intra mensem a die vacationis computandum regios ministros certiores fieri curabit de nominibus candidatorum a clero totius regni selectorum, quorum unusquisque trigesimum suae aetatis annum ad minimum compleverit et indigenatu praeditus sit, studia in theologia et iure canonico cum laude absolverit, curam animarum aut munus professoris in seminariis egregie exercuerit, aut in administrandis negotiis ecclesiasticis excelluerit, optima fama gaudeat, sana doctrina et integris sit moribus. At si forte aliquis ex candidatis ipsis gubernio sit minus gratus, Capitulum e catalogo eum expunget, reliquo tamen manente sufficienti candidatorum numero, ex quo novus Episcopus eligi valeat. Tunc vero Capitulum ad canonicam electionem in Episcopum unius ex candidatis, qui supererunt, iuxta consuetas formas procedet, ac documentum electionis in forma authentica intra mensem ad Summum Pontificem perferri curabit.

§ 14. Confectio autem processus informativi super qualitatibus promovendorum ad regimen episcopalium ecclesiarum regni Hannoveriani, vel Episcopo alterius sedis non vacantis vel ecclesiastico illius regni viro in dignitate constituto a Romano Pontifice committetur, et ad formam instructionis ab Apostolica Sede in singulis casibus transmittendae exarabitur: quo accepto Summus Pontifex, si compererit promovendum instructum iis dotibus, quas sacri canones in Episcopo requirunt, eum, quocitius fieri poterit, iuxta statutas formas per apostolicas litteras confirmabit.

§ 15. Si vero aut electio minime fuerit canonice peracta, aut promovendus praedictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia indulgemus, quod ca-

thedrale Capitulum ad novam electionem, ut supra, canonica methodo valeat procedere.

§ 16. Novus Episcopus ab altero regni Episcopo iam consecrato, atque facultatem expresse ad id ab Apostolica Sede habente, assistentibus duobus aliis Episcopis ad hoc rogatis, et, in eorum defectum, duobus praelatis pontificalium usum habentibus, vel, his quoque deficientibus, duobus presbyteris e regni clero in ecclesiastica dignitate constitutis, consecrabitur.

§ 17. In Capitularium numerum alii non admittentur, nisi qui indigenatu et qualitatibus a sacris canonibus requisitis praediti sint, triginta saltem annorum aetatem habeant, et in presbyteratus ordine sint constituti, quique in exercenda cura animarum vel in alio obeundo ecclesiastico ministerio vel professoris munere in seminario episcopali conspicuos sese reddiderint.

§ 18. Quotiescumque vero decanatus, aut canonicatus, vel vicariatus, in cathedralibus vacaverit, Episcopus et Capitulum alternis vicibus intra sex hebdomadas a die vacationis proponent quatuor candidatos supra enuntiatis praeditos qualitatibus. Quod si forte aliquis ex ipsis candidatis gubernio invisus aut suspectus sit, id quamprimum Episcopo respective aut Capitulo indicari poterit, ut expungatur: tunc autem Episcopus ad collationem decanatus, canonicatus, aut vicariatus, vel respective Capitulum, intra quatuor hebdomadas procedet ad nominationem unius ex personis gubernio non invisis, nec suspectis, cui Episcopus canonicam dabit institutionem.

§ 19. Ad novam nunc procedendo circumscriptionem dioecesium episcopatus Hildesimensis, qui actu a venerabili fratre Francisco Egone a Fürstenberg moderno eius Episcopo gubernatur, et Osnabrugensis, qui, suo a pluribus annis orbatus Pastore, a supramemorato Carolo Episcopo Parensi ac eiusdem Osnabrugensis ecclesiae Suffraganeo cum apostolicis sibi delegatis facultatibus administratur, praevia dismembratione, separatione ac immutatione a quorumcumque Metropolitanorum, Episcoporum, seu Ordinariorum, ac Vicariorum apostolicorum iurisdictione, superioritate ac potestate, omnium et singularum civitatum, terrarum ac paroeciarum intra regni Hannoveriani limites comprehensarum, decernimus, prout a Pio VII. praedecessore nostro designatum fuerat, ut regnum ipsum in duas omnino dioeceses a cursu fluminis Visurgis, vulgo « Weser » nuncupati, tamquam suis limitibus separatus dividatur, ita ut paroeciae ad dexteram eiusdem fluminis partem sitae dioecesi Hildesimensi, paroeciae autem ad sinistram Visurgis ripam positae dioecesi Osnabrugensi respective assignentur, prout sequitur, videlicet:

§ 20. Dioecesis Hildesimensis efformabitur a sequentibus quinquaginta quinque parochialibus ecclesiis ad ipsam Hildesimensem dioecesim iam pertinentibus, nempe Achtum, Adlum, Ahrbergen, Gross-Algermissen, Asel, Bauenstedt, Bettmar, Bilderlah, Bokenem, Bolzum, Borsum, Dettfurt, Dingelbe, Dinklar, Dorstadt, Gross-Düngen, Emmerke, Gross, Giesen, Grasdorf, Grauhoff, Gronau, Goslar, Harsum, Heinig, ecclesiae cathedralis, S. Godehardi, S. Magdalenae, SSmae Crucis in civitate Hildesheim sitae, Henneckenrode, Himmelsthür, Hohenhameln, Hunnesrück, Itzum, Lamspringe, Liebenburg, Marienrode, Moritzberg, Ottbergen, Peine, Poppenburg, Ringelhein, Ruthe, Schladen, Söder, Söhre, Sorsum, Sottrum, Steinbruck, Vienenburg, Gross-Vörste, Westfeld, Wiedelah, Winzenburg, Wöhle, Woldenberg; atque insuper a viginti parochialibus ac tredecim curatis succursalibus nuncupatis ecclesiis in provincia Eichsfeldiae positis et antiquae metropolitanae ecclesiae moguntinae seu ratisbonensi olim subiectis, quae in praesentiarum a venerabili fratre Carolo Friderico de Wendt Episcopo Basinopolitano in partibus infidelium ac Hildemensis Ecclesiae Suffraganeo uti vicario apostolico administrantur, videlicet paroecia Duderstadt, cum tribus succursalibus ecclesiis Gerblingerode, Fisslingerode et Westerode nuncupatis, ac paroeciis Breitenberg, Desingerode cum duabus succursalibus ecclesiis Werxhausen et Esplingerode denominatis, necnon paroeciis Immingerode, Nesselroeden, Seulingen, Seeburg, Bernshausen cum succursali Germershausen, atque paroeciis Lindau, Bilshausen, Crebeck cum succursali Bodensee, et parochialibus ecclesiis Wolbrandshausen, Gieboldehausen, Rolshausen, Rudenshausen, Rhumspringe cum succursali Hilkerode; a paroecia quoque Fuhrbach cum duabus succursalibus Langenhagen et Brochthausen, necnon a paroecia Oberfeld cum suc-

cursali Mingerode, a paroecia quoque Noerthen cum duabus ecclesiis succursalibus ac paroecia Renshausen; denique a tribus paroeciis Hannover, Göttingen et Celle vulgo nuncupatis, quae hactenus a sui praedicto moderno Episcopo Hildesimensi missionum septemtrionalium vicario apostolico fuerunt spiritualiter gubernatae.

§ 21. Dioecesis Osnabrugensis constabit ex sequentibus decanatibus, videlicet ex decanatu ecclesiae cathedralis et civitatis Osnabrugensis septem continente paroecias, quarum duae reperiuntur in civitate ipsa Osnabrugensi, reliquae vero in ipsius territorio, nuncupanturque Bellm, Bissendorff, Rulle, Schledehausen et Wallenhorst; ex decanatu Iburg vulgo denominato septem pariter complectente paroecias, ut sequitur nuncupatas, id est Borgloh, Glaudorf, Glane, Hagen, Iburg, Laer et Oesede; ex decanatu Fürstenau, qui undecim sequentes complectitur paroecias, nempe Berge, Fürstenau, Merzen, Neuenkirchen, Schwagstorf, Volthlage, Alfhaufen, Anhum, Badbergen, Berssenbrück et Quakenbrück; ex decanatu Vörden nuncupato, qui undecim sequentes complectitur paroecias, videlicet Lage, Malgarten, Vörden, Bomte, Hunteburg, Osterkappeln, Sanctae Annae, Gesmold, Melle, Riemsloh, Wellingholthausen, necnon partes illas paroeciarum Damme et Neuenkirchen, quae intra limites regni Hannoveriani reperiuntur; ex Archipresbyteratu inferioris comitatus Lingen duodecim continente paroecias, videlicet Bawinkel, Beesten, Freren, Leagerich, Messingen, Schapen, Thuine, Baccum, Bramsche, Lingen, Plantlünne et Spelle; necnon ex viginti septem paroeciis in districtu de Meppen comprehensis et ad Monasteriensem dioecesim iam pertinentibus, videlicet Aschendorf, Beesen, Bokeloe, Börger, Dörpen, Emsbüren, Haren, Haselünne, Heede, Herzlake, Hesepe, Holte, Laten, Lorup, Meppen, Papenburg, ecclesia principalis, ac alia eiusdem nominis ecclesia succursalis Rhede, Ruttenbrock, Steinbild, Sögel, Schepsdorff, Salzbergen, Twiest, Twiestingen, Werlte et Wesuwe. Tres quoque adiunguntur paroeciae in Frisia Orientali positae et praefatae Monasteriensi dioecesi iam subiectae, quae Emden, Leer et Norden vulgo nuncupantur; et postremo octo paroeciae, quae reperiuntur in comitatu de Bentheim actu a regno Hannoveriano in temporalibus dependentes, et hactenus a praefato Monasteriensi Episcopo gubernatae, nempe Bentheim, Brandlecht, Emblicheim, Laerwalde, seu Wolda, Nordhorn, Neuenhaus, Schüttorff et Wittmarschen.

§ 22. Praedictos vero decanatus, paroecias et loca Episcopis pro tempore Hildesimensi et Osnabrugensi pro eorum respective dioecesibus attributa, eorumque incolas utriusque sexus, tam clericos quam laicos, iisdem ecclesiis eorumque praesulibus pro suis respective territorio, dioecesi, clero et populo perpetuo assignamus et in spiritualibus omnimodo subiicimus; proptereaque statim ac praesentes litterae plenariae fuerint exequutioni mandatae, omnis antiquorum Metropolitanorum, Ordinariorum, Vicariorum apostolicorum, seu Administratorum iurisdictio in supradictis locis decanatibus et paroeciis cessare debebit, omnesque tunc facultates in locis et partibus ab eorum iurisdictione subtractis nullius roboris vel momenti amplius futuras declaramus.

§ 23. Ut insuper commoditati populorum sic ut supra respectivis Episcopis subiectorum consulatur, praescribimus, ut omnia et singula documenta respicientia ecclesias et loca ut supra dismembrata, et de novo applicata, a veteribus cancellariis extrahi et cancellariis dioecesium, quibus erunt incorporata, debeant opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo asservari.

§ 24. Habita modo ratione reddituum, episcopal. mensam Hildesimens. de more taxari in florenis septingentis quinquaginta sex auri de camera, et huiusmodi taxam in libris camerae nostrae apostolicae describi mandamus. Quod vero spectat episcopalem mensam Osnabrugensem, quando locus factus fuerit illius dotationi ut supra enuntiatae, ecclesiam ipsam de more taxari in florenis sexcentum sexaginta sex auri de camera cum duobus tertiis, eandemque taxam in libris apostolicae camerae similiter describi mandamus.

§ 25. Denique, ut cuncta a nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, supradictum Franciscum Egonem Episcopum Hildesimensem in harum litterarum apostolicarum exequutorem cum omnibus et singulis necessariis et opportunis facultatibus deputamus, ut, praeviis respectivis dotationibus in valida

forma perficiendis, ad uniuscuiusque ecclesiae cum suo capitulo novam ordinationem ac respectivi territorii dioecesani circumscriptionem procedere, aliaque omnia ut supra ordinata peragere et statuere, delegata sibi apostolica auctoritate, libere ac licite possit et valeat; atque ulterius ipso Francisco Egoni Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut, ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis exequutionem, quamcumque personam seu personas in ecclesiastica dignitate constitutam vel constitutas subdelegare, ac tam ipse, quam persona vel personae ab eo sic subdeleganda vel subdelegandae, super quacumque oppositione in actu exequutionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive et quacumque appellatione remota pronuntiare libere item ac licite possint et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat.

§ 26. Eidem insuper Francisco Egoni Episcopo expresse iniungimus, ut exempla singulorum actorum, tam per se, quam per suos subdelegatos in harum litterarum exequutionem conficiendorum, intra quadrimestrem ab ipsarum expleta exequutione ad Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat, in archivio Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

§ 27. Praesentes autem litteras et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo, ius aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode aut non satis auditi fuerint, sive ex qualibet etiam laesionis vel alia iuridica, privilegiata ac privilegiatissima causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium, consensus, aliove quolibet defectu quamtumvis magno, inexcogitato, substantiali ac substantialissimo, sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, aut declarationibus generalibus vel specialibus quomodolibet factis, minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac tamquam ex pontificiae providentiae officio, certa scientia et potestatis plenitudine nostris factas et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac supradictarum ecclesiarum Episcopis et Capitulis, aliisque, quorum favorem praesentes nostrae litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, neque ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse; et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse ac fore volumus atque decernimus.

§ 28. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non dictarum ecclesiarum etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus: quibus omnibus et singulis,

eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus et derogatum esse declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 29. Volumus item, ut harum litterarum nostrarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, dismembrationis, separationis, unionis, circumscriptionis, assignationis, indulti, subiectionis, suppletionis, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo quarto, septimo kal. aprilis, pont. nostri an. I.

IV.

Conventio inter Leonem XII et Principes provinciae ecclesiasticae Rheni Superioris. - 1827.

Vide constitut. ***Ad dominici gregis*** Leonis XII. ***Iuris Pont.*** P. I., vol. IV., p. 683.

V.

Conventio inter Leonem XII et Praesides Pagorum Lucernensis, Bernensis, Solodurensis et Tugiensis. - 1828.

La convention conclue le 12 mars 1827 rélativement à la réorganisation et nouvelle circonscription de l'Evêché de Bâle n'ayant pas reçu la ratification de tous les cantons au nom desquels elle avait été stipulée, les hauts etats de Lucerne, Berne, Soleure et Zoug reconnaissant l'urgente necéssité de mettre un terme à l'état provisoire où se trouvent les affaires diocésaines, se sont décidés à donner suite en ce qui les concerne à la susdite convention avec les modifications devenues necéssaires par le changement des circonstances. Dans ce but ils ont fait renouveller les négociations entre

Monsieur Pascal Gizzi, Internonce Apostolique près la confédération Suisse, au nom de Sa Sainteté le Pape Leon XII. chargé de cette négociation,

Son excellence monsieur Joseph Charles Amrhyn, Avoyer de la ville et république de Lucerne, et monsieur Louis de Roll conseiller d'état de la république de Soleure, autorisés par les cantons en qualité de commissaires,

qui en vertu de leus pouvoirs antérieurs, echangés en son temps, ont convenu, sauf la ratification de leurs hauts commettants, des bases après énoncées, savoir:

1. Les cantons de Lucerne, de Soleure et la partie du Canton Berne cedée par le congrès de Vienne, ainsi que le Canton de Zoug, formeront à l'avenir quant à leur population catholique l'Evêché de Bâle.

2. La résidence de l'Evêque et du Chapitre cathédral sera transferée dans la ville de Soleure. En conséquence l'église collégiale de S. Urs et Victor (laquelle continuera néanmoins d'être l'église paroissiale) sera érigée en église cathédrale et le chapitre collégial en chapitre cathédral de l'Evêché de Bâle.

3. Le chapitre cathédral sera composé de dix sept chanoines, dont au moins douze seront tenus à résidence pour le service du culte et l'assistence de l'Evêque dans ses fonctions religieuses.

Sur ce nombre de dix sept chanoines, dix sont repartis sur tous les cantons formants le diocèse.

Parmi ces dix sept chanoines sont compris les chanoines encore existants de l'ancien chapitre de Bâle; ils auront droit à la résidence, et s'il se trouvait parmi eux un dignitaire, la dignité de Doyen lui sera conferée.

Le chapitre cathédral aura deux dignitaires, un Prevôt et un Doyen.

4. Les dix chanoines nommés dans l'article précédent formeront le Sénat de l'Evêque.

5. Aux dits chanoines appartient en cas de vacance le droit d'élire l'Evêque d'après l'article douze.

6. Dix des chapelains de la collégiale de S. Urs et Victor sont annexés pour le culte et autres fonctions religieuses au chapître cathédral.

7. La fabrique du même chapitre, dont le revenu annuel peut être évalué environ deux mille francs de Suisse, fournira et entretiendra les parements, les ornements, et en général le mobilier nécéssaire pour le service divin.

Afin de pourvoir plus convenablement aux objets ci-dessus énoncés, les revenus de la mense épiscopale durant la vacance du Siége sont assignés à la même fabrique.

8. Il sera etabli à Soleure, résidence de l'Evêque et du chapître, un séminaire pour lequel les gouvernements fourniront la dotation et les bâtiments.

Si d'autres séminaires étaient jugés nécessaires, l'Evêque les érigera d'accord avec les gouvernements respectifs, qui fourniront la dotation et les bâtimens.

L'Evêque dirigera et administrera ces séminaires conjointement avec quatre chanoines de différents cantons, dont deux seront nommés par l'Evêque et les deux autres par son Sénat.

9. Les revenus annuels de l'Evêque sont fixés à huit mille francs de Suisse.

Les revenus du Prevôt de la collégiale de S. Urs et Victor sont assignés au prevôt de la cathédrale.

Une augmentation annuelle de huit cents francs sera ajoutée à la prébende canoniale du Doyen.

Les revenus annuels de chaque chanoine résidant des cantons de Lucerne et de Berne sont stipulés à deux mille francs.

Les chanoines ainsi que les chapelains de Soleure et leurs successeurs resteront dans la jouissance entière des prébendes qui appartiennent au chapitre collégial de S. Urs et Victor.

Quant aux chanoines non résidants les gouvernements s'engagent de fournire à chacun d'eux une somme annuelle de trois cents francs.

10. Outre les appointements ci-dessus déterminés il sera assigné à l'Evêque et aux chanoines résidants les logements convenables à leur dignité,

11. Pour la dotation de la Mense épiscopale, des prébendes et des séminaires les gouvernements s'accorderont avec le S. Siège dans une négociation postérieure, en attendant ils fourniront des rentes assurées et fixes; les gouvernements en garantiront la perception libre et régulière ainsi que l'inaliénabilité; ils prendront aussi soin de l'entretien des logements des chanoines.

Il sera pourvu par l'entremise du gouvernement de Soleure à l'entretien de l'église cathédrale, de l'Evêché et des bâtiments du Séminaire qui sera établi à Soleure. Les bâtimens des séminaires qui dévraient être établis ailleurs, seront entretenus par les cantons que cela concerne.

12. Les chanoines formant le Sénat ont le droit de nommer l'Evêque parmi le clergé du diocèse.

L'Evêque élu recevra l'institution du S. Père aussitôt, que ses qualitès canoniques auront été constatées selon les formes usitées pour les églises de la Suisse.

Le gouvernement de Soleure nomme le Prevôt selon le mode usité jusqu'à présent.

La nomination du Doyen est reservée au S. Père.

Le Gouvernement de Lucerne nomme aux prébendes appartenant à ce canton.

Pour les chanoines que le Canton de Berne aura à fournir, le Sénat de l'Evêque présentera pour chaque nomination une liste de six candidats au Gouvernement de ce Canton, lequel pourra en exclure jusqu'à trois; ensuite l'Evêque nommera le chanoine.

Il sera pourvu aux dix prébendes provenantes du chapitre de S. Urs et Victor d'après le mode établi jusqu'à présent.

Le gouvernement de Soleure désignera parmi ses prébendiers sa cote-part de chanoines formant le Sénat. Le Prevôt élu par ce gouvernement sera de ce nombre.

Le chanoine non résidant du Canton de Zoug sera nommé par le gouvernement de ce canton.

Le chanoiue élu doit être ou ressortissant du canton, à qui la prébende appartient, ou y exercer des fonctions ecclésiastiques, et posséder dans ces deux cas les qualités suivants: Il doit être pré-

tre séculier, avoir desservi un bénéfice à charge d'ames avec zèle et prudence pendant au moins quatre ans, ou avoir aidé l'Evèque dans l'administration du diocèse, ou des séminaires, ou enfin s'être distingué comme professeur de théologie, ou du droit canon.

La prémière nomination des nouveaux chanoines est reservée au St. Père.

13. Il ne peut être conféré qu'une seule dignité au même chanoine. Celle de Prevôt et de Doyen ne doivent jamais être possedées par des chanoines du même canton.

14. L'Evêque prêtera entre les mains des députés des Cantons, formant le diocèse de Bâle, le serment: « Je jure et » promets sur les Saints Evangiles fidé» lité et obéissance aux gouvernements » des Cantons faisant partie du diocèse: » En outre je promets de n'avoir aucune » intelligence, de ne prendre part à au» cune délibération et de n'entretenir au» cune liaison suspecte soit au dedans, » soit au dehors de la Suisse, qui pour» rait compromettre la tranquillité pu» blique, et si jamais j'ai connaissance » d'un complot nuisible à l'Etat, que se » soit dans mon diocèse ou ailleurs, j'en » informerai le gouvernement ».

15. On donne ici l'assurance formelle, que si tôt ou tard par quelque circonstance que se fut, le Siège de l'Evêque et du chapitre cathédral venait à être transferé hors de la ville de Soleure, le chapitre de St. Urs et Victor serait entièrement rétabli sur le pied où il se trouvait à l'époque de son érection en chapitre cathédral.

16. L'accession à la nouvelle circonscription de l'Evêché de Bâle est reservée et assurée aux Cantons de Bâle et d'Argovie pour la partie de leur population catholique, qui n'y est pas déja comprise, ainsi qu'au Canton de Thurgovie d'après les bases reglées par la convention ci-dessus.

En cas d'accession de l'un ou l'autre Canton ci-dessus nommés la mense épiscopale sera augmentée à raison du maximum de dix mille francs de Suisse, et en proportion de la population catholique incorporée du Canton accédant.

Si la réunion de tous les Cantons cidessus nommés doit avoir lieu, le diocèse sera pourvu d'un suffragant que l'Evêque nommera, et au quel les Cantons faisant partie du diocèse assureront un revenu annuel de deux mille francs de Suisse.

Toute disposition ultérieure rélativement à l'accession des susdits Cantons sera reservée à une convention postérieure.

Les ratifications de la présente convention, expediée et signée à double, seront échangées le plutôt que faire se pourra.

Ainsi fait à Lucerne le 26 mars 1828.

Au nom de Sa Sainteté: *P. Gizzi Internonce Apostolique.*

Au nom des Hautes Etats les commissaires: *I. A. Amrhyn Avoyer. Louis de Roll. Conseiller d'Etat* (1).

VI.

Conventio inter Pium IX et Nicolaum I Imperatorem Russiae et Poloniae regem. - 1847 (2).

---

(1) De suspensione et extinctione sedis et Capituli Basiliensis vide Leonis XII constitutionem *Inter praecipua nostri,* anno 1828 datam; et de aggregatione pagorum Argoviensis et Turgoviensis in Basileensem dioecesim a Nuntio Ap. facta, vide Pii VIII const. *Dei animarum salute,* 1830. Vide pariter inferius pacta pro Helvetia 1884.

(2) Ex V. Nussi, *Conventiones de rebus ecclesiasticis* etc. pag. 273.

Novas vero conventiones initas Leonis XIII. tempore addimus ex appendice ad acta hactenus publicata eiusdem Pontificis.

PRO RUSSIA

Accordi stipulati in Roma fra la Santa Sede ed il Governo Russo.
24 decembre 1882.

A

Il Governo Russo domanda che le diocesi da esso soppresse siano date in amministrazione apostolica rispettivamente all' Arcivescovo di Mohilew ed ai Vescovi di Lublino e di Lutzk-Zitomir.

Conformément à ce qui a été convenu, entre le Gouvernement Impérial et le St. Siége, le soussigné a été autorisé a demander:

Que l'Archevêque métropolitain de Mohilew soit chargé de l'administration apostolique du diocèse de Minsk:

Que l'Evêque de Lublin soit chargé de l'administration apostolique du diocèse de Podlachid:

Et que l'Evêque de Lutzk-Zitomir soit chargé de l'administration apostolique du diocèse de Kamenetz.

Rome, le 12/24 décembre 1882.

(signé) MICHEL BOUTÉNEFF

La Santa Sede aderisce alla domanda del Governo Russo relativa all' amministrazione apostolica delle diocesi soppresse. — 27 decembre 1882.

Il Santo Padre, aderendo alle domande espresse dal governo di S. M. l' Imperatore di Russia, ha

Subscripti Plenipotentiarii S. Sedis et Maiestatis Suae Imperatoris Russiarum, Poloniae Regis, postquam eorum libera mandata invicem permutaverunt, pluribus in sessionibus varia considerarunt et perpenderunt capita tractationis suis curis commissae: et cum super pluribus huiusmodi capitibus finem aliquem assequuti fuerint, et alia restent adhuc componenda, super quibus iidem Plenipotentiarii Maiestatis Suae Imperatoris spondent, se omnem Gubernii sui considerationem esse revocaturos, conventum est ex utraque parte, ut, firma remanente conditione redigendi in actu separato capita, quae novis disquisitionibus ac tractationibus inter S. Sedis administros et Maiestatis Suae Imperialis legatum in hac urbe materiam suppeditabunt, designentur in praesenti pactorum summa res quae huc usque constitutae sunt, quaeque post huiusmodi ulteriores tractationes inceptam negotiationem perficient. Quocirca in sessionibus dierum 19, 22 et 25 iunii, et 1 iulii, redacti sunt articuli sequentes:

§ 1. In Russiarum imperio septem statuuntur dioeceses catholicae romanae: archiepiscopatus unus, episcopatus sex, nempe:

---

disposto che a monsig. Antonio Fijalkowski Arcivescovo di Mohilew venga affidata l'amministrazione apostolica della diocesi di Minsk, mentre si riserva di commettere egualmente a monsig. Vescovo di Lublino l'amministrazione apostolica della diocesi di Podolski e dell' altra di Kamenetz a Monsig. Vescovo di Lutzk-Zitomir contemporaneamente alla preconizzazione dei due rispettivi titolari.

Il sottoscritto Card. Segretario di Stato nel dedurre a notizia dell'E. V. questa pontificia disposizione si vale dell' incontro per confermarle i sensi della sua distinta considerazione.

(firmato) L. Card. Iacobini

B

Convenzione fra la Santa Sede ed il Governo Russo circa i seminarii.

Les soussignés ayant été autorisés par leurs gouvernements de procéder à une entente par rapport aux séminaires catholiques-romains dans les états de Sa Majesté l'Empereur de Russie, ont l'honneur de déclarer par la présente, conformément à ce qui a été entendu, que les séminaires diocésains demeureront sous la direction des Ordinaires. En particulier, les points suivants seront à observer.

1. L'Ordinaire compose et nomme le personnel du séminaire. Le recteur, l'inspecteur et les professeurs seront nommés comme par le passé avec l'agrément du gouvernement.

2. L'Ordinaire peut, s'il le juge nécessaire pour de justes motifs, éloigner le recteur, l'inspecteur, les professeurs et autres personnes adjointes et en désigner d'autres à leur place. S'il ne désigne pas de suite un remplaçant, il en avise le gouvernement.

3. La formation du réglement du séminaire concernant son organisation, sa partie administrative et économique, les droits et les devoirs du personnel, ainsi que la formation du plan et du programme des études, incombe à l'Evêque; quant à la partie qui concerne l'étude de la langue, de l'histoire et de la littérature russes, il prend des accords préalables avec le gouvernement, et les maitres enseignants: ces branches seront nommés avec l'agrément préalable du gouvernement. L'Evêque demeure d'ailleurs libre dans la direction des cours, de la doctrine dans l'enseignement et de la discipline intérieure.

Rome, le 12/24 décembre 1882.

(signé) Michel Bouténeff
» Louis Card. Iacobini

Dichiarazione del Governo Russo relativa ai seminarii.

Le soussigné est autorisé par son gouvernement à signer l'arrangement sur les séminaires, en déclarant que le gouvernement impérial est obligé de réserver les droits de l'état, auxquels il ne lui est pas possible de renoncer.

Rome, le 12/24 décembre 1882.

(signé) Michel Bouténeff

C

Accordo fra la Santa Sede ed il Governo Russo relativo all'accademia ecclesiastica di Pietroburgo.

Les soussignés, ayant été autorisés par leurs gouvernements de procéder à une entente par rapport à l'académie ecclésiastique du St. Pétersbourg, ont l'honneur, de déclarer par la présente, conformément à ce qui a été entendu, que:

L'Archevêque métropolitain de Mohilew demeure seul chef et directeur suprême de l'académie ecclésiastique de St. Pétersbourg et y conserve la même autorité que chaque Evêque exerce sur son séminaire diocésain. Il est autorisé à demander la coopération des Evêques diocésains pour l'élaboration du règlement de l'académie.

Rome, le 12/24 décembre 1882.

(signé) Michel Bouténeff
» Louis Card. Iacobini

D

Dichiarazione del Governo Russo colla quale si obbliga alla revocazione o modificazione delle misure eccezionali prese contro il clero.

Le soussigné a l'honneur de déclarer que le Gouvernement Impérial reste invariablement décidé à écarter à la première possibilité les dites mesures exceptionnelles dirigées contre le clergé catholique-romain. Comme preuve à l'appui de cette assurance et en vue de l'observation d'une gradation rationnelle, le Gouvernement Impérial procédera proprio motu, aussitôt l'entente établie, à l'exécution des deux premiers points déjà convenus, savoir la suspension du § 18 de l'Oukaze du 14/26 décembre 1865 sur le clergé séculier en Pologne et la révision de l'Ordonnance supplémentaire de 1866 à l'Oukaze précité.

Rome, le 12/24 décembre 1882.

(signé) Michel Bouténeff

Archidioecesis Mohilowiensis amplectens omnes imperii partes, quae non continentur in sex dioecesibus infra nominatis: magnus Filandiae ducatus in ea pariter continetur;

Dioecesis Wilnensis complectens gubernia Wilnae et Grodni cum iis limitibus, quibus in praesens circumscribuntur;

Dioecesis Telsensis, seu Samogitiensis, complectens gubernia Curlandiae et Kowni intra limites, quibus nunc praefiniuntur;

Dioecesis Minscensis complectens gubernium Minscae cum suis hodiernis limitibus;

Dioecesis Luceorina et Zytomeriensis constans guberniis Kieviae et Voliniae, cum suis hodiernis limitibus;

Dioecesis Camenecensis complectens gubernium Podoliae, cum suis praesentibus finibus;

Nova dioecesis Chersonensis, quae constat provincia Bessarabiae, guberniis Chersonensi, Ekaterinoslaw, Tauridis, Saratoviae et Astracani, et regionibus positis in generali gubernio Caucasi.

§ 2. Apostolicae litterae sub plumbo statuent amplitudinem et limites dioecesium veluti in praecedenti articulo indicantur.

Decreta executionis complectentur numerum et nominationem paroeciarum cuiusque dioecesis, ac Sanctae Sedis sanctioni subiicientur.

§ 3. Numerus suffraganeatuum, qui apostolicis litteris Pii VI an. 1798 sub plumbo datis statuti sunt, in sex veteribus dioecesibus servatur.

§ 4. In urbe Saratowia erit suffraganeatus novi episcopatus Chersonensis.

§ 5. Episcopus Chersonensis annuum habebit censum quatuor millium quadringentorum octoginta rublorum argenteorum. Eius suffraganeus eadem fruetur dote, qua alii Episcopi suffraganei in Imperio potiuntur, scilicet bismille rublorum argenteorum.

§ 6. Capitulum cathedralis eccl. Chersonensis novem constabit ecclesiasticis viris, nempe: *a*) duobus praesulibus seu dignitatibus, Praeposito et Archidiacono; *b*) quatuor canonicis, quorum tres theologi, poenitentiarii et parochi muneribus fungentur; et *c*) tribus mansionariis seu beneficiariis.

§ 7. In novo Chersonensi Episcopatu erit dioecesanum seminarium: ibi quindecim usque ad vigintiquinque alumni alentur Gubernii impendiis, veluti qui in aliis seminariis pensione fruuntur.

§ 8. Donec Episcopus catholicus armeni ritus nominabitur, spiritualibus Armeniorum catholicorum in dioecesibus praesertim Chersonensi et Camenecensi degentium necessitatibus consuletur, iis aptando regulas cap. 9. Concilii Lateranensis an. 1215.

§ 9. Episcopi Camenecensis et Chersonensis statuent numerum clericorum Armeniorum catholicorum, qui in eorum seminariis Gubernii impendiis ali debent. In unoquoque ex dictis seminariis aderit presbyter Armenius catholicus, ut alumnos Armenios proprii ritus caeremoniis erudiat.

§ 10. Quoties spirituales catholicorum romanorum et armeniorum novi episcopatus Chersonensis necessitates postulaverint, Episcopus praeter modos huc usque adhibitos, ut huiusmodi occurratur necessitatibus, ob hanc causam presbyterorum expeditionibus seu missionibus utetur, et imperiale gubernium eam pecuniae vim suppeditabit, quae illorum itineri et victui fuerit necessaria.

§ 11. Dioecesium numerus in Poloniae regno servatur quemadmodum praefinitus fuit in apostolicis litteris Pii VII, diei 30 iunii anni 1818. Nihil immutatur quod ad numerum et denominationem suffraganeatuum harum dioecesium pertinet.

§ 12. Designatio Episcoporum pro dioecesibus et pro suffraganeatibus imperii Russiarum et Poloniae regni per singulas vices locum habebit, consiliis ante habitis inter Imperatorem et S. Sedem. Institutio canonica ipsis a Romano Pontifice dabitur iuxta consuetum morem.

§ 13. Episcopus est solus iudex et administrator negotiorum ecclesiasticorum suae dioecesis, salva tamen subiectione canonica Sanctae Apostolicae Sedi debita.

§ 14. Negotia quae antea subiici debent deliberationibus consistorii dioecesani, sunt:

De viris ecclesiasticis dioecesis.

Negotia ad disciplinam generatim pertinentia (ea tamen minoris momenti, quae leves secum trahant poenas, destitutione vel detentione plus minus diuturna minores, ab Episcopo decernuntur, inconsulto consistorio, plena eidem Episcopo relicta libertate consulendi, si opportu-

num ei videbitur, consistorium idem tum de huiusmodi, tum de ceteris negotiis);

Negotia inter ecclesiasticos contentiosa, quae ecclesiarum proprietates tum mobiles, tum immobiles attingunt;

Querelae, reclamationes contra ecclesiasticos vel ab ecclesiasticis vel a laicis delatae ob iniurias vel damna, vel propter obligationes haud servatas ac minime dubias tum in iure, tum in facto, cum tamen actor hanc praeferat viam ut sua tueatur iura;

Causae nullitatis votorum monasticorum; ipsae perpendentur et iudicabuntur iuxta regulas statutas in apostolicis litteris Benedicti XIV « Si datam ».

Quantum ad laicos.

Causae matrimoniales, probationes legitimitatis matrimoniorum, acta nativitatis, acta baptizatorum et defunctorum, etc.

Mixta.

Casus, in quibus necesse est infligere poenitentiam canonicam ob crimen, ob ordinationum poenalium violationem (contravention), vel ob delictum quodcumque, de quibus a laicis tribunalibus lata est sententia.

Oeconomica.

Praescriptum vel praevia nota summarum, quas clero sustentando destinantur, examen expensarum, ratio de his summis reddita, negotia quae templorum, aedicularum etc. instaurationem vel aedificationem respiciant. Praeterea consistorii erit formare indices ecclesiasticorum et paroecianorum dioecesis, mittere encyclicas litteras aliaque scripta, quae non spectent negotia administrationis dioecesis.

§ 15. Negotia praedicta decernuntur ab Episcopo postquam a consistorio examinata fuerint, quod tamen consultationis partes tantummodo retinet. Episcopus minime tenetur afferre rationes suae sententiae illis etiam in casibus, in quibus eius opinio ab illa consistorii discreparet.

§ 16. Cetera dioecesis negotia, quae administrationis nomen habent, et in quibus continentur casus conscientiae, fori interni, itemque, uti supra dictum est, casus disciplinae, levibus dumtaxat poenis aut pastoralibus exhortationibus obnoxii, ab auctoritate et a sententia spontanea Episcopi unice pendent.

§ 17. Omnes consistorii viri sunt ecclesiastici; eorum nominatio et dimissio ab Episcopo pendent; nominationes ita fiunt, ut Gubernio haud ingratae sint. Si Episcopus ex suae conscientiae monitu opportunum duceret aliquem a consistorio removere, statim alium in eius locum sufficiet, Gubernio pariter haud ingratum.

§ 18. Personae curiae consistorii ab Episcopo confirmabuntur ad praesentationem secretarii consistorii.

§ 19. Secretarius Episcopi, cui munus demandatum de commercio litterarum officialium et pecularium, ab Episcopo directe et immediate nominatur; is pro eiusdem Episcopi arbitrio ex viris ecclesiasticis eligi poterit.

§ 20. Munera virorum consistorii cessant ubi Episcopus ex hac vita migraverit vel episcopatum dimiserit, aeque ac ubi finem habuerit administratio sedis vacantis. Si Episcopus diem supremum obeat, vel ab Episcopatu se abdicet, illius successor, vel qui pro tempore illius locum tenet (sive coadiutorem habeat cum futura successione, sive Capitulum eligat vicarium capitularem ad sacrorum canonum normam), statim consistorium iterum constituet, quod semper, ut supra dictum est, Gubernio haud ingratum sit.

§ 21. Episcopus supremum habet moderamen in docendi rationem, in doctrinam, in disciplinam omnium suae dioecesis seminariorum iuxta praescripta a Conc. Tridentino cap. XVIII. sess. XXIII.

§ 22. Electiones rectorum, inspectorum, professorum et magistrorum pro dioecesanis seminariis Episcopo reservantur. Antequam eos nominet, certior fieri debet, huiusmodi electiones, quoad civilem vivendi rationem, haud praebere Gubernio obiiciendi locum. Cum Episcopus necessarium duxerit amovere rectorem, vel inspectorem, vel aliquem ex professoribus aut magistris, statim illis eadem ratione successorem dat. Ipse libertate pollet intermittendi pro tempore unum vel plura studiorum curricula in suo seminario. Cum necessarium existimaverit intermittere omnes insimul studiorum cursus et alumnos ad suos parentes mittere, continuo Gubernium instruet.

§ 23. Archiepiscopus Metropolitanus Mohilowiensis exercet in ecclesiasticam academiam Petropolis eamdem auctoritatem, quam quisque Episcopus in proprium dioe-

cesanum seminarium exercet. Is unice eiusdem academiae caput et supremus moderator est. Coetus consiliariorum vel moderatorum academiae consultationis tantum partes habet.

§ 24. Electio rectoris, inspectoris et professorum academiae ab Archiepiscopo fiet ex relatione consilii academici. Quae in articulo XXII praescripta sunt, hisce electionibus item aptantur.

§ 25. Professores et adiuncti scientiarum theologicarum semper ex ecclesiasticis viris eliguntur. Alii magistri eligi poterunt ex laicis catholicam religionem romanam profitentibus, iisque praehabitis, qui studiorum curriculum confecerint in aliquo maiore Imperii athenaeo, atque academicos gradus fuerint consequuti.

§ 26. Conscientiae moderatores alumnorum tum cuiusque seminarii, tum academiae, nullam sibi arrogent partem in dirigenda instituti disciplina; ipsi eligentur et nominabuntur ab Episcopo, vel Archiepiscopo.

§ 27. Post novam dioecesium circumscriptionem Archiepiscopus semel et in perpetuum cum Ordinariorum consilio statuet numerum alumnorum, qui ab unaquaque dioecesi ad academiam mitti poterunt.

§ 28. Programma studiorum pro seminariis redigetur ab Episcopis; pro acade mia ab Archiepiscopo, postquam rem cum suo academico consilio contulerit.

§ 29. Postquam regulae academiae ecclesiasticae Petropolis modificationes subierint conformes institutis, de quibus in praecedentibus articulis conventum est, Archiepiscopus Mohilowiensis de ipsa academia relationem ad S. Sedem mittet illi parem, quam Archiepiscopus Varsaviensis Choromanski confecit, quum academia ecclesiastica huius civitatis fuit restituta.

§ 30. Ubicumque ius patronatus haud existit, vel pro tempore est intermissum, nominantur ab Episcopo parochi Gubernio haud ingrati, praevio examine et concursu inter candidatos iuxta regulas a Concilio Tridentino praescriptas.

§ 31. Templa catholica romana libere reparantur aere communitatum, vel pri vatorum hominum, qui huiusmodi curam suscipere velint. Quotiescumque eorum vires haud sufficerent, imperiale gubernium adire poterunt, ut necessaria subsidia obtineant. Consilium capietur nova aedificandi templa et paroeciarum numerum augendi, quum id postulet vel populi incrementum, vel nimia existentium paroeciarum amplitudo et communicationum difficultas.

Romae 3 augusti 1847.

VII.

Conventio inter Pium IX et Praesidem Reipublicae Boliviae (1). *1851.*

Art. 1. La religion católica, apostólica, romana continuará siendo la religion de la república de Bolivia, y se conservará siempre con todos los derechos y prerogativas de que debe gozar, segun la ley de Dios y las disposiciones de los sagrados cánones.

Art. 2. En consecuencia, la enseñanza en las universidades, colegios, escuelas públicas y privadas y demás establecimientos de instruccion, será conforme á la doctrina de la misma religion católica. A éste fin, los Obispos y ordinarios locales tendrán la libre direccion de las cátedras de teología y de derecho canónico y de todos los ramos de enseñanza ecclesiástica, y á más de la influencia que ejercerán en fuerza de su ministerio, sobre la educacion religiosa de la juventud, velarán porque en la enseñanza de cualquier otro ramo no haya nada contrario á la religion y á la moral.

Art. 3. Los Obispos conservarán asimismo su derecho de censura sobre todos los libros y escritos, que tengan relacion al dogma, á la disciplina de la Iglesia y á la moral pública: y el gobierno de Bolivia concurrirá con los medios propios de su autoridad á sostener las disposiciones, que ellos tomaren, conforme á los sagrados cánones para tutelar la religion, y evitar todo lo que pudiera serle contrário.

Art. 4. Siendo el Pontífice el Jefe de la iglesia universal por derecho divino, tanto los Obispos como el clero y el pueblo tendrán libre comunicacion con la Santa Sede.

Art. 5. El gobierno Boliviano se compromete á conservar la dotacion de los

(1) Ex F. I. Hernaez, *Collection de Bulas, Breves y otros documentos*, vol. II,. p. 604.

Obispos, Cabildos y seminarios, y á proveer á los gastos del culto y de fábrica de la iglesia, de los fondos del tesoro nacional, conforme á la escala específica, que se halla al fin del presente concordato, y siendo dichas asignaciones el compensativo de los diezmos menoscabados en gran parte por los trastornos pasados, deberán considerarse, como lo son, á título oneroso, y reconocidas por el gobierno como verdadéro crédito de las iglesias contra la nacion Boliviana, adquiriendo de éste modo el carácter de una verdadera renta independiente.

Art. 6. Los párrocos seguirán percibiendo las primicias y los emolumentos dichos de estola, cuyos aranceles serán arreglados por los Ordinarios concienzudamente, hasta que pudiere el gobierno asignarle una cóngrua segura é independiente, poniéndose para ello de acuerdo con los Obispos.

Art. 7. En vista de las precitadas disposiciones, el Sumo Pontifice concede al presidente de la república Boliviana y á sus sucesores en éste cargo, el patronato ó sea el privilegio de presentar para cualesquiera vacantes de iglesias Arzobispales ú Obispales, á eclesiásticos dignos é idóneos, adornandos de todas las cualidades requeridas por los sagrados cánones; y el Sumo Pontífice en conformidad á la reglas prescritas por la iglesia, dará á los presentados la institucion cánonica en las formas acostumbradas. Pero no podrán los presentados intervenir de ningun modo en el régimen ó administracion de las iglesias, para las cuales hubiesien sido designados, ántes de recibir las Bulas de institucion canónica, como está prescrito por los sagrados cánones. El presidente de la república procederá dentro del término de ocho meses, contados desde el dia de la vacante, á hacer éstas presentaciones.

Art. 8. Por la misma causa, Su Santidad concede al presidente de la república el indulto de nombrar en cada capitulo para seis prebendas, ya sean dignidades ó racioneros, exceptuando la primera dignidad, que será reservada á la libre colacion de la Santa Sede, y la doctoral, penitenciaría y magistral, las cuales serán conferidas por los Obispos, en concurso de oposicion, á las personas que fuesen considerados más dignas. Serán de nombramiento del presidente las seis prebendas, que primero vacaren de las no exceptuadas, las cuales quedarán sujetas para siempre á su libre nominacion. La provision de las restantes, cualquiera que fuese su clase y número, corresponden en adelante á los Obispos. Esto no impide el que se pueden fundar otras prebendas de oposicion como las tres antedichas, que deben tambien conferirse en concurso por los Obispos, las cuales establecidas una vez no podrán variarse.

Art. 9. Todas las parroquias se proveerán en concurso abierto, segun lo dispuesto por el Santo Concilio de Trento, debiendo los ordinarios formar las ternas de los concurrentes aprobados y dirigirlos al presidente de la república, quien nombrará uno entre los propuestos, conforme á la prática observada hasta ahora.

Art. 10. La Santa Sede en ejercicio de su proprio derecho, erigerá nuevas diócesis, y hará nuevas circunscripciones de las existentes, segun lo requieran la necesidad y la utilidad de los fieles. Sin embargo, llegado el caso, procederá de inteligencia con el gobierno Boliviano; en cada una de éstas diócesi se establecerá un cabildo de canónigos y un colegio seminario proporcionado al número del clero diocesano, y á las necesidades de las nuevas diócesis; y para la dotacion tanto de las Sillas, que hayan de erigirse en los cabildos, como para los seminarios, se procederá sobre las bases establecidas para los otros ya existentes, poniéndose la Santa Sede de acuerdo con el gobierno, para que dichas dotaciones sean decorosas é independientes.

Art. 11. Se erigirán igualmente por los respectivos ordinários nuevas parroquias, segun lo requieran la necesidad y la utilidad de los fieles, procediéndose igualmente de inteligencia, siempre que fuere necesário conciliar los efectos civiles.

Art. 12. Se conserverán los colegios seminarios existentes, y en aquellas diócesis, donde faltan, se erigirán inmediatamente, dotándolos como se ha dicho arriba. Serán recibidos y educados en ellos, conforme á lo prescrito por el Sacro Concilio de Trento, aquellos jóvenes, á quienes los Obispos creyeren conveniente admitir, segun la necesidad y utilitad de sus diócesis. Corresponde por consiguiente el pleno y libre derecho á la autoridad de los prelados diocesanos

todo cuanto concierne al arreglo, á la enseñanza, al régimen y á la administracion de los seminarios, cuyos rectores y profesores serán libremente nombrados y revocados por los Obispos, cuando lo juzgaren conveniente.

Art. 13. En sede vacante, el Cabildo de la iglesia metropolitana ó sufragánea nombrará libremente en el término prefijado, y en conformidad con lo establecido por el Sagrado Concilio de Trento, al Vicario capitular, rin poder revocar el nombramiento una vez hecho, ni hacer otro nuevo, quedando por consiguiente abolida cualquiera costumbre, que fuese contrásia á lo dispuesto por los sagrados cánones.

Art. 14. Las causas concernientes á la fé, á los Sacramentos, á las funciones sagradas, á las obligaciones y á los derechos anejos al sagrado ministerio, y en general todas las causas de naturaleza eclesiástica, pertenecen exclusivamente al juicio de la autoridad eclesiástica, segun la regla de los sagrados cánones.

Art. 15. Atendiendo á las circunstancias de los tiempos, el Sumo Pontífice consiente en que se defieran á los tribunales láicos las causas personales de los eclesiásticos en materia civil, así como las causas reales, que conciernen á las propiedades y á otros derechos temporales tanto de los clérigos, cómo de las iglesias, de los beneficios y demás fundaciones eclesiásticas.

Art. 16. Por la misma razon, la Santa Sede no hace dificultad á que las causas criminales de los eclesiásticos por delitos perseguidos por las leyes de la república, extrañas á la religion, sean deferidas á los tribunales láicos. Pero en los juicios de segunda y última instancia, entrarán á hacer parte del tribunal, como conjueces, al ménos dos eclesiásticos nombrados por el ordinário. Estos juicios no serán públicos, y las sentencias que resultaren de ellos, en caso de condenacion á pena capital, aflictiva ó infamante, no se ejecutarán sin la aprobacion del presidente de la república, y sin que el respectivo Obispo haya cumplido préviamente con cuanto en tales casos se requiere por los santos cánones. En el arresto y detencion de los eclesiásticos se usarán los miramientos convenientes á su carácter, debiendo darse pronto aviso de dicho arresto al Obispo respectivo. En la disposicion contenida en éste artículo, siempre se entienden excluidas las causas mayores, las que son reservadas á la Santa Sede, conforme á lo dispuesto por el Concilio de Trento. *Sess. 24 de Refor. cap. 5.*

Art. 17. Siendo los ordinarios enteramente libres en el ejercicio de su ministerio, podrán conforme á la disciplina vigente, aprobada de la iglesia, corregir á los eclesiásticos por las faltas á los deberes de su oficio, y por la de su conducta moral.

Ast. 18. La iglesia tiene el derecho de adquirir por cualquiera título justo: sus adquisiciones y las fundaciones piadosas serán respetadas y garantidas á la par de las propriedades de todos los ciudadanos Bolivianos; y por lo que toca á las fundaciones, no se podrá hacer ninguna supresion ni union sin la intervencion de la autoridad de la Santa Sede, salvas las facultades, que competen á los Obispos, segun la dispuesto por el Sagrado Concilio de Trento.

Art. 19. La Santa Sede en vista de las circunstancias actuales, consiente en que los fondos ó bienes eclesiásticos sean sometidos á las cargas públicas, á la par de los ciudadanos Bolivianos, excepto siempre las fábricas destinadas al culto divino, és decir, las iglesias.

Art. 20. Atendida la utilidad, que resulta para la religion del presente concordato, el Santo Padre á instancias del presidente de la república de Bolivia, y por proveer á la tranquilidad pública, decreta y declara, que las personas, que durante las vicisitudes pasadas hubiesen comprado bienes eclesiásticos, ó redimido censos en los dominios de ella, autorizados por las leyes civiles vigentes en aquellos tiempos, tanto los que se hallan en posesion, cuanto los que hayan sucedido ó sucedieren de derecho á los dichos compradores no serán molestados en ningun tiempo y de ninguna manera por Su Santidad, ni por los Sumos Pontifices sus sucesores; de modo que los primeros compradores, lo mismo que sus legítimos sucesores, gozan segura y pacíficamente de la propriedad de dichos bienes, de sus respectivos emolumentos y productos, siendo entendido, que no se renovarán esas enajenaciones abusivas.

Art. 21. Se conservarán los monasterios de ambos sexos actualmente existentes en el territorio de la república de

Bolivia, y no se impedirá el establecimiento de otros. Las cosas relativas á regulares, serán arregladas segun se halla establecido por las leyes canónicas y por las constituciones de las respectivas ordenes.

Art. 22. El gobierno de la república de Bolivia suministrará los medios adecuados para la propagacion de la fé y para la conversion de los infieles existentes dentro de los límites de su territorio, y favorecerá el establecimiento y progreso de las misiones, que con tan laudable objeto legasen al territorio de la república, autorizadas por la Sagrada Congregacion *de Propaganda Fide*.

Art. 23. En vista de la declaracion del gobierno emitida por medio de su plenipotenciario, en cuanto al juramento, de que no es su mente obligar en conciencia à quien lo preste á cosa contraria á la ley de Dios y de la iglesia: Su Santidad consiente en que los Obispos y demas eclesiásticos lo presten en la forma siguiente: « Yo juro y prometo á Dios sobre los Santos Evangelios obedecer y ser fiel al gobierno establecido por la constitucion de la república de Bolivia, y prometo asimismo no ingerirme personalmente ni por medio de consejos, en proyecto alguno, que pueda ser contrario á la independencia nacional, ó á la tranquilidad pública.

Art. 24. Despues de los Oficios divinos en todas las iglesias de Bolivia, se hará la siguiente oracion:

« Domine, salvam fac Rempublicam:
Domine, salvum fac Praesidem eius ».

Art. 25. Su Santidad concede á los ejércitos de la repúblicà de Bolivia todas las exenciones conocidas bajo la denominacion de privilegios castrenses, y determinará despues en un Breve, contemporáneo á la publicacion del concordato, cada una de las gracias y exenciones, que entiende conceder.

Art. 26. Todo lo que no se haya arreglado expresamente por los articulos anteriores, sea que pertenezca á cosa ó á personas eclesiásticas, será dirigido y administrado conforme á la disciplina vigente de la iglesia católica, apostólica, romana.

Art. 27. Quedan abrogadas por la presente convencion todas las leyes, ordenanzas y decretos promulgados de cualquiera modo, y en cualquier tiempo en la república de Bolivia; y la dicha convencion se considerará como ley del estado, que debe tener fuerza y valor en adelante (1).

VIII.

Conventio inter Pium IX et Praesidem Reipublicae Guatimalae (2). *1852.*

In Nomine Sanctissimae Trinitatis.

Sanctitas Sua, Summus Pont. Pius IX, et Praeses Reipublicae Guatimalensis, dux exercitus, Raphael Carrera, in suos respectivos plenipotentiarios nominarunt, Sanctitas Sua eminentissimum dominum Iacobum Antonelli Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum ministrum a publicis negotiis, et reipublicae Praeses excellentissimum dominum Ferdinandum Lorenzana, marchionem de Belmonte, equitem Ordinis Hierosolymitani a Sancto Sepulchro, equitem a Magna Cruce, itemque Torquatum Gregorianum, equitem Francisci Primi Neapolitani et administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur, convenerunt.

§ 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana esse pergit religio Reipublicae Guatimalensis, atque inibi sarta tecta perpetuo conservabitur cum omnibus iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

§ 2. Hinc iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, scholis tam publicis quam privatis, et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis, erit plane conformis doctrinae eiusdem religionis catholicae; et idcirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad theologicas et canonici iuris facultates et ad alias ecclesiasticas cuiusque generis disciplinas pertinent. Insuper iidem Ordinarii

(1) Esto Concordato celebró el General Santa Cruz á nombre del Gobierno Boliviano con el Pontefice Pio IX en 1851. — (2) Ex Hernaez, v. 2, p. 607.

et Episcopi, praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis alia tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

§ 3. Episcopi praeterea iure suo fruentur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et scripta, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam, et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent, et supremum Guatimalense gubernium omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tuendas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam atque devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

§ 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, tam Episcopi, quam Clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

§ 5. Guatimalense gubernium obligatione se obstringit, ut decimae sartae tectae habeantur, et illae sua interposita auctoritate omnino solventur; quae, etiamsi archiepiscopalis sedes aut illius dioecesis beneficia vacaverint, in ipsius archiepiscopalis sedis, capituli et seminarii dote, in divini cultus sumptibus, ac metropolitano templo instaurando integrae impendi plane debeant. Instituetur ecclesiasticorum virorum commissio, quos Ordinarius ipse ex metropolitanae ecclesiae canonicis, quantum fieri possit, eliget. Eidem commissioni Ordinarius praeerit, sede autem vacante, vicarius capitularis; quae quidem commissio, donec sedes aut beneficia vacaverint, illorum redditus exigere et administrare, eosque sive in sacras aedes reficiendas, sive in eleemosynas elargiendas, vel in alios omnino pios ac religiosos usus ipsius commissionis iudicio iuxta indigentias et opportunitates erogare omnino debebit. Si ob temporum adiuncta, quae praevideri non possunt, aliqua de decimis immutatio induci deberet, id fieri nunquam poterit, prout iuris est, quin Apostolica Sedes suam primum interposuerit auctoritatem, et quin Gubernium idem alios attribuat fundos, quibus decens et liber seu independens redditus constituatur ad veram Ecclesiae proprietatem asserendam, iis omnibus pollentem iuribus, quibus eiusdem Reipublicae quilibet proprietarius fruitur. Cum autem in praesentia decimae haud sufficiant iis sustinendis, quorum causae destinatae sunt, idcirco Gubernium idem ex publico aerario annuam pecuniae vim attribuet, quae erit solvenda etiam postquam decimae in meliorem conditionem adductae fuerint, quaeque recognoscitur uti verum Ecclesiae creditum in Statum pro summa quatuor mill. scutat. monetae dividenda iuxta subsequens schema, videlicet pro Archiepiscopo mille, pro quolibet ex quinque dignitatibus tercentum, pro unoquoque ex quinque canonicatibus biscentum, et pro fabrica metropolitani templi quingenta scutata similia.

§ 6. Parochi pergent percipere, donec iis congruus, tutus ac independens redditus ab Ordinario approbandus assignetur, primitias et emolumenta, quae vulgo *a stola* nuncupantur, salvo semper Ordinarii iure haec ultima pro sua conscientia moderandi peculiari statuto, quod, uti opus fuerit, examini et probationi ipsius Ordinarii subiicietur, collatis cum Gubernio consiliis pro auxilio per ipsum Gubernium praestando, ut illa tuto ac revera a parochis exigantur. Cum in Guatimalensi republica nonnulli adsint fundi ex iuribus aut, uti dicunt, ex fabricae taxis constituti ad hoc, ut hi in Ecclesiae utilitatem, in divini cultus impendia et in paroeciarum pauperum subsidium vere erogentur, ipsum Gubernium, quin tamen unquam aliquod ius habeat administrandi eosdem fundos, potest advigilare, ut fundi iidem enunciato modo impendantur, et ad id in singulis abusionis casibus ab Ordinario efflagitabit, ut debitá remedia adhibeat. Quoties fundi paroeciarum indigentiis necessarii desint, Gubernium spondet se opportuno modo iisdem indigentiis provisurum, susceptis cum Ordinario consiliis.

§ 7. Obligationum causa, quibus Gubernium se obstringit, Summus Pontifex concedit Praesidi reipublicae Guatimalensis, eiusque in munere successoribus, ius proponendi ad sedem archiepiscopalem vacantem et ad quascumque sedes episcopales vacantes, ubi fuerint canonice erectae, dignos et idoneos ecclesiasticos viros iis omnibus praeditos dotibus, quas sacri canones requirunt. Talibus autem viris Sanctitas Sua, iuxta regulas ab Ecclesia praescriptas et formas consuetas, canonicam dabit institutionem. Antequam vero

iidem viri canonicae huius institutionis litteras apostolicas obtinuerint, nullo modo se immiscere poterunt regimini seu administrationi ecclesiarum, ad quas designati fuerint, prout a sacris canonibus sancitum est; Reipublicae autem Praeses non ultra annum a vacationis die idoneos hosce viros proponet.

§ 8. Eadem de causa Summus Pontifex Praesidi indultum concedit nominandi in quolibet Capitulo ad sex praebendas dumtaxat, sive dignitates sint, sive canonicatus, aut simplices praebendae, excepta prima dignitate, quae Sanctae Sedis collationi reservata erit, et quam ipse Summus Pontifex clerum guatimalensem sua benignitate prosequi volens uni ex ecclesiasticis eiusdem cleri viro conferet, necnon exceptis praebendis doctorali, poenitentiaria ac magistrali, quas Episcopi, praevio experimento sive concursu rite habito, iis conferent, quos digniores iudicaverint. Reipublicae praeses, his semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt, quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt; reliquae autem, cuiuscumque tandem classis et numeri sint, vel futuris temporibus existent, ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in Capitulis possint institui, quae per publicum experimentum seu concursum obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo in posterum variari poterunt.

§ 9. Paroeciae omnes iuxta Concilii Tridentini praescriptum conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto, Episcopi tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, qui unum ex iis seliget eodem plane modo, qui adhuc in more fuit.

§ 10. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit. Verumtamen, ubi id contigerit, cum Guatimalensi gubernio consilia conferet. In unaquaque earumdem dioecesium instituentur canonicorum capitulum et episcopale seminarium accommodate ad cleri dioecesani numerum et ipsarum dioecesium indigentias. Pro dote cuiusque sedis, capituli et seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae pro aliis iam existentibus est statuta, collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium consiliis, quo eiusmodi dos decora ac plane libera seu independens sit.

§ 11. Item in singulis dioecesibus a proprio Ordinario novae erigentur paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quatenus civilium rerum rationes sint conciliandae.

§ 12. In Guatimalensi dioecesi seminarium archiepiscopale erit conservandum; in iis autem dioecesibus, quae futuro tempore constituentur, nulla interposita mora, cum praedicta pariter dote erunt erigenda. In seminaria autem admittentur, ibique ad normam Sancti Concilii Tridentini instituentur, ii adolescentes, quos Archiepiscopus et Episcopi ex propriae dioecesis necessitate vel utilitate excipiendos esse iudicaverint. Ea omnia, quae ad eorumdem seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent, a dioecesano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et ius in ea exercebit. Rectores quoque et professores seminariorum ab Episcopo libere nominabuntur, et, quotiescumque necessarium vel utile ab ipso iudicabitur, removebuntur.

§ 13. Sede vacante, metropolitanae vel suffraganeae ecclesiae Capitulum intra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re sacrorum canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

§ 14. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones, aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ecclesiasticae naturae, ad ecclesiasticae auctoritatis iudicium unice pertinent, iuxta sacrorum canonum normam.

§ 15. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum ad laicos iudices deferantur, sive personales sint sive reales, quae scilicet possessiones atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum aliarumque ecclesiasticarum fundationum iura respiciant. Si vero contigerit, ut inter ecclesiasticos viros habeantur quaestio-

nes, illas Episcopi veluti arbitri dirimere aut conciliare poterunt, ita ut, quoties huiusmodi experimentum omittatur, et desit legale documentum, ex quo constet experimentum idem absque ullo effectu fuisse peractum, nullum Status tribunal poterit actorum petitiones admittere et ad illarum cognitionem procedere.

§ 16. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus Reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad religionem non pertinent, ad laicorum tribunalia deferantur; cum vero agitur de iudiciis secundae et ultimae instantiae, in illud tribunal inter iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis seu poenam afflictivam aut infamiam inferentes nunquam erunt exequendae absque supremi praesidis Reipublicae approbatione, et antequam proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus ea absolverit, quae sacri canones praescribunt. In deprehendendis et detinendis ecclesiasticis, ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit; et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in huius articuli dispositione plane excluduntur causae maiores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt, iuxta Sacri Concilii Tridentini praescripta, *Sess. 24 de reform., cap. V.*

§ 17. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo, poterunt iuxta vigentem et approbatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos viros, qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

§ 18. Ecclesia iure pollet novas acquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res aut fundationes sacrae et inviolabiles erunt, aeque ac proprietates aliorum civium Guatimalae reipublicae, ideoque nulla fundationum suppressio vel unio fieri poterit abque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum, iuxta Concilii Tridentini normam.

§ 19. Ob rerum ac temporum adiuncta, Sancta Sedes consentit ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus, aeque ac aliorum Guatimalensis ditionis civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

§ 20. Attenta utilitate, quae ex praesenti conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Guatimalensis Reipublicae Praesidis postulationibus annuens et publicae tranquillitati consulere cupiens, decernit et declarat eos, qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in eiusdem Reipublicae dominiis ecclesiastica bona vel census redemerint ad civilium legum tunc temporis vigentium normam et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint vel ex iure succedent, nullo umquam tempore aut modo molestiam ullam habituros neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontificibus, imo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus et emolumenta tuta et pacifica fore penes ipsos atque ab iis causam habentes. Id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut eiusmodi abusivae alienationes nunquam renoventur.

§ 21. Monasteria Regularium utriusque sexus, quae in Guatimalensis Reipublicae territorio nunc existunt, erunt servanda, neque impedietur, quominus alia instituantur monasteria. Quae autem ad Regulares pertinent, iuxta canonicarum legum et cuiusque Ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

§ 22. Gubernium Reipublicae Guatimalae opportuna praebebit subsidia ad fidei propagationem et ad infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam, et omnem praestabit favorem institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis *Propagandae Fidei* mittuntur.

§ 23. Praevia declaratione a Gubernio per suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligari in conscientia eos, qui iuramentum illud praestent, ad quidpiam peragendum, quod Dei Ecclesiae legibus adversetur; Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Episcopis, Vicariis capitularibus, caeterisque ecclesiasticis viris praestare posse: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei evangelia obedientiam et fidelitatem Gubernio per constitutionem Reipublicae Guatimalensis statuto;

itemque promitto me nulli propositioni, sive persona, sive consilio, adfuturum, quae nationis independentiae, vel tranquillitati publicae noceat ».

§ 24. Post divina officia in omnibus Guatimalae templis sic orabitur: « Domine, salvam fac Rempublicam: Domine, salvum fac Praesidem eius ».

§ 25. Sanctitas Sua Reipublicae Guatimalae exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum Castrensium nomine cognoscuntur; atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias sive exemptiones, quas erit largitura, determinabit per apostolicas litteras, quae expedientur, cum praesens conventio publicabitur.

§ 26. Reliqua omnia ad res seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem Ecclesiae Catholicae Romanae disciplinam.

§ 27. Per praesentem conventionem leges, ordinationes, decreta in Reipublicae Guatimalae quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur; atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

§ 28. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius, si fieri poterit.

§ 29. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per apostolicas litteras praesentem conventionem confirmabit. In quorum fidem praefati Plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae, die VII oct. MDCCCLII.

Loco ✠ Sigilli.

IACOBUS Card. ANTONELLI

Ferdinandus de Lorenzana.

IX.

Conventio inter Pium IX et Costaricensis Reipublicae Praesidem* (1) *1852.

In Nomine SSmae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua, Summus Pontifex Pius IX, et Praeses Reipublicae Costaricensis in suos respective Plenipotentiarios nominarunt,

Sanctitas Sua Emum D. Iacobum Antonelli, S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum ministrum a publicis negotiis, et Reipublicae Praeses excellentissimum dominum Ferdinandum Lorenzana, marchionem de Belmonte, equitem Ordinis Hierosolymitani a S. Sepulcro, equitem a Magna Cruce, itemque Torquatum Francisci Primi Neapolitani et Administrum cum liberis mandatis apud Sanctam Sedem Apostolicam. Qui, post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta, de iis, quae sequuntur, convenerunt.

§ 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana est religio Status in Costaricensi Republica, atque inibi sarta tecta semper conservabitur cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ex Dei lege et SS. Canonum sanctionibus pollere debet.

§ 2. Hinc iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, scholis et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis erit plane conformis doctrinae eiusdem catholicae Religionis, et idcirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad theologicas et canonici iuris facultates et alias ecclesiasticas eiusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministri officio in religiosam iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

§ 3. Episcopi praeterea iure suo fruuntur examinandi et censuram ferendi in libros et scripta, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent, et supremum Costaricense Gubernium omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tutandas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

(1) Ex Hernaez, vol. 2, pag. 612.

§ 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, tam Episcopi quam Clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

§ 5. Costaricense Gubernium obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro Episcopo, Capitulo, seminario, et divini cultus ac sacrarum aedium expensis super fundis aerarii Costaricensis nationis iuxta designationem in fine huius conventionis expressam. Et quoties novae dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cuiusque ecclesiae, capituli et seminarii. Cum autem huiusmodi dotes assignentur compensatione, imo loco decimarum, quibus hoc modo supplendis Gubernium propria illius loci utilitatis causa a Sede Apostolica huiusmodi veniam petiit et obtinuit, idcirco dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo oneroso, ac propterea Gubernium tamquam verum Ecclesiae creditum erga nationem Costaricensem dotes ipsas agnoscit, quae ita liberorum, seu omnino independentium, reddituum naturam rationemque acquirent.

§ 6. Parochi pergent exigere primitias et emolumenta, quae a stola nuncupantur, salvo ordinario iure haec eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio, collatis invicem super hac re cum propriis Ordinariis consiliis.

§ 7. Ob praedictae dotis assignationem, quae praesentes decimarum proventus superat, quaeque ex ipsius Gubernii sponsione copiosior futuro tempore evadet, Summus Pontifex Praesidi Costaricensis Reipublicae eiusque in munere successoribus concedit patronatus ius, seu privilegium proponendi in qualibet vacatione ecclesiae S. Iosephi et aliarum in eo territorio erigendarum ecclesiarum dignos idoneosque ecclesiasticos viros, iis omnibus dotibus praeditos, quas SS. Canones requirunt, et idem Summus Pontifex iuxta praescriptas ab Ecclesia regulas iisdem viris canonicam institutionem ex consuetis formis dabit. Designati vero nullo modo sese commiscere poterunt regimini et administrationi illius ecclesiae ad quam fuerint nominati, antequam apostolicas canonicae institutionis litteras exceperint, prout sacri canones praescribunt. Reipublicae Praeses non ultra annum a vacationis die nominatum praesentabit.

§ 8. Eadem de causa Summus Pontifex Reipublicae Praesidi indultum concedit nominandi ad omnes Capituli praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive inferiora beneficia, usque ad sex dumtaxat, excepta prima dignitate, quae libere Sanctae Sedis collationi reservata permanet, nec non theologali et poenitentiaria praebendis, quae ab Episcopis, praevio experimento seu concursu rite habito, iis conferentur, quos digniores iudicaverint. Reipublicae Praeses, illis semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt, quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliqua autem cuiuscumque tandem classis et numeri futura sint, quoniam in praesentia tres tantum existunt, ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in Capitulis possint institui, quae per publicum experimentum seu concursum veluti duae superius memoratae obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo variari poterunt.

§ 9. Paroeciae omnes iuxta Concilii Tridentini praescripta conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto, Episcopi tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, ut ex iis propositis unum seligat iuxta morem, qui a guberniis Americae Regionum ad Hispanias olim pertinentium observatur.

§ 10. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit. Verumtamen, ubi id contigerit, cum Costaricensi Gubernio consilia conferet. In unaquaque earumden dioecesium instituetur canonicorum capitulum et episcopale seminarium accommodatum ad cleri dioecesani numerum et ipsarum dioecesium indigentias. Pro dote cuiusque sedis, capituli et seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae statuta est pro Costaricensi ecclesia, quae quamprimum canonicorum capitulum habebit efformatum iuxta schema inferius referendum. In seminaria excipientur et instituentur iuxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propria dioecesis necessitate vel utilitate admittendos esse censuerint.

Ea omnia, quae ad eorumdem seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent, a dioecesano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et ius in ea exercebit. Rectores quoque et professores seminariorum ab Episcopis libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipsis iudicabitur, removebuntur.

§ 11. Item in singulis dioecesibus a propriis Ordinariis novae erigentur paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quoties civilium rerum rationes sint conciliandae.

§ 12. Sede vacante, episcopalis ecclesiae Capitulum infra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re sacrorum canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

§ 13. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ecclesiasticae, ad iudicium ecclesiasticae auctoritatis unice pertinent iuxta sacrorum canonum normam.

§ 14. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum ad laicos iudices referantur, sive personales sint, sive reales, quae scilicet possessiones atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque ecclesiasticarum fundationum iura respiciant.

§ 15. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit quominus causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad religionem non pertinent, ad laicorum tribunalia deferantur. Cum vero agitur de iudiciis secundae et ultimae instantiae, in illud tribunal inter iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis, seu poenam afflictivam, aut infamiam inferentes, numquam erunt exequendae absque suprema Praesidis Reipublicae approbatione, et antequam proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus ea absolverit, quae sacri canones praescribunt. In deprehendendis et detinendis ecclesiasticis ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit, et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in huius articuli dispositione plene excluduntur causae maiores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt, iuxta Sacri Concilii Tridentini praescripta, *Sess. 24. De Reform. Cap. V.*

§ 16. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo, poterunt iuxta vigentem et approbatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos viros qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

§ 17. Ecclesia iure pollet novas acquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res aut fundationes erunt sacrae et inviolabiles, aeque ac proprietates aliorum civium Costaricensium, ideoque nulla fundationum suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum, iuxta Concilii Tridentini normam.

§ 18. Ob rerum et temporum adiuncta, Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus, aeque ac aliorum Costaricensium civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

§ 19. Attenta utilitate, quae ex praesenti conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Costaricensis Reipublicae Praesidis postulationibus annuens, et publicae tranquillitati consulere cupiens, decernit et declarat, eos qui, durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in eiusdem Costaricae dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint ad civilium legum tum temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint, vel ex iure succedunt, nullo umquam tempore aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontificibus; imo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus et emolumenta tuta et pacifica fore per seipsos atque ab iis causam habentes; id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huius-

modi abusivae alienationes numquam renoventur.

§ 20. Non impedietur quominus instituantur monasteria utriusque sexus cuiuscumque ordinis et instituti a Sancta Sede approbati. Quae autem ad regulares pertinent, iuxta canonicarum legum et cuiusque ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

§ 21. Gubernium Reipublicae Costaricensis opportuna praebebit subsidia ad fidei propagationem et ad infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam, et omnem praestabit favorem institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis *Propagandae Fidei* mittuntur.

§ 22. Praevia declaratione a Gubernio per suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligari in conscientia eos, qui iuramentum illud praestent ad quidpiam peragendum, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur, Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Episcopis ceterisque ecclesiasticis viris praestari posse: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei « evangelia obedientiam et fidelitatem Gu« bernio per constitutionem Reipublicae « Costaricensis statuto, itemque promitto « me nulli propositioni sive persona sive « consilio adfuturum, quae nationis inde« pendentiae vel tranquillitati publicae « noceat ».

§ 23. Post divina officia in omnibus Costaricensis reipublicae templis sic orabitur: « Domine, salvam fac Rempublicam: « Domine, salvum fac Praesidem eius ».

§ 24. Sanctitas Sua Reipublicae Costaricensis exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum Castrensium nomine cognoscuntur: atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias sive exemptiones, quas erit largitura, determinabit per apostolicas litteras, quae expedientur cum praesens conventio publicabitur.

§ 25. Reliqua omnia ad res seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, Romanae disciplinam.

§ 26. Per praesentem conventionem leges, ordinationes, decreta in Republica Costaricensi quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur, atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

§ 27. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius, si fieri poterit.

§ 28. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per apostolicas litteras praesentem conventionem confirmabit.

In quorum fidem praefati Plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae, die VII oct. MDCCCLII.

Loco ✠ Sigilli.

IACOBUS Card. ANTONELLI

Ferdinandus Lorenzana.

X.

Conventio inter Pium IX et Petrum V regem Portugalliae (1) - *1857.*

In nome della SS. e individua Trinità.	Em nome da SS. e Individua Trinidade.
Sua Santità il Sommo Pontifice Pio IX, e sua Maestà fedelissima il Re Don Pietro Quinto, avendo risoluto fare un trattato, nel quale si stabiliscano gli articoli di concordia per la continuazione dell'esercizio dei diritti di patronato della co-	Sua Santidade o Summo Pontifice Pio IX, e sua Magestade fidelissima el Rei Dom Pedro Quinto, tendo resolvido fazer um tratado, no qual se estabeleçam os artigos de concordia para continuação de exercicio dos direitos do padroado da corōa

(1) Ad huiusce conventionis explicationem vide inferius concordatum pro Indiis Orientalibus initum anno 1886.

rona portoghese nell'Indie e Cina, nei termini risultanti dai medesimi articoli, nominarono per questo fine due plenipotenziarii, cioè: per parte di Sua Santità l'eminentissimo e reverendissimo signor Cardinale Camillo di Pietro Pro-Nunzio Apostolico di Portogallo; e per parte di sua Maestà fedelissima l'eccellentissimo signore Rodrigo da Fonseca Magalhaes, pari del regno, consigliere di stato effettivo, ministro e segretario di stato onorario, e gran croce dell'Ordine di Nostro Signore Gesù Cristo: i quali, cambiati i loro respettivi pieni poteri, e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti:

portugueze na India e China, nos termos constantes dos mesmos artigos, nomearam para este fim dois plenipotenciarios, a saber: por parte de Sua Santidade o emo e rmo Senhor Cardeal Camillo Di Pietro, Pro-Nuncio Apostolico em Portugal; e por parte de sua Magestade fidelissima o excellentissimo senhor Rodrigo de Fonseca Magalhaes, par do reino, conselheiro d'estado effectivo, ministro e secretario d'estado honorario, e grão-cruz da Ordem de Nosso Senhor Jesú-Christo: os quaes, trocados os seus respectivos plenos poderes, e achando-os em boa e devida forma, convieram nos artigos seguintes:

ARTICOLO PRIMO

In virtù delle rispettive bolle apostoliche, e in conformità de' sagri canoni, continuerà l'esercizio del diritto di patronato della corona portoghese, quanto all'India e Cina, nelle cattedrali appresso dichiarate:

ARTIGO PRIMEIRO

Em virtude das respectivas bullas apostolicas, e na conformidade dos sagrados canones, continuará o exercicio do direito do padroado da corõa portugueza, quanto á India e China, nas cathedraes abaixo declaradas:

ARTICOLO SECONDO

QUANTO ALL' INDIA

Nella chiesa metropolitana e primaziale di Goa; nella chiesa arcivescovile *ad honorem* di Granganor; nella chiesa vescovile di Cochim; nella chiesa vescovile di S. Tommaso di Meliapor; e nella chiesa vescovile di Malacca.

ARTIGO SEGUNDO

QUANTO A INDIA

Na igreja metropolitana e primacial de Goa; na igreja archiepiscopal *ad honorem* de Cranganor; na igreja episcopal de Cochim; na igreja episcopal de Sao Thomé de Meliapor; e na igreja episcopal de Malacca.

ARTICOLO TERZO

QUANTO ALLA CINA

Nella chiesa vescovile di Macau.

ARTIGO TERCEIRO

QUANTO A CHINA

Na igreja episcopal de Macau.

ARTICOLO QUARTO

Si concorda, che la provincia di Quam-Si non rimarrà inclusa pel futuro nella giurisdizione episcopale di Macau, e per conseguenza nel patronato; riservandosi Sua Santità prendere liberamente in questa provincia, in utilità dei fedeli, le determinazioni che giudicherà convenienti e necessarie.

ARTIGO QUARTO

Concorda-se em que a provincia de Quam-Si não ficará incluida de futuro na jurisdicção episcopal de Macau, e por conseguencia no padroado; reservando-se Sua Santidade tomar livremente nesta provincia, em utilidade dos fieis, as determinações que julgar convenientes e necessarias.

ARTICOLO QUINTO

Il Santo Padre si riserva fare il medesimo quanto all'isola di Hong-Kong, la quale, sebbene inclusa nella provincia di

ARTIGO QUINTO

O Santo Padre reserva-se fazer o mesmo quanto á ilha de Hong-Kong, a qual, posto que incluida na provincia de Kuang-

Kuang-tong (Cantao), rimarrà separata dalla giurisdizione vescovile di Macau, e fuori del patronato.

ARTICOLO SESTO

La giurisdizione del vescovato di Macau, e il patronato nella Cina, comprenderà così d'ora innanzi il territorio che gli appartiene secondo le rispettive bolle, cioè, Macau provincia di Kuang-tong (Cantao) e le isole adiacenti; eccettuate soltanto la detta provincia di Quam-Si, e la isola Hong-Kong.

ARTICOLO SETTIMO

In vista delle considerazioni di convenienza religiosa presentate per parte della Santa Sede, quanto alla erezione di un nuovo vescovato in alcuna parte del territorio attuale dell'arcivescovato di Goa, il governo portoghese, come patrono, contribuirà, quanto ad esso dipenda, perchè questa erezione si realizzi opportunamente nei termini e nelle località che di accordo con la Santa Sede si reputeranno più convenienti alla buona amministrazione di quella chiesa e alla comodità dei fedeli.

ARTICOLO OTTAVO

Rimarrà separata dalla giurisdizione del vescovato di Malaca, e dal patronato, la isola di Pulo-Penang, a riguardo della quale prenderà Sua Santità le disposizioni che le sembreranno opportune.

ARTICOLO NONO

Ma la isola di Singapura continuerà ad appartenere al medesimo vescovato di Malaca, e potrà nella medesima isola stabilirsi la residenza vescovile, conservando il prelato il titolo di Vescovo di Malaca.

ARTICOLO DECIMO

Dovendo il territorio di ciascuno dei vescovati suffraganei dell'India sopra menzionati avere tale estensione, che in esso non sia difficile il pronto e proficuo esercizio della giurisdizione vescovile, le alte parti contraenti convengono che, di accordo, si proceda alla circoscrizione dei medesimi vescovati che sembrerà più adequata per quel fine.

tong (Cantão), ficará separada da jurisdicção episcopal de Macau, e fóra do padroado.

ARTIGO SEXTO

A jurisdicção de bispado de Macau, e o padroado na China, comprenderá assim d'ora em diante o territorio que lhe pertence segundo as respectivas bullas, a saber, Macau, provincia de Kuang-tong (Cantão) e as ilhas adjacentes; exceptuadas somente a dita provincia de Quam-Si, e a ilha de Hong-Kong.

ARTIGO SETIMO

Em vista das considerações de conveniencia religiosa, offerecidas por parte da Santa Sé, quanto á erecção de um novo bispado em alguma parte do territorio actual do arcebispado de Goa, o governo portuguez, como padroeiro, contribuirá, quanto delle dependa, para que esta erecção se realize opportunamente nos termos e nas localidades que de acórdo com a Santa Sé se reputarem mais convenientes á boa administração da quella igreja e á commodidade dos fieis.

ARTIGO OITAVO

Ficará separada da jurisdicção do bispado de Malaca, e do padroado, a ilha de Pulo-Penang, a respeito da qual tomará Sua Santidade as disposições que lhe parecerem opportunas.

ARTIGO NONO

Mas a ilha de Singapura continuará a pertencer ao mesmo bispado de Malaca, e poderá na mesma ilha estabelecer-se a residencia episcopal, conservando o prelado o titulo de Bispo de Malaca.

ARTIGO DECIMO

Devendo o territorio de cada um dos bispados suffraganeos da India acima mencionados ter tal extensão, que nelle se não difficulte o prompto e proficuo exercicio da jurisdicção episcopal, as altas partes contractantes convêm em que, de acórdo, se proceda á circumscripção dos mesmos bispados que parecer mais adequada á quelle fim.

ARTICOLO UNDECIMO

Il Santo Padre, avendo in vista i doveri dettati dal suo apostolico ministero, e desiderando che si ponga quanto prima termine alle disintelligenze e perturbazioni che hanno afflitto, e ancora affliggono, le chiese delle Indie orientali, con grave pregiudizio degli interessi della religione e della pace pubblica dei fedeli delle medesime chiese, situazione questa che Sua Santità non potrebbe veder continuare senza accorrervi con un competente rimedio; e sua Maestà fedelissima il signore Don Pietro Quinto, animato dal medesimo desiderio di veder prospere quelle chiese e ristabilita la tranquillità nelle sue cristianità rispettive: concordarono in che si proceda senza ritardo alla confezione di un atto addizionale, o regolamento, nel quale si fissino i limiti dei detti vescovati del patronato, nei termini dell' articolo antecedente.

ARTIGO UNDECIMO

O Santo Padre, tendo em vista os deveres dictados pelo seu apostolico ministerio, e desejando que se ponha, quanto antes, termo ás desintelligencias e perturbações quem tem affligido e ainda affligem as igrejas das indias Orientaes, com grave prejuizo dos interesses da religiao e da paz publica dos fieis das mesmas igrejas, situação esta que Sua Santidade não poderia ver continuar sem acudir-lhe com um remedio competente; e sua Magestade fidelissima o senhor Don Pedro Quinto, animado do mesmo desejo de ver prosperas aquellas igrejas, e restabelecido o socégo nas suas respectivas christandades: concordaram em que se procéda, sem demora, á feitura de um acto addicional ou regulamento, no qual se fixem os limites dos ditos bispados do padroado, nos termos do artigo antecedente.

ARTICOLO DUODECIMO

Nelle bolle dei Vescovi che saranno presentate, dovrà farsi menzione dei limiti che, di comune accordo, si fisseranno.

ARTIGO DUODECIMO

Nas bullas dos Bispos, que forem apresentados, deverá fazer-se mençao dos limites, que, de commun acordo, se fixarem.

ARTICOLO DECIMOTERZO

A questo fine saranno nominati due commissarii, uno per ciascuna delle alte parti contraenti, i quali animati di spirito di conciliazione, e conoscitori delle località, propongano le rispettive circoscrizioni di ciascuna diocesi. A questi commissarii saranno dichiarati i territorii nei quali le alte parti contraenti hanno convenuto che continui l'esercizio del patronato della corona di Portogallo.

ARTIGO DECIMOTERCEIRO

Para este fim serão nomeados dois commissarios, um por cada uma das altas partes contractantes, os quaes animados de espirito de conciliação, e conhecidores das localidades, proponham as respectivas circumscripções de cada dioceses. A estes commissarios serão declarados os territorios em que as altas partes contractantes se tem acordado que continue o exercicio do padroado da corōa de Portugal.

ARTICOLO DECIMOQUARTO

Nelle parti di territorio che rimarranno fuori dei limiti assegnati alla sopra menzionata diocesi nell'India, potranno erigersi, colle competenti formalità, nuovi vescovati, l'esercizio del cui patronato per la corona portoghese comincerà allora.

ARTIGO DECIMOQUARTO

Nas partes do territorio que ficarem fóra dos limites assignados ás supramencionadas dioceses na India, poderao erigir-se, com as competentes formalidades, novos bispados, o exercicio de cujo padroado pela corōa portugueza começará desde entao.

ARTICOLO DECIMOQUINTO

In vista di ciò che si trova convenuto sopra la materia dell' articolo settimo del

ARTIGO DECIMOQUINTO

Em vista do que se acha convindo sobre a materia do artigo setimo do pre-

presente trattato, Sua Santità consente ad accordare la istituzione canonica alla persona che da sua Maestà fedelissima sarà nominata e presentata per la chiesa metropolitana di Goa. E le alte parti contraenti concordano in questo, che subito che si effettui il possesso del nuovo Arcivescovo, passino i commissarii nominati ad occuparsi della definitiva circoscrizione della diocesi che deve erigersi nel territorio del medesimo arcivescovato, in conformità e per i fini del citato articolo settimo.

Inoltre concordano le medesime alte parti contraenti che, per l'esercizio della giurisdizione ordinaria del nuovo Arcivescovo, si dichiarino come limiti provvisorii del suo territorio le chiese e missioni, che al tempo della sottoscrizione del presente trattato staranno di fatto nell'obbedienza della sede arcivescovile; dovendo rimanere nella pacifica obbedienza dei Vicarii Apostolici tutte le altre che nella medesima data si troveranno anche di fatto soggette alla loro autorità. Questo stato rimarrà fino alla definitiva costituzione canonica del Vescovato, che ha da erigersi.

E di mano in mano, che si anderà concludendo e approvando la circoscrizione delle diocesi suffraganee dell'India, e effettuando il provvedimento canonico dei rispettivi Vescovi, sarà successivamente riconosciuto dalla Santa Sede in queste diocesi l'esercizio della giurisdizione metropolitica del medesimo Arcivescovo.

ARTICOLO DECIMOSESTO

A misura che si anderà stabilendo la circoscrizione di alcuno dei vescovati suffraganei dell'India, e trovandosi provvista di mezzi convenienti la sede vescovile, sarà ammessa dal Sommo Pontefice la presentazione del Vescovo fatta dal reale patrono portoghese; e spedite che sieno le rispettive bolle confirmatorie, si dovranno rimuovere successivamente dal territorio del vescovato il Vicario o Vicarii Apostolici che in esso esisteranno; affinchè il prelato nominato possa entrare nel governo della diocesi.

ARTICOLO DECIMOSETTIMO

Il presente trattato, con i suoi due annessi *a)* e *b)* che formano parte inte-

sente tratado, Sua Santidade annue a acordar a instituicção canonica á pessoa, que por sua Magestade fidelissima for nomeada e apresentada para a igreja metropolitana de Goa. E as altas partes contractantes concordam em este que, logo que se effeitue a posse do novo Arcebispo, passem os commissarios nomeados a occupar-se da definitiva circumscripção da diocese, que deve erigir-se no territorio do mesmo arcebispado na conformidade e para os fins do citado artigo setimo.

Outro sim concordam as mesmas altas partes contractantes que, para o exercicio da jurisdicção ordinaria de novo Arcebispo, se declarem como limites provisorios do seu territorio as igrejas e missões, que ao tempo da assignatura do presente tratado estiverem de facto na obediencia da sé archiepiscopal, devendo ficar una pacifica obediencia dos Vigarios Apostolicos todas as outras, que na mesma data se acharem tambem de facto sujeitas a sua autoridade. Este estado permanecerá até a definitiva constitucção canonica do bispado que ha de erigir-se.

E ao passo que se for concluindo e approvando a circumscripção das dioceses suffraganeas da India, e effeituando o provimento canonico dos respectivos Bispos, será successivamente reconhecido pela Santa Sé nessas dioceses o exercicio da jurisdicção metropolitica do mesmo Arcebispo.

ARTIGO DECIMOSEXTO

A medida que se for estabelecendo a circumscripção de qualquer dos bispados suffraganeos de India, e achando-se provida de meios convenientes a sé episcopal, será admittida pelo Summo Pontifice a apresentação do Bispo feita pelo real padroeiro portuguez; e expedidas que sejam as respectivas bullas confirmatorias, remover-sehão successivamente do territorio do bispado o Vigario ou Vigarios Apostolicos que nelle existirem; afim de que o prelado nomeado possa entrar no regimen da diocese.

ARTIGO DECIMOSETIMO

O presente tratado, com os seus dois annexos *a)* e *b)* que delle formam parte

grante di esso, sarà ratificato dalle alte parti contraenti, e le ratifiche scambiate in Lisbona dentro quattro mesi dalla data della sottoscrizione, o prima se sarà possibile.

In fede di che i plenipotenziarii sopra nominati sottoscrissero in originali duplicati, portoghese e italiano, il medesimo trattato, e gli apposero il sigillo delle loro armi.

Fatto in Lisbona al ventesimo giorno del mese di febbraio dell'anno mille ottocento cinquantasette.

Loco ✠ Sigilli.

firmato Camillo Card. di Pietro P. N. A.

integrante, será ratificado, pelas altas partes contractantes, e as ratificações trocadas em Lisboa dentro de quatro mezes da data da assignatura, ou antes se for possivel.

Em fé do que os plenipotenciarios acima nomeados assignaram em originaes duplicados, portuguez e italiano, o mesmo tratado, e lhe puzeram o sello de suas armas.

Feito em Lisboa aos vinte e um dias do mez de fevereiro do anno de mil oitocentos cincoenta e sete.

Loco ✠ Sigilli.

firmado Rodrigo da Fonseca Magalhaes

ANNESSO *a)*

All'articolo sesto del trattato firmato in data di oggi dai sottoscritti, si dichiarò, che la giurisdizione del Vescovo di Macau deve comprendere la provincia di Cantão (Kuang-tong) e le isole adiacenti, fra le quali la principale, quanto alle cristianità, è l'isola di Hainau; in vista però di ciò che si concordò nelle conferenze, e pei motivi considerati in quelle da ambedue i negoziatori, si giudicò opportuno ritardare per uno spazio di tempo determinato l'esercizio esclusivo della giurisdizione ordinaria del Vescovo di Macau nei territorii delle dette provincia e isola. Questo spazio fu limitato a un anno improrogabile, che dovrà aver principio dal giorno in che il trattato otterrà la ratifica delle due alte parti contraenti; e finito che sia l'anno, avrà intera esecuzione il riferito articolo sesto; promettendosi per parte del sottoscritto negoziatore portoghese, che si procurerà dal reale patrono aumentare il numero di abili e idonei missionarii che, oltre degli esistenti, si impieghino nella conservazione e propagazione della fede cattolica in quelle regioni.

E perchè questo speciale accordo abbia la forza del trattato e sia considerato come parte integrante di quello, non solamente va sottoscritto dai due negoziatori, ma ancora sarà ratificato unitamente col medesimo trattato da ambedue le alte parti contraenti.

Lisbona, ventuno di febbraio del mille ottocento cinquantasette.

firmato Camillo Card. di Pietro P. N. A.

ANNEXO *a)*

No artigo sexto do tratado, firmado em data de hoje pelos abaixo assignados, declarou-se, que a jurisdicção do Bispo de Macau deve comprehender a provincia de Cantão (Kuang-tong) e as ilhas adjacentes, entre as quaes a principal, quanto a christandades, é a ilha de Háinau; em vista porem do que se concordou nas conferencias, e pelos motivos ponderados nellas por ambos os negociadores, julgou-se opportuno demorar por um praso de tempo determinado o exercicio exclusivo da jurisdicção ordinaria do Bispo de Macau nos territorios das ditas provincia e ilha. Este praso foi limitado a um anno improrogavel, que deverá ter principio do dia em que o tratado obtiver a ratificação das duas altas partes contractantes, e findo que seja o anno, terá inteira execução o referido artigo sexto; promettendo-se por parte do abaixo assignado negociador portuguez que se procurará pelo real padroeiro augmentar o numero de habeis e idoneos missionarios, que, alem dos existentes, se empreguem na conservação e na propagação de fé catholica naquellas regiões.

E a fim de que este special acórdo tenha a força do tratado, e seja considerado como parte integrante delle, não só vai assignado pelos dois negociadores, mas tambem será ratificado conjunctamente com o mesmo tratado por ambas as altas partes contractantes.

Lisboa, vinte e um de fevereiro de mil oitocentos cincoenta e sete.

firmado Rodrigo da Fonseca Magalhaes

ANNESSO *b)*

Essendosi detto all'articolo decimo terzo del trattato firmato nel giorno di oggi, sopra il patronato della corona portoghese nell'Oriente, che ai commissarii, incaricati di proporre le rispettive circoscrizioni delle diocesi dell'India menzionata nel medesimo trattato, si darà conoscenza dei territorii in che le alte parti contraenti convengono che continui l'esercizio del riferito patronato reale portoghese, i sottoscritti plenipotenziarii pontificio e portoghese dichiarano per completa intelligenza del medesimo articolo che le dette alte parti contraenti hanno convenuto, che il territorio del patronato della corona di Portogallo nell'India sia il territorio dell'*India Inglese,* intendendosi per queste parole le terre soggette immediatamente o mediatamente al governo Britannico; e che pertanto devono i commissarii nominati per la circoscrizione delle diocesi avere in vista per una parte che le località appartengono all'India inglese nel senso riferito, come ancora lo stabilimento di missionarii portoghesi e le fondazioni di religione e di pietà per sforzi e generosità del governo di Portogallo e de' suoi sudditi ecclesiastici o secolari, sebbene alcune di esse fondazioni non stiano attualmente nella amministrazione di sacerdoti portoghesi; per altra parte, la più comoda e pronta assistenza spirituale del Pastore al suo gregge, secondo la estensione e distanza delle missioni, il numero delle cristianità, e altre circostanze, che debbono attendersi per meglio conseguire il medesimo fine.

Dichiarano inoltre i sottoscritti, che le alte parti contraenti convengono che questo atto abbia la medesima forza del trattato, e come tale obblighi ambedue le dette alte parti contraenti, che i sottoscritti hanno l'onore di rappresentare.

Le medesime alte parti contraenti lo ratificheranno unitamente al trattato.

Lisbona, ventuno di febbraio del mille ottocento cinquantasette.

firmato Camillo Card. di Pietro P. N. A.

ANNEXO *b)*

Tendo-se dito no artigo decimo terceiro do tratado, firmado no dia de hoje sobre o padroado da corõa portugueza no Oriente, que aos commissarios, incumbidos de propor as respectivas circumscripções das dioceses da India, mencionadas no mesmo tratado, se dará conhecimento dos territorios, em que as altas partes contractantes convem que continúe o exercicio do referido padroado real portuguez, os abaixo assignados plenipotenciarios pontificio e portuguez declaram para completa intelligencia do mesmo artigo, que as ditas altas partes contractantes se tem acordado em que o territorio do padroado da corõa de Portugal na India seja o territorio da *India Ingleza,* entendendo-se por estas palavras as terras sujeitas immediata ou mediatamente ao governo Britannico; e que por tanto devem os commissarios nomeados para a circumscripção das dioceses ter em vista por um lado, que as localidades pertençam a India ingleze na accepção referida, e bem assim o estabelecimento de missões portuguezas e as fundações de religião e de piedade por efforços e generosidade do governo de Portugal e de seus subditos ecclesiasticos ou seculares, embora algumas dessas fundações não estejam actualmente na administração de sacerdotes portuguezes; por outro lado, a mais commoda e prompta assistencia espiritual do pastor ao seu rebanho, segundo a extensão e distancia das missões, o numero das christandades, e outras circumstancias, que devam attender-se para melhor se conseguir a mesmo fim.

Declaram mais os abaixo assignados, que as altas partes contractantes concordam em que este acto haja a mesma força do tratado, e como tal obrigue a ambas as ditas altas partes contractantes, que os abaixo assignados tem a honra de representar.

As mesmas altas partes contractantes o ratificarão conjunctamente com o tratado.

Lisboa, vinte e um de fevereiro de mil oitocentos cincoenta e sete.

firmado Rodrigo da Fonseca Magalhaes

XI.

Conventio inter Pium IX et Praesidem Reipublicae Haitonae (1) *1860.*

En el nombre de la Santísima é Individua Trinidad.

Deseando S. S. el Sumo Pontifice Pio IX. y su Exc. el Presidente de la República de Haiti organizar y regular de un modo conveniente el ejercicio de la religion católica, apostólica, romana en la República de Haiti, han elegido por sus plenipotenciarios: S. S. á S. Ema. el Cardenal Santiago Antonelli, su secretario de estado, etc.; y su Exc. el Presidente de la República de Haiti á los Señores Pedro Faubert, ayndante que fué de Campo y secretario del Presidente de Haiti, y J. P. Boyer, Representante que fué del Gobierno de Haiti cerca del Gobierno Frances: los cuales, canjeados sus plenos poderes, han hecho la convencion siguiente:

§ 1. La religion católica, apostólica, romana, que lo es de la gran mayoría de los Haitianos, será protegida juntamente con sus ministros de un modo particular en la República de Haiti, y gozará de los derechos y atribuciones que le son propios.

§ 2. Se erige en sede arzobispal la ciudad de Port-au-Prince, capital de la República. Se establecerán lo más presto posible diócesis sufragáneas de ésta Metropolitana, así como tambien otros arzobispados y obispados, si pareciere ser necesario, cuyas demarcaciones hará la Santa Sede de acuerdo con el Gobierno de Haiti.

§ 3. El Gobierno de la República de Haiti se obliga á dar y conservar á los arzobispados y obispados una asignacion anual conveniente, sobre los fondos del tesoro público.

§ 4. El Presidente de la República de Haiti gozará del privilegio de nombrar los Arzobispos y Obispos, á los cuales dará la Santa Sede la institucion canónica siempre que vea en ellos las cualidades prescritas por los sagrados cánones. Se da por sentado que los eclesiásticos nombrados para los arzobispados y obispados no podrán ejercer su jurisdiccion ántes de recibir la institucion canónica; y si la Santa Sede juzgare que debe diferir ó no conferir ésta institucion, lo hará saber al Presidente de la República de Haiti, el cual en el segundo caso nombrará otro eclesiástico.

§ 5. Los Arzobispos y Obispos, ántes de comenzar á ejercer su ministerio pastoral, harán directamente en manos del Presidente de la República de Haiti, el siguiente juramento: « Juro y prometo á Dios por los Santos Evangelios, como conviene á un Obispo, observar obediencia y fidelidad al Gobierno establecido por la constitucion de Haiti, y de no emprender directa ni indirectamente nada, que sea contrario á los derechos é intereses de la República ». Los Vicarios Generales, Párrocos, Vicarios de las parroquias, todos los demas miembros de la gerarquía eclesiástica y superiores de escuelas é instituciones religiosas, prestarán ántes de ejercer su oficio el mismo juramento que los Arzobispos y Obispos, en manos de la autoridad civil que designará el Presidente de la República de Haiti.

§ 6. Podrán los Arzobispos y Obispos, poniéndose ántes de acuerdo con el Presidente ó sus Delegados, instituir para el bien de su diócesis un Cabildo compuesto del número conveniente de canónigos conforme á las disposiciones canónicas.

§ 7. El régimen, administracion é instruccion de los grandes y pequeños seminarios, que se podrán crear segun lo pida la necesidad, serán regulados por los Arzobispos y Obispos en conformidad con las leyes canónicas, los cuales nombrarán ademas libremente los superiores, directores y profesores de estos establecimientos.

§ 8. Los Arzobispos y Obispos nombrarán sus Vicarios Generales. Si sobreviniere la muerte ó dimision del Arzobispo ú Obispo diocesano, administrará la diócesis el Vicario General por ellos designado á éste efecto, y si no lo hubieren designado, el más antiguo en el oficio de Vicario General; los demas, si los hubiere, ejercerán sus funciones bajo la dependencia de éste Vicario, y esto en virtud del poder extraordinario, que con éste objeto les otorga la Santa Sede. Esta disposicion estará vigente hasta que haya

(1) Ex Hernaez vol. 2, pag. 615, apud Nussi invenies italicam versionem pag. 346.

un Cabildo Catedral, el cual, cuando se instituya, nombrará un Vicario Capitular segun las prescripciones canónicas.

§ 9. Los Arzobispos y Obispos nombrarán los Párrocos y los Vicarios de las parroquias, y estos nombramientos se harán conforme á lo dispuesto por las leyes canónicas. Examinarán las cartillas de ordenes, las dimisorias, los *Exeat,* y las testimoniales de los eclesiásticos forasteros, que vayan á la República para ejercer allí su santo ministerio.

§ 10. Los Arzobispos y Obispos serán libres en ejercer en el gobierno de sus Iglesias todo lo que éstá dentro de las atribuciones de su ministerio pastoral, segun el tenor de las reglas canónicas.

§ 11. Si fuese necesario hacer algun cambio en la circunscripcion actual de las parroquias y erigir otras nuevas, lo proveerán los Arzobispos y Obispos, poniéndose á éste efecto ántes de acuerdo con el Presidente de la República de Haiti ó con sus delegados.

§ 12. Se podrán instituir para el bien y provecho espiritual del pais ordenes y establecimientos religiosos aprobados por la Iglesia. Todos estos establecimientos serán instituidos por los Arzobispos y Obispos, poniéndose ántes de acuerdo con el Presidente ó sus delegados.

§ 13. No se pondrá obstáculo alguno á la libre comunicacion de los Obispos, clero y fieles de Haiti con la Santa Sede en materia de religion, como tampoco á la de los Obispos con sus diocesanos.

§ 14. Los fondos de cada parroquia no se invertirán sino en la conservacion del culto y sus ministros, y en el mantenimiento y gastos de los seminarios y otros establecimientos de piedad. La administracion de estos fondos se confiará, bajo la alta inspeccion del Arzobispo ú Obispo diocesano, al párroco del consejo de los notables, los cuales elegirán un cajero entre los habitantes del lugar.

§ 15. Al fin del Oficio Divino se dirá rezada ó cantada la siguiente fórmula de preces en todos los templos católicos de Haiti: «Domine, salvam fac Rempublicam cum Praeside nostro N.... Et exaudi nos in die qua invocaverimus te».

§ 16. Se declara por parte del Presidente de la República de Haiti, y se da por supuesto por la de la Santa Sede que la ejecucion de todo lo estipulado en el presente concordato no podrá impedirse por disposicion alguna de las leyes de la República de Haiti, ni interpretacion contraria de dichas leyes ni costumbres vigentes en contrario.

§ 17. Todos los puntos concernientes á las materias eclesiásticas, de que no se hace mencion en el presente concordato, se regularán conforme á la disciplina vigente de la Iglesia aprobada por la Santa Sede.

§ 18. Este concordato se ratificará por ambas partes, y el canje de las ratificaciones se hará en Roma ó en Paris en el término de seis meses, ó ántes si fuese posible.

Roma, XXVIII de marzo de MDCCCLX.

XII.

Conventio inter Pium IX et Praesidem Reipublicae de Nicaragua (1) *1861.*

In nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua, Summus Pont., Pius IX, et Praeses Reipublicae de Nicaragua in suos respective plenipotentiarios nominarunt: Sanctitas Sua em̃um D. Iacobum Antonelli S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum ministrum a publicis negotiis; et Reipublicae Praeses excellentissimum Dominum Ferdinandum Lorenzana, marchionem de Belmonte, equitem Ordinis Hierosolymitani a S. Sepulchro, equitem Torquatum S. Gregorii Magni classis militaris, itemque equitem eiusdem Ordinis a Magna Cruce ordinis civilis, nec non equitem commendatorem Francisci Primi utriusque Siciliae Regis et equitem clarissimi Ordinis Pontificii D. N. I. C., et administrum cum liberis mandatis apud S. Sedem Apostolicam. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur, convenerunt.

§ 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana est religio Status in Republica de Nicaragua; atque inibi sarta tecta semper conservabitur cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ex Dei lege et ss. canonum sanctionibus pollere debet.

(1) Ex Hernaez vol. 2, pag. 617.

§ 2. Hinc iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, scholis et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis erit plane conformis doctrinae eiusdem catholicae religionis, et idcirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad theologicas et canonici iuris facultates et ad alias ecclesiasticas eiusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

§ 3. Episcopi praeterea iure suo fruuntur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et publicationes quacumque ratione in vulgus missas, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent, et Reipublicae magistratus ex proprii cuiusque muneris vi et auctoritate opem et operam praestabunt ad tutandas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

§ 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, tam Episcopi, quam clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

§ 5. Gubernium de Nicaragua obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro Episcopo, capitulo, seminario, et divini cultus ac sacrarum aedium expensis super fundis aerarii nationis de Nicaragua iuxta designationem in fine huius conventionis expressam. Et quoties novae dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cuiusque ecclesiae, capituli et seminarii. Cum autem huiusmodi dotes assignentur compensatione, imo loco, decimarum, quibus hoc modo supplendis Gubernium propria illius loci utilitatis causa et Episcopo consentiente a Sede Apostolica huiusmodi veniam petiit et obtinuit, idcirco dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo oneroso; ac propterea Gubernium tamquam verum Ecclesiae creditum erga nationem de Nicaragua dotes ipsas agnoscit, quae ita liberorum seu omnino independentium reddituum naturam rationemque adquirant.

§ 6. Parochi pergent exigere primitias et emolumenta, quae a stola nuncupantur, salvo Ordinarii iure haec eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio, collatis invicem super hac re cum propriis Ordinariis consiliis.

§ 7. Ob praedictae dotis assignationem, quae praesentes decimarum proventus superat, quaeque ex ipsius Gubernii sponsione copiosior futuro tempore evadet, Summus Pontifex Praesidi Reipublicae de Nicaragua eiusque in munere successoribus concedit patronatus ius, seu privilegium proponendi in qualibet vacatione ecclesiae Assumptionis Beatae Mariae Virginis et aliarum in eo territorio erigendarum ecclesiarum dignos idoneosque ecclesiasticos viros iis omnibus dotibus praeditos, quas ss. canones requirunt, et idem Summus Pontifex iuxta praescriptas ab Ecclesia regulas iisdem viris canonicam institutionem ex consuetis formis dabit. Designati vero nullo modo sese immiscere poterunt regimini et administrationi illius ecclesiae, ad quam fuerint nominati, antequam apostolicas canonicae institutionis litteras exceperint, prout sacri canones praescribunt. Reipublicae Praeses non ultra annum a vacationis die nominatum praesentabit.

§ 8. Eadem de causa Summus Pontifex Reipublicae Praesidi indultum concedit nominandi ad omnes Capituli praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive inferiora beneficia usque ad sex dumtaxat, exceptis prima dignitate, quae liberae Sanctae Sedis collationi reservata permanet, necnon theologali et poenitentiaria praebendis, quae ab Episcopis praevio experimento seu concursu rite habito iis conferentur, quos digniores iudicaverint. Reipublicae Praeses, illis semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt, queque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliquae autem cuiuscumque tandem classis et numeri futurae sint, quoniam in praesentia quinque tantum existunt, ab Episcopo conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in Capitulis possint institui, quae per publicum experimentum seu concursum, veluti duae

superius memoratae, obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo variari poterunt.

§ 9. Paroeciae omnes iuxta Concilii Tridentini praescripta conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto, Episcopi ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, ut ex iis propositis unum seligat iuxta morem, qui a guberniis Americae regionum ad Hispanias olim pertinentium observatur.

§ 10. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit. Verumtamen ubi id contigerit, cum Gubernio de Nicáragua consilia conferet. In unaquaque earumdem dioecesium instituetur canonicorum capitulum et episcopale seminarium accommodatum ad cleri dioecesani numerum et ipsorum dioecesium indigentias. Pro dote cuiusque sedis, capituli et seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae statuta est pro ecclesia Assumptionis B. M. V. in Republica de Nicaragua, quae quamprimum canonicorum capitulum habebit efformatum iuxta schema inferius referendum. In seminario excipientur et instituentur iuxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propria dioecesis necessitate vel utilitate admittendos esse censuerint. Ea omnia, quae ad eorumdem seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent, a dioecesano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et ius in ea exercebit. Rectores quoque et professores seminariorum ab Episcopis libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipsis iudicabitur, removebuntur.

§ 11. Item in singulis dioecesibus a propriis Ordinariis novae erigentur paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quatenus civilium rerum rationes sint conciliandae.

§ 12. Sede vacante, episcopalis ecclesiae Capitulum infra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re sacrorum canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

§ 13. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ecclesiasticae, ad iudicium ecclesiasticae auctoritatis unice pertinent, iuxta sacrorum canonum normam.

§ 14. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum ad laicos iudices referantur, sive personales, sive reales, quae scilicet possessiones atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum aliarumque ecclesiasticarum fundationum iura respiciant.

§ 15. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit quominus causae criminales Ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus Reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad religionem non pertinent, ad laicorum tribunalia deferantur. Cum vero agitur de iudiciis secundae et ultimae instantiae, in illud tribunal inter iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis seu poenam afflictivam aut infamiam inferentes, numquam erunt exequendae absque competentis auctoritatis approbatione, et antequam proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus, citius quam fieri poterit, ea absolverit, quae sacri canones praescribunt. In deprehendendis et detinendis Ecclesiasticis, ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit, et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora Episcopus de hac re erit monendus: in huius articuli dispositione plene excluduntur causae maiores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt, iuxta Sacri Concilii Tridentini praescripta, *Sess. 24. De Reform. Cap. 5.*

§ 16. Cum Ordinarii libere omnino sint in proprio ministerio exercendo, poterunt iuxta vigentem et approbatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos viros, qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

§ 17. Ecclesia iure pollet novas acquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res erunt sacrae et inviolabiles, aeque ac proprietates aliorum

de Nicaragua civium, ideoque nulla piarum institutionum suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum, iuxta Concilii Tridentini normam.

§ 18. Ob rerum et temporum adiuncta, Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus, aeque ac aliorum Reipublicae de Nicaragua civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

§ 19. Attenta utilitate, quae ex praesenti conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Reipublicae de Nicaragua Praesidis postulationibus annuens, et publicae tranquillitati consulere cupiens, decernit et declarat, eos, qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in eiusdem Reipublicae dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tum temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint vel ex iure succedunt, nullo umquam tempore aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontificibus; imo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus et emolumenta tuta et pacifica .fore penes ipsos, atque ab iis causam habentes: id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huiusmodi abusivae alienationes numquam renoventur.

§ 20. Episcopis liberum erit in propria dioecesi Ordines seu congregationes religiosas utriusque sexus, iuxta ss. canones constituere, collatis tamen ea super re cum Gubernio consiliis. Quae autem ad Regulares pertinent, iuxta canonicarum legum et cuiusque Ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

§ 21. Gubernium Reipublicae de Nicaragua opportuna praebebit subsidia ad fidei propagationem et ad infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam, et omnem praestabit favorem institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis *Propagandae Fidei* mittuntur.

§ 22. Praevia declaratione a Gubernio per suum plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligare in conscientia eos, qui iuramentum illud praestent, ad quidpiam peragendum, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur, Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Episcopis ceterisque ecclesiasticis viris praestari posse: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei evangelia obedientiam et fidelitatem Gubernio per constitutionem Reipublicae de Nicaragua statuto, itemque promitto me nulli propositioni sive persona sive consilio adfuturum, quae nationis independentiae vel tranquillitati publicae noceat ».

§ 23. Post divina officia in omnibus Reipublicae de Nicaragua templis sic orabitur: « Domine, salvam fac Rempublicam: Domine, salvum fac Praesidem et supremas eius Auctoritates ».

§ 24. Sanctitas Sua Reipublicae de Nicaragua exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum Castrensium nomine cognoscuntur; atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias, sive exemptiones, quas erit largitura, determinabit per apostolicas litteras, quae expediuntur cum praesens conventio publicabitur.

§ 25. Reliqua omnia ad res seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, Romanae disciplinam.

§ 26. Per praesentem conventionem leges, ordinationes, decreta in Republica de Nicaragua quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur, atque eadem conventio veluti lex Status in futurum omne tempus valitura habebitur.

§ 27. Ratificationes praesentis conventionis mutuae tradentur Romae, decem et octo mensium spatio, aut citius, si fieri poterit.

§ 28. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per apostolicas litteras praesentem conventionem confirmabit.

In quorum fidem praefati plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae, die II NOV. MDCCCLXI.

Loco ✠ Sigilli.

IACOBUS Card. ANTONELLI

Ferdinandus Lorenzana.

XIII.

Conventio inter Pium IX
et Praesidem Reipublicae Hondurensis (1)
1861.

(Haec conventio plane consonat cum conventione pro Republica Guatimalensi, 1852, excepto articulo quinto, cuius tenor est):

§ 5. Hondurense Gubernium obligatione se obstringit, ut decimae sartae tectae habeantur illaeque sua etiam interposita auctoritate solvantur; declarans decimas ipsas semper absque ulla exceptione esse solvendas, etiam tempore, quo episcopalis sedes vel quodlibet beneficium vacaverit. Namque ipsae omnino destinatae sunt tum ad dotem episcopatus, capituli et seminarii constituendam, tum ad impensas sustinendas pro divino cultu, pro aedificio cathedralis templi aliarumque ecclesiasticarum aedium, secundum peculiarem propositum modum, qui in huius conventionis fine exhibetur. Quidquid vero ex decimarum redditibus reliquum fuerit, in promovenda publicae institutionis et beneficentiae instituta erit erogandum. Si autem decimae haud sufficiant omnibus commemoratis sustinendis expensis, Hondurense Gubernium spondet ac promittit se quotannis eam pecuniae vim esse daturum, quae divini cultus et cleri dotem plane perficiat. Earumdem decimarum collectio et adsignatio ecclesiasticorum commissioni perpetuo erit concredita, cui Ordinarius, vel Vicarius capitularis tempore sedis vacantis, praeerit. Si ob temporum adiuncta, quae praevideri non possunt, decimae aboleri deberent, vel aliqua de ipsis immutatio esset inducenda, id fieri numquam poterit, prout iuris est, quin Apostolica Sedes suam primum interposuerit auctoritatem, et quin Gubernium idem alios attribuat fundos, quibus decens et liber seu independens redditus constituatur ad veram Ecclesiae proprietatem asserendam, iis omnibus pollentem iuribus, quibus eiusdem Hondurensis Reipublicae quilibet proprietarius fruitur.

XIV.

Conventio inter Pium IX
et Praesidem Reipublicae S. Salvatoris
1862.

Vide huius Pontificis constit. *Vicariam Christi Iesu,* in qua est inserta conventio (*Iuris Pont.* vol. VI., p. 398).

XV.

Conventio inter Pium IX
et Reipublicae Venetiolanae Praesidem (2)
1862.

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua, Summus Pontif., Pius IX, et Praeses Reipublicae Venetiolanae in suos respective plenipotentiarios nominarunt: Sanctitas Sua eminentissimum dominum Iacobum Antonelli, S. R. E. Cardinalem diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum ministrum a publicis negotiis: et Reipublicae Praeses excellentissimum dominum Sylvestrum Guevara Archiepiscopum metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi de Caracas. Qui, post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur, convenerunt.

§ 1. Religio Catholica Apostolica Romana esse pergit religio Reipublicae de Venezuela, et Gubernium agnoscit suum plane officium esse illam studiosissime tuendi atque servandi cum omnibus iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus

§ 2. Hinc iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, scholis tam publicis quam privatis, et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis, erit plane conformis doctrinae eiusdem religionis catholicae; et idcirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad theologicas et canonici iuris facultates, et ad alias ecclesiasticas cuiusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam

(1) Ex Hernaez, vol. 2, pag. 621. — (2) Ibid. vol. 2, pag. 625.

iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis alia tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

§ 3. Seminaria in dioecesibus Reipublicae de Venezuela existentia erunt conservanda; atque dioecesani Antistites, ad normam S. Concilii Tridentini, liberi omnino erunt in seminariorum erectione, ordinatione, doctrina atque administratione. Rectores quoque et professores seminariorum ab Episcopo nominabuntur atque removebuntur, quotiescumque necessarium ab ipso iudicabitur.

§ 4. Episcopi iure suo fruentur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et scripta, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam, et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent; et supremum Gubernium de Venezuela omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tuendas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

§ 5. Cum Romanus Pontifex iure divino caput et centrum sit Ecclesiae universalis, tum Episcopi tum clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

§ 6. Gubernium de Venezuela per suum plenipotentiarum *(ministro)* petiit et ab Apostolica Sede, ob extraordinaria temporum et locorum adiuncta, obtinuit ut in decimarum locum substitueretur ecclesiastica dos. Quocirca Gubernium idem se obligat ad solvendam ex publico aerario, uti debitum status, eamdem dotem ecclesiasticam, iuxta notam huic conventioni adiectam, pro congrua sustentatione Archiepiscopi et cuiusque Episcopi, capituli ecclesiastici, parochi, seminarii et aedificii templorum, et pro consuetis et necessariis divini cultus expensis; atque id pro legitima compensatione redditus decimarum sublati: parochi pergent frui iure percipiendi primitias et emolumenta, quae vulgo appellantur a stola ex cuiusque dioecesis more, ac iuxta taxam ex praescriptis synodorum in praesentia vigentem, vel quae in posterum a competenti ecclesiastica auctoritate statui contigerit.

§ 7. Obligationum causa, quibus Gubernium se obstringit, Summus Pontifex concedit Praesidi Reipublicae de Venezuela ius patronatus et privilegium proponendi Episcopos, iuxta rationem, quae in praesenti conventione constituitur.

§ 8. Consequenter Reipublicae Praeses Sanctitati Suae proponet ad sedem archiepiscopalem, et ad quascumque sedes episcopales vacantes, dignos et idoneos ecclesiasticos viros iis omnibus praeditos dotibus, quas sacri canones requirunt. Talibus autem viris Sanctitas Sua, iuxta regulas ab Ecclesia praescriptas et formas consuetas, canonicam dabit institutionem. Antequam vero iidem viri canonicae huius institutionis litteras apostolicas obtinuerint, nullo modo se immiscere poterunt regimini seu administrationi ecclesiarum, ad quas designati fuerint, prout a sacris canonibus sancitum est. Reipublicae autem Praeses quamprimum idoneos hosce viros proponet.

§ 9. Vim habent dispositiones, quae hactenus viguerunt in Republica de Venezuela quoad caduca seu spolia Archiepiscoporum et Episcoporum; et idcirco eadem ad proprias cathedrales ecclesias pertinebunt.

§ 10. Praeses Reipublicae ad omnes cathedralium ecclesiarum dignitates et canonicatus, exceptis iis, qui de officio appellantur, nominabit. Ad reliquas praebendas idem Praeses ecclesiasticos viros dioecesanis Antistitibus praesentabit, qui canonicam ipsis, dummodo digni reperti fuerint, dabunt institutionem. Prima autem dignitas in metropolitano templo de Venezuela sive Sancti Iacobi, in reliquis vero Reipublicae cathedralibus, sive actu existentibus, sive in posterum erigendis, canonicatus, vulgo *de Merced,* qui prima Sanctitatis Suae collatione praefigetur, liberae Romani Pontificis dispositioni perpetuo reservantur.

§ 11. Canonicatuum de officio provisio praevio concursu fiet, iuxta sacros canones, et Episcopus tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabit, ut unum ex iisdem seligat.

§ 12. Ubi primum status reddituum publici aerarii permiserit, extinctae metropolitani templi dignitates restituentur.

§ 13. Cum iam in dioecesi de Guayana capitulum cathedrale erectum sit, Sancta Sede approbante, seminarium, ad normam Concilii Tridentini, eiusdem dioecesis quamprimum erigetur.

§ 14. Sede vacante, metropolitanae vel suffraganeae ecclesiae capitulum infra tem-

pus praefinitum, et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium capitularem libere eliget, qui tempore vacationis dioecesim ipsam gubernare debeat; quin electionem semel factam revocare, et ad novam procedere possit.

§ 15. Paroeciae omnes, iuxta Concilii Tridentini praescriptum, conferentur per publicum experimentum seu concursum. Quo absoluto, Ordinarii tres ex approbatis Reipublicae Praesidi exhibebunt, qui sive per se, sive per suos in provinciis delegatos, unum seliget, cui paroecia erit conferenda.

§ 16. Coadiutores ecclesiarum parochialium unice dumtaxat ab Ordinariis eligentur, praevio examine synodali.

§ 17. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit, collatis antea cum Reipublicae de Venezuela Gubernio consiliis. In unaquaque earumdem dioecesium instituentur canonicorum capitulum et episcopale seminarium. Pro dote cuiusque sedis, capituli et seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae pro aliis iam existentibus statuta est.

§ 18. Item in singulis dioecesibus a propriis Ordinariis, ad normam sacrorum canonum, novae erigentur paroeciae cum id necessarium fuerit, collatis cum Gubernio consiliis.

§ 19. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones, aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae matrimoniales omnesque aliae ecclesiasticae naturae, ad ecclesiasticae auctoritatis iudicium unice pertinent, iuxta sacrorum canonum normam.

§ 20. Ecclesiasticum forum in Republica pro causis civilibus clericorum servabitur. Quod ad causas criminales spectat, idem forum ecclesiasticum servabitur, indulgente Apostolica Sede, ut forum ipsum inter eos limites existat, quibus hodie ex civilium legum praescripto restringitur.

§ 21. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo, poterunt iuxta vigentem et approbatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos viros, qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

§ 22. Ecclesia iure pollet novas adquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res aut fundationes sacrae et inviolabiles erunt aeque ac proprietates civium Reipublicae de Venezuela; ideoque nulla fundationum suppressio vel unio fieri poterit absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis; salvis facultatibus Episcoporum iuxta Concilii Tridentini nomam.

§ 23. Ob rerum ac temporum adiuncta, Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus, aeque ac bona aliorum civium Reipublicae de Venezuela, exceptis semper ecclesiis, seminariis, ceterisque institutis divino cultui dicatis.

§ 24. Attenta utilitate, quae ex praesenti conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Reipublicae de Venezuela Praesidis postulationibus annuens, et publicae tranquillitati consulere cupiens, declarat eos, qui occasione legis civilis diei XI aprilis, anni MDCCCXXXIII, decimas persolvere intermiserint, necnon eos, qui ab anno MDCCCX usque ad praesens emerint in eiusdem Reipublicae dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum praedicto temporis spatio vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint vel ex iure succedunt, nullo umquam tempore aut modo molestiam ullam habituros neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontificibus. Id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut eiusmodi abusivae alienationes numquam renoventur.

§ 25. Monasteria monialium in Reipublicae territorio nunc existentia conservabuntur; et Ordinarii Praesules omnimoda fruentur libertate alia erigendi monasteria. Quod vero attinet ad religiosorum domus, iidem Ordinarii eas pariter iuxta canonicas sactiones constituere poterunt, collatis cum Gubernio consiliis.

§ 26. Gubernium Reipublicae de Venezuela curare perget omnibus, quibus uti poterit modis, conversionem ad fidem catholicam et instructionem christianam infidelium, qui in territorio Reipublicae adhuc commorantur; atque omnem opem auxiliumque praestabit institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis *Propagandae Fidei* mittuntur.

§ 27. Praevia declaratione a Gubernio per suum plenipotentiarium emissa, quod

scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligari in coscientia eos, qui iuramentum illud praestent, ad quidpiam peragendum quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur; Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Ecclesiasticis viris praestari posse: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei evangelia obedientiam et fidelitatem Gubernio per constitutionem Reipublicae de Venezuela statuto; itemque promitto me nulli propositioni, sive persona sive consilio, adfuturum, quae nationis independentiae vel tranquillitati publicae noceat ».

§ 28. Permittitur ut in antiquata collecta « et famulos tuos » commemorentur (1) post Sanctitatis Suae et Episcopi dioecesani nomen, illud Praesidis Reipublicae, dicendo: « et Rempublicam nostram cumPraeside suo N. ».

§ 29. Reliqua omnia ad res seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem et a Sede Apostolica approbatam Ecclesiae disciplinam.

§ 30. Per praesentem conventionem leges, administrationes, decreta in Republica de Venezuela quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur; atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Si quae in posterum super iis quae conventa sunt, supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Reipublicae Praeses invicem conferent ad rem amice componendam.

§ 31. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur Romae unius anni spatio, aut citius, si fieri poterit.

In quorum fidem, praedicti plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Datum Romae, die XXVI iulii MDCCCLXII.

I. Card. Antonelli

Silvester Suerara
Arch. de Caracas y Venezuela.

XVI.

Conventio inter Pium IX et Praesidem Reipublicae Aequatoris (2) *1862.*

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX et Praeses Reipublicae Aequatoris in suos respective plenipotentiarios nominarunt:

Sanctitas Sua eminentissimum D. Iacobum Antonelli S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum Ministrum a publicis negotiis;

Et Reipublicae Praeses excellentissimum Ignatium Ordonnez cathedralis ecclesiae Chonchensis in eadem Republica archidiaconum etc. etc.

Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur, convenerunt:

§ 1. Religio Catholica Apostolica Romana esse perget religio Reipublicae Aequatoris atque inibi sarta tecta perpetuo conservabitur cum omnibus iis iuribus et praerogativis quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus. Quocirca in Aequatoris Reipublica nunquam permitti poterit alius cultus vel societas quae fuerit damnata ab Ecclesia.

§ 2. In omnibus dioecesibus, quae in praesentia existunt, vel in posterum erigentur, existere debebit seminarium dioecesanum, cuius procuratio, regimen et administratio libere atque unice pertinebit ad dioecesanos Ordinarios iuxta Concilii Tridentini praescripta et alias canonicas leges. Rectores, professores et alii aliquo munere fungentes tum in tradendis doctrinis tum in iisdem dirigendis seminariis ab ipsis Ordinariis libere erunt nominandi vel amovendi.

§ 3. Iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, facultatibus, scholis tam publicis quam privatis erit sane conformis dectrinae religionis catholicae. Episcopi unice iure pollebunt designandi libros seu textus qui adhibendi sunt ad ecclesiasticas scientias tradendas, atque ad institutionem quae religionem moresque spectant. Insuper Episcopi aliique Ordinarii Antistites plena libertate exercebunt ius eorum proprium proscribendi libros religioni bonisque moribus adversos; item-

(1) Forsan legendum est: *post verba* famulos tuos *commemoretur* etc.
(2) Vide infra novam conventionem initam ab eadem Republica cum S. P. Leone XIII.

que Gubernium advigilabit et opportuna suscipiet consilia ne huiusmodi libri in Rempublicam introducantur et diffundantur.

§ 4. Episcopi ex pastoralis ministerii officio curabunt, ne ulla tradatur doctrina quae catholicae religioni morumque honestati sit contraria; quocirca nemini unquam licebit in aliquo vel publico vel privato instituto docere theologiam, catechesim, aut religiosam doctrinam, quin primum opportunam auctoritatem obtinuerint a dioecesano Antistite, qui eamdem facultatem poterit revocare, cum id opportunum esse censuerit. Pro examinandis professoribus primarum scholarum, dioecesanus Antistes semper nominabit deputatum ad recognoscendam religiosam doctrinam et morum dotes illius qui examini erit subiiciendus, quique iccirco sui officii munus suscipere numquam poterit, quin primum ab ipso dioecesano Antistite fuerit approbatus.

§ 5. Cum Romanus Pontifex iure divino primatum honoris et iurisdictionis in universam qua late patet Ecclesiam obtineat, tum Episcopi, tum clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt. Itaque nulla civilis auctoritas poterit umquam ullo modo hoc liberum plenumque commemoratae communicationis exercitium impedire cogendo Episcopos, clerum et populum uti Gubernii opera, ut in eorum necessitatibus Sanctam Sedem adeant, aut subiiciendi apostolicas eiusdem Sedis litteras et rescripta Gubernii veniae, vulgo *Exequatur*.

§ 6. Ecclesiastici Reipublicae Ordinarii poterunt plena libertate suas dioeceses gubernare, convocare, celebrare synodos tum provinciales tum dioecesanas, et exercere iura quae ad ipsos pertinent ex proprii sacri ministeri vi, atque ex vigentibus canonicis sanctionibus a Sancta Sede probatis, quin aliquod umquam opponatur impedimentum, quominus susceptae ab ipsis ordinationes executioni mandentur. Quin immo Aequatoris Gubernium valido suo patrocinio omnem opem feret Episcopis, cum ea ab ipsis requiretur; ac praesertim cum iidem hominum impietati obsistere debeant, qui fidelium animos pervertere, eorumque mores corrumpere conentur.

§ 7. Abolentur appellationes a sententiis Ordinariorum ad laicam potestatem (vulgo *recursos de fuerza*), et, quoad executiones et sententias ab Ordinariis et ecclesiasticis iudicibus latas, poterit tantum appellari ad superiora ecclesiastica tribunalia vel ad Sanctam Sedem iuxta disciplinam statutam in apostolicis litteris Summi Pontificis Gregorii XIII, quae incipiunt « Exposcit », et ad normam canonicarum praescriptionum, et earum praesertim, quae pro causis matrimonialibus a Benedicto XIV editae fuerunt in Constitutione « Dei miseratione », aut poterunt ad ipsos superiores deferri tum nullitatis tum querelae causa. Ecclesiastici iudices proferent sua iudicia, quin illa umquam assessorum laicorum sententiae antea subiiciant; quos tamen consulere poterunt, ubi opportunum esse duxerint. Ecclesiastici patroni poterunt Assessoris officium in hac iudiciorum classe exercere.

§ 8. Omnes ecclesiasticae causae, et praesertim matrimoniales, atque illae quae respiciunt fidem, sacramenta, mores, sacras functiones, officia et sacra iura, tum personae tum materiae ratione, exceptis maioribus causis Summo Pontifici reservatis ex Sacri Concilii Tridentini praescriptis sess. 24 cap. 5. de Reformatione, ad tribunalia ecclesiastica erunt unice deferendae. Idem erit servandum in civilibus causis ecclesiasticorum, atque in aliis causis, quae delicta respiciunt comprehensa in poenali Reipublicae codice. In omnibus iudiciis, quae ad ecclesiasticos pertinent iudices, civilis magistratus omnem opem auxiliumque feret ut sententiae ac poenae ab ipsis iudicibus latae observentur et executioni mandentur.

§ 9. Sancta Sedes permittit ut personae et ecclesiastica bona subiiciantur publicis vectigalibus veluti subiiciuntur personae et bona aliorum civium Aequatoris, ita tamen ut civilis auctoritas cum ecclesiastica consilia conferat ad obtinendam veniam, quoties necessaria sit coactio. Ab huiusmodi vectigalibus eximuntur seminaria, bona et res divino cultui immediate destinatae et beneficentiae instituta.

§ 10. Ut honoretur domus Dei, qui est Rex regum et Dominus dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur in quantum id publica securitas et ea, quae iustitia exigit, fieri sinant, atque in hoc casu Sancta Sedes consentit ut auctoritas ecclesiastica, parochi, nec non praelati domorum regularium, ad Gubernii petitionem tribuant veniam ut extrahantur, qui ad sanctas aedes confugerint.

§ 11. Cum decimarum proventus destinatus sit ad divinum cultum fovendum, sacrosque ministros alendos, Aequatoris Gubernium fidem suam obstringit ad servandam in Republica hanc catholicam institutionem, et Sanctitas Sua permittit, ut Gubernium pergat percipere tertiam decimarum partem. Quod autem pertinet ad exigendos administrandosque decimarum redditus, congrua erit conficienda ordinatio, collatis inter ecclesiasticam et laicam potestatem consiliis.

§ 12. Ex vi patronatus iuris, quod Summus Pontifex Reipublicae Aequatoris Praesidi concedit, hic poterit pro archiepiscopatibus et episcopatibus dignos proponere sacerdotes iuxta sacrorum canonum normam. Quamobrem, vix dum episcopalis aliqua sedes vacaverit, Archiepiscopus aliorum Episcoporum suffragia ac sententiam rogabit, ut ecclesiae vacanti consulatur: si autem archiepiscopalis sedes vacaverit, tunc antiquior Episcopus in eumdem finem suffragia et sententiam Episcoporum requiret; ac, habitis suffragiis, vel Archiepiscopus vel antiquior Episcopus tres saltem candidatos Reipublicae Praesidi exhibebit, qui unum ex tribus eliget, eumque Summo Pontifici proponet, ut eidem ad sacrorum canonum normam institutionem conferat. Si autem intra sex menses quacumque de causa Episcopi, uti supra statutum est, minime exhibuerint Praesidi indicem candidatorum, tum ipse Praeses per se vacantis ecclesiae Episcopum Romano Pontifici proponet. Quod si intra sex menses id Praeses minime praestiterit, tunc Episcopi electio huic Sanctae Sedi reservabitur, quemadmodum Praeses ipse postulavit. Quocirca Gubernium, aut ecclesiastica auctoritas eius loco, rationem Summo Pontifici reddet ubi commemorati temporis spatium finem habuerit. Verum propositi nullo umquam modo poterunt sese immiscere regimini et administrationi ecclesiarum, quin primum apostolicas litteras de canonica institutione obtinuerint. Cum autem novi episcopatus erunt erigendi, Praeses Reipublicae prima vice tantum Sanctae Sedi per se proponet novos Episcopos.

§ 13. Sanctitas Sua Reipublicae Aequatoris Praesidi indultum concedit nominandi dignos ecclesiasticos ad capituli cathedralis praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive portiones, excepta tamen prima dignitate, quae Sanctae Sedis liberae collationi reservata erit, et exceptis etiam illis praebendis, quae examinis seu concursus legi minime obnoxiae martio, iunio, septembri et decembri mensibus vacaverint, quaeque libere ab Episcopis conferentur. Praebenda doctoralis, poenitentiaria et magistralis et aliae examinis seu concursus legi subiectae pari modo ab Episcopis tantum conferentur, postquam examen et doctrinae periculum factum fuerit iuxta canonicas sanctiones. Denique si in aliquo capitulo minime extiterit capitularium numerus praescriptus in apostolicis de cuiusque dioecesis erectione litteris, Episcopus poterit statim, aut quando praesto erunt sufficientes redditus, erigere praebendas quae desint, quaeque conferentur ad eorum normam quae in praesenti articulo sunt constituta.

§ 14. Quod attinet ad collationem paroeciarum, Ordinarii, praescriptionibus Sacrosancti Concilii Tridentini adimpletis, exhibebunt Gubernio tres dignos ecclesiasticos, quibus paroecia erit conferenda; et Praeses sive per se, sive per suos in provinciis delegatos, eliget unum ex tribus ecclesiasticis ab Ordinario propositis. Quod si ob peculiares causas Gubernium postulaverit ut alii tres ecclesiastici sibi proponantur, Ordinarius id agere poterit, ea tamen conditione, ut nullo umquam modo reiici queat ternarius hic numerus secundo propositus. Si necessario paroeciarum territoria erunt dividenda, id ab Episcopis fieri poterit, collatis cum civili locorum Auctoritate consiliis.

§ 15. Sede vacante alicuius ecclesiae cathedralis, capitulum eiusdem infra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a Sancto Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare vel ad novam procedere possit, qualibet licet veteri consuetudine de medio sublata, ac penitus abolita, quae in hac re sacrorum canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

§ 16. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, et novas in iis quae iam existunt peraget circumscriptiones, et prae oculis habens dioecesium amplitudinem, in quas ad praesens divisa est Aequatoris Respublica, eadem Sancta Sedes vix dum praesens conventio rata habita fuerit, necessarias speciali delegato tribuet facultates, ut, collatis cum Episcopo et Gubernio consiliis, dioecesium territo-

rii fines determinet, utque constituat dotem aliosque ecclesiarum, Episcoporum, capitulorum, ac seminariorum redditus.

§ 17. Abrogatur decretum, ut dicitur, *executionis* in Aequatoris Republica latum die vigesima octava maii anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto de redimendis censibus, qui favore Ecclesiae impositi fuerant, et Sancta Sedes, ratione habita utilitatis quae ex praesenti conventione dimanatura erit, ac summopere cupiens publicae tranquillitati prospicere, et mederi malis, quae in Republica orta sunt ex censibus in publicum aerarium translatis, annuens iteratis illius Praesidis petitionibus decernit atque declarat nullo unquam tempore ac modo ullam molestiam ex parte Suae Sanctitatis et Romanorum Pontificum suorum successorum eos esse habituros, qui durante tempore elapso ab anno MDCCCXXXVI in posterum huiusmodi translationes fecerint vel promoverint, itemque possessores fundorum qui tali modo redempti fuerint, et illos qui quolibet modo eorumdem fundorum possessioni successerint.

§ 18. Circa obligationes Gubernii cum suis creditoribus ob census translatos, Sancta Sedes indulget, ut Gubernium idem solvens decimam partem tum sortium, quae in publicum aerarium translatae fuerunt, tum fructuum, qui elapsi sunt, ab omni onere solutum plane sit. Ut autem commemorata summa tuto salvetur, Gubernium assignat quartam ex tertia fructuum partem quos ex fundis decimarum percipit, quosque in Ordinariorum manus tradet. Ut autem commemorata summa pro rata portione dividatur inter legitimos creditores, utque modo tuto pariter ac fructifero sors collocetur ab Ordinariis, praefinientur regulae, collatis consiliis cum Apostolicae Sedis Delegato, qui ab eadem Sede ad hunc finem necessariis et opportunis facultatibus munietur. In posterum nullus possessor bonorum, quae censibus obnoxia sunt, poterit in publicum aerarium transferre sortes recognitas; et qui voluerint redimere census fundis impositos, id agere numquam poterunt, nisi antea interposita fuerit ecclesiastica auctoritas, traditis sortibus recognitis in manus Ordinarii, qui facultate pollebit reducendi, si opus fuerit, sortes ipsas prudenter et aeque, ita tamen ut in singulis casibus Ecclesiae utilitati consultum sit.

§ 19. Ecclesia iure suo pollebit novas iusto quovis titulo acquirendi possessiones, eiusque proprietates, quas nunc possidet, vel in posterum acquiret, inviolabiles ex legum quoque ordinatione solemniter erunt. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat, qui unice dati et accepti rationes aliasque oeconomicas regulas accurate recognoscent, ac perpendent. Bona ecclesiasticae fundationis cuiusque generis, quae ad valetudinaria et alia beneficentiae instituta spectant, quaeque ab ecclesiastica auctoritate in praesentia minime administrantur, ad eam deferentur, ut ipsa ecclesiastica potestas, nulla interposita mora, bonis ipsis congruam tribuat inscriptionem.

Quoad antiquas novasque fundationes ecclesiasticas, nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque auctoritate Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sancto Concilio Tridentino Episcopis tributis.

§ 20. Praeter Ordines et Congregationes religiosas, quae in Aequatoris Reipublicae territorio nunc existunt, Ordinarii dioecesani poterunt libere et absque ulla exceptione admittere atque instituere in propriis dioecesibus novos Ordines aut Institutiones ab Ecclesia adprobatas, prout suorum populorum utilitas exegerit, suam ad hunc finem Gubernio operam auxiliumque praestante.

§ 21. Post divina officia in omnibus Reipublicae Aequatoris templis sequens recitabitur oratio: « Domine, salvam fac Rempublicam — Domine, salvum fac Praesidem eius ».

§ 22. Gubernium Reipublicae Aequatoris obligatione se obstringit ad omnia opportuna tribuenda auxilia pro fidei propagatione, et pro infidelium in suo territorio degentium conversione, et ad omnem praestandam opem auxiliumque institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis Propagandae Fidei mittuntur.

§ 23. Cetera quae ad personas et res ecclesiasticas pertinent, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur iuxta canonicam et vigentem Ecclesiae disciplinam a Sancta Sede adprobatam.

§ 24. Per hanc conventionem leges et decreta quovis modo et forma in Republica Aequatoris hactenus lata, in quan-

tum eidem conventio adversantur, abrogata habentur, ipsaque conventio ut lex Status deinceps eadem in Republica perpetuo vigebit. Atque iccirco utraque contrahentium pars spondet se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Praeses Aequatoris invicem conferent ad rem amice componendam.

§ 25. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur unius anni spatio, aut citius, si fieri poterit.

In quorum fidem, praedicti plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Datum Romae die XXVI septembris anno MDCCCLXII.

IACOBUS Card. ANTONELLI

IGNATIO ORDONNEZ.

XVII.

Conventio inter Leonem XIII et Praesidem Reipublicae Aequatoris (1) *1881.*

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Leo XIII et Praeses Reipublicae Aequatoris in suos respective Plenipotentiarios nominarunt:

Sanctitas Sua, illustrissimum et reverendissimum dominum Marium Mocenni Archiepiscopum Heliopolitanum, Delegatum Apostolicum et in Aequatorianam Rempublicam extra ordinem missum;

Et excellentissimus Reipublicae Praeses, illustrissimum ducem D. Cornelium E. Vernaza, ministrum ab exteris negotiis. Qui post mutuo tradita respective plenipotentiae instrumenta cohaerenter ad ea, quae in articulo XXIV conventionis die XXVI septembris anni MDCCCLXII initae constituta sunt, de nova praedictae conventionis conficienda redactione iuxta ea, quae sequuntur, convenerunt.

Art. I. Religio Catholica Apostolica Romana esse perget unica religio Reipublicae Aequatoris atque inibi sarta tecta perpetuo conservabitur cum omnibus iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus. Quocirca in Aequatoris Republica nunquam permitti poterit alius cultus vel societas, quae fuerit damnata ab Ecclesia.

Art. II. In omnibus dioecesibus quae in praesentia existunt vel in posterum erigentur, existere debebit seminarium dioecesanum, cuius procuratio, regimen et administratio libere atque unice pertinebit ad dioecesanos Ordinarios iuxta Concilii Tridentini praescripta et alias canonicas leges. Rectores, professores et alii alioque munere fungentes tum in tradendis doctrinis tum in iisdem dirigendis seminariis ab ipsis Ordinariis libere erunt nominandi vel amovendi.

Art. III. Iuventutis institutio in universitatibus, collegiis, facultatibus, scholis tam publicis quam privatis, erit plane conformis doctrinae religionis catholicae. Propterea Episcopi unice iure pollebunt designandi libros seu textus, qui adhibendi sunt ad ecclesiasticas scientias tradendas atque ad institutionem, quae religionem moresque spectant. Insuper Episcopis liberum manebit ius corrigendi ac proscribendi per literas pastorales et decreta prohibitiva libros aut quaelibet typis exarata scripta cuiuscumque generis, quae dogmati, ecclesiasticae disciplinae, bonisque moribus sint adversa; itemque Gubernium advigilabit et opportuna adhibebit media, ne huiusmodi scripta typis edita in Republica diffundantur.

Art. IV. Episcopi ex pastoralis ministerii officio curabunt ne ulla tradatur doctrina, quae catholicae religioni morumque honestati sit contraria: quocirca nemini unquam licebit in aliquo vel publico vel privato instituto docere theologiam, cathechesim, aut religiosam doctrinam, quin primum opportunam auctoritatem obtinuerit a dioecesano Antistite, qui eamdem facultatem poterit revocare ex iusta causa, cuius penes ipsum iudicium erit, cum id opportunum esse censuerit. Pro examinandis professoribus

---

(1) Cum die XXVIII iunii MDCCCLXXVII concordatum anni MDCCCLXII a Gubernio Aequatoriano rescissum fuisset, postea vero novum omnino concordatum, antiquo abolito, inire quaesiisset, Sancta Sedes concessit quidem ut nonnulli articuli veteris concordati immutarentur, voluit tamen ut id non fieret per stipulationem alterius concordati, sed tantum per editionem « novae versionis » veteris concordati. Haec autem absoluta fuit die II maii MDCCCLXXXI.

primarum scholarum dioecesanus Antistes, si ipsi videbitur, nominabit deputatum ad recognoscendam religiosam doctrinam et morum dotes illius, qui examini erit subiiciendus, quique iccirco sui officii munus suscipere numquam poterit, si in hac recognitione fuerit reprobatus.

Art. V. Cum Romanus Pontifex iure divino primatum honoris et iurisdictionis in universam qua late patet Ecclesiam obtineat, tum Episcopi, tum clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt. Itaque nulla civilis auctoritas poterit unquam ullo modo hoc liberum plenumque commemoratae communicationis exercitium impedire cogendo Episcopos, clerum et populum uti Gubernii opera, ut in eorum necessitatibus Sanctam Sedem adeant, aut subiiciendi apostolicas eiusdem Sedis literas et rescripta Gubernii veniae, vulgo *Exequatur*.

Art. VI. Ecclesiastici Reipublicae Ordinarii poterunt plena libertate suas dioeceses gubernare, convocare, celebrare synodos tum provinciales, tum dioecesanas, et exercere iura quae ad ipsos pertinent ex proprii sacri ministerii vi atque ex vigentibus canonicis sanctionibus a Sancta Sede probatis, quin aliquod unquam opponatur impedimentum, quominus susceptae ab ipsis ordinationes executioni mandentur. Quin imo Aequatoris Gubernium valido suo patrocinio omnem opem feret Episcopis, cum ea ab ipsis requiretur, ac praesertim cum iidem hominum impietati obsistere debeant, qui fidelium animos pervertere eorumque mores corrumpere conentur.

Art. VII. Abolentur appellationes a sententiis Ordinariorum ad laicam potestatem (vulgo *recursos de fuerza*), et, quoad executiones et sententias ab Ordinariis et ecclesiasticis iudicibus latas, poterit tantum appellari ad superiora ecclesiastica tribunalia vel ad Sanctam Sedem iuxta disciplinam statutam in apostolicis litteris Summi Pontificis Gregorii XIII, quae incipiunt *Exposcit*, et ad normam canonicarum praescriptionum, et earum praesertim, quae pro causis matrimonialibus a Bened. XIV editae fuerunt in constitutione *Dei miseratione*, aut poterunt ad ipsos superiores deferri, tum nullitatis tum quaerelae causa. Ecclesiastici iudices proferent sua iudicia, quin illa unquam assessorum laicorum sententiae antea subiiciant, quos tamen consulere poterunt ubi opportunum esse duxerint. Ecclesiastici patroni poterunt assessoris officium in hac iudiciorum classe exercere.

Art. VIII. Omnes ecclesiasticae causae, et praesertim matrimoniales, atque illae quae respiciunt fidem, sacramenta, mores, sacras functiones, officia et iura sacro ministerio adnexa, tum personae tum materiae ratione, ad tribunalia ecclesiastica pertinent. Verumtamen S. Sedes, attentis circumstantiis et Aequatoris Gubernii petitione, haud impedit quominus;

1°. Causae civiles clericorum et illae quae proprietatem atque temporalia ecclesiarum iura, beneficia, aliasque ecclesiasticas fundationes respiciunt, ad civilia tribunalia deferantur;

2°. Causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae ad religionem non pertinent, quaeque Reipublicae codicibus animadvertuntur, ad laicorum tribunalia deferantur. Verum in iudiciis secundae et tertiae instantiae, in respectivis tribunalibus duo ecclesiastici viri, ut coniudices, erunt omnino admittendi, quos respectivus Ordinarius postremis cuiuscumque anni diebus nominabit. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis, seu poenam afflictivam aut infamiam, inferentes, non erunt exequendae, quin prius suprema approbatio Reipublicae Praesidis fuerit obtenta, atque proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus ea quamprimum absolverit, quae sacri canones in hisce casibus praescribunt. Sententia damnationis ad opera publica in sacerdotem nunquam ferri poterit. In reprehendendis et detinendis ecclesiasticis ii erunt adhibendi modi, quos eorum character exigit, et Ordinarius respectivus hac de re nulla interiecta mora erit monendus.

3°. Causae criminales contra vicarios capitulares, ecclesiasticos dioecesium gubernatores, vicarios generales, dignitates, canonicos, aliaque capitulorum membra, ad tribunalia superiora deferantur, etiam cum agitur de delictis, quae subiicienda forent iuratis.

In huius articuli dispositione excluduntur causae maiores Episcoporum, quae Apostolicae Sedi ac superioribus ecclesiasticis tribunalibus sunt reservatae, quibus de iis iudicium ferendum est iuxta S. Concilii Tridentini praescripta, sessione XXIV, Cap. V. In omnibus iudiciis, quae ad ecclesiasticos pertinent iudices,

civilis magistratus omnem opem auxiliumque feret, ut sententiae ac poenae ab ipsis iudicibus latae observentur et executioni mandentur. Causae civiles et criminales, de quibus in hoc articulo sermo est, quaeque in praesens pendentes adhuc sunt, ad iudices et ad tribunalia hoc eodem articulo statuta deferentur, in qualibet instantia aut statu reperiantur.

Art. IX. Sancta Sedes permittit ut personae et ecclesiastica bona subiiciantur publicis vectigalibus veluti subiiciuntur personae et bona aliorum civium Aequatoris. Civilis auctoritas ad coactionem, cum ea necessaria fuerit, procedere nequit, nisi postquam cum ecclesiastica auctoritate rem componere curaverit. Ab huiusmodi vectigalibus eximuntur seminaria, bona et res divino cultui immediate destinatae, et beneficentiae instituta.

Art. X. Ut honoretur domus Dei, qui est Rex regum et Dominus dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur in quantum id publica securitas et ea, quae iustitia exigit, fieri sinant, atque in hoc casu Sancta Sedes consentit ut auctoritas ecclesiastica, parochi nec non praelati domorum regularium, ad Gubernii petitionem tribuant veniam, ut extrahantur qui ad sanctas aedes confugerint.

Art. XI. Cum decimarum proventus destinatus sit ad divinum cultum fovendum sacrosque ministros alendos, Aequatoris Gubernium fidem suam obstringit ad servandam in Republica hanc catholicam institutionem, usque dum possit aliam contributionem eidem substituere, collatis cum S. Sede consiliis. Interim vigere perget in Republica conventio Quiti habita die XXX septembris MDCCCLXV inter respectivos plenipotentiarios atque a Summo Pontifice et civili Aequatoris potestate approbata.

Art. XII. Ex vi patronatus iuris, quod Summus Pontifex Reipublicae Aequatoris Praesidi sive legitimo Reipublicae capiti concedit, hic in qualibet dioecesium Aequatoris et aliarum quae in Republica erigantur, vacatione praesentabit S. Sedi viros ecclesiasticos dignos et idoneos iuxta sacrorum canonum normam, ut Summus Pontifex eis institutionem canonicam conferat iuxta formam et regulam a sacris canonibus praescriptam. Propositi tamen nullo modo poterunt sese immiscere regimini et administrationi dioecesium ad quas proponuntur, quin primum apostolicas litteras de canonica institutione obtinuerint iuxta praescriptiones sacrorum canonum. Reipublicae Praeses candidatum praesentabit intra annum a vacatione sedis. Quod nisi praestiterit, electio S. Sedi devolvetur.

Art. XIII. Sanctitas Sua Reipublicae Aequatoris Praesidi facultatem pariter indulget nominandi dignos ecclesiasticos ad capituli cathedralis praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive portiones, excepta tamen prima dignitate, quae S. Sedis liberae collationi reservata erit, et exceptis etiam illis praebendis quae, examinis seu concursus legi minime obnoxiae, martio, iunio, septembri et decembri mensibus vacaverint, quaeque libere ab Episcopis conferentur personis quae Gubernio probentur, cuius erit nominatos reiicere ob politicas rationes respectivis Ordinariis communicandas. Praebenda doctoralis, poenitentiaria et magistralis et aliae examinis seu concursus legi subiectae pari modo ab Episcopis tantum conferentur, postquam examen et doctrinae periculum factum fuerit iuxta canonicas sanctiones.

Art. XIV. Quod attinet ad collationem paroeciarum, Ordinarii, praescriptionibus Sacrosancti Concilii Tridentini adimpletis, exhibebunt Gubernio tres dignos ecclesiasticos, quibus paroecia erit conferenda; et Praeses sive per se directe, sive per suos in provinciis delegatos, eliget unum ex tribus ecclesiasticis ab Ordinario propositis. Quod si ob peculiares causas Gubernium postulaverit ut alii tres ecclesiastici a prioribus diversi sibi proponantur, Ordinarius id efficiet, ea tamen conditione, ut nullo unquam modo reiici queat ternarius hic numerus secundo propositus. Si necessario paroeciarum territoria erunt dividenda, id ab Episcopis fieri poterit, collatis cum civili locorum auctoritate consiliis.

Art. XV. Sede vacante alicuius ecclesiae cathedralis, capitulum eiusdem infra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a Sancto Concilio Tridentino in rem decreta sunt, vicarium capitularem libere eliget, cuius nominationis notitia ad Gubernium deferetur, quin electionem semel factam revocare vel ad novam procedere possit, qualibet licet veteri consuetudine de medio sublata, ac penitus abolita, quae in hac re sacrorum canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

Art. XVI. Sancta Sedes, proprio utens iure, novas dioeceses erigere poterit, collatis cum Gubernio consiliis, et novas in iis quae iam existunt, peragere circumscriptiones.

Art. XVII. Abrogatur decretum, ut dicitur, *executionis* in Aequatoris Republica latum die vigesima octava maii anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto, de redimendis censibus, qui favore Ecclesiae impositi fuerant; et Sancta Sedes, ratione habita utilitatis, quae ex praesenti conventione dimanatura erit, ac summopere cupiens publicae tranquillitati prospicere et mederi malis, quae in Republica orta sunt ex censibus in publicum aerarium translatis, annuens iteratis illius Praesidis petitionibus, decernit atque declarat nullo unquam tempore ac modo ullam molestiam ex parte Sanctitatis Suae et Romanorum Pontificum suorum successorum eos esse habituros, qui durante tempore elapso ab anno MDCCCXXXVI in posterum huiusmodi translationes fecerint vel promoverint, itemque possessores fundorum qui tali modo redempti fuerint, et illos qui quolibet modo eorumdem fundorum possessioni successerint.

Declaratur praeterea, possessores bonorum, quae censibus favore Ecclesiae obnoxia sunt, qui, potestate a lege civili facta utentes, censuum reditus solverint duo pro quolibet centenario, quavis obligatione liberari et in posterum solvere iure posse duo pro quolibet centenario in numerata pecunia vel tria in specie.

Art. XVIII. Circa obligationes, quas Gubernium cum suis creditoribus ob census translatos contraxerit, Sancta Sedes permittit ut Gubernium idem, soluta decima parte, aut minus, si Ordinarius consentiat, tum sortium quae in publicum aerarium translatae fuerunt, tum fructuum qui elapsi sunt, ab omni onere solutum plane sit. Ut autem commemorata summa tuto solvatur, Gubernium assignat quartam ex tertia fructuum parte, quos ex fundis decimarum percipit, quam in Ordinariorum manus tradet, ut, pro rata portione, inter legitimos creditores dividatur atque modo tuto pariter ac fructifero sors collocetur. At in posterum nullus possessor bonorum, quae censibus obnoxia sunt, poterit in publicum aerarium transferre sortes recognitas, et qui voluerint redimere census fundis impositos, id agere numquam poterunt, nisi antea interposita fuerit respectivi Ordinarii auctoritas, traditis sortibus recognitis in manus eiusdem Ordinarii, qui facultate pollebit reducendi, si opus fuerit, sortes ipsas prudenter et aeque, ita tamen ut in singulis casibus Ecclesiae utilitati consultum sit.

Art. XIX. Ecclesia iure suo pollebit novas iusto quovis titulo, qui Reipublicae legibus sit consonus, acquirendi possessiones, eiusque proprietates, quas nunc possidet vel in posterum acquiret, inviolabiles ex legum quoque ordinatione solemniter erunt. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat, qui unice dati et accepti rationes aliasque oeconomicas regulas accurate recognoscent ac perpendent. Bona ecclesiastica ad religiosas familias et congregationes pertinentia alienari non poterunt, absque facultate a S. Sede obtenta et Gubernii venia. Bona ecclesiasticae fundationis cuiusque generis, quae ad valetudinaria et alia beneficentiae instituta spectant, quaeque ab ecclesiastica auctoritate in praesentia minime administrantur, ad eam deferentur, ut ipsa ecclesiastica potestas, nulla interposita mora, bonis ipsis congruam tribuat inscriptionem. A praedicta devolutione illa bona excluduntur, quae multo iam tempore publicae utilitati seu beneficentiae destinata fuerunt. Qui anteactis vicissitudinibus bona ad Ecclesiam pertinentia forte a Gubernio acquisierint, aut in eorumdem bonorum possessionem emptoribus successerint, nullam huius rei causa sive a Summo Pontifice feliciter regnante, sive ab eius successoribus, molestiam accipient: atque ita iidem poterunt horum bonorum proprietate, reditibus atque aliis emolumentis tute ac pacifice frui. Quoad antiquas novasque fundationes ecclesiasticas, nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque auctoritate Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sancto Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. XX. Praeter ordines et congregationes religiosas, quae in Aequatoris Reipublicae territorio nunc existunt, Ordinarii dioecesani poterunt libere et absque ulla exceptione admittere atque instituere in propriis dioecesibus, collatis cum Gubernio consiliis, novos ordines aut institutiones ab Ecclesia adprobatas, prout suorum populorum utilitas exegerit, suam

ad hunc finem Gubernio operam auxiliumque praestante.

Art. XXI. Post divina officia in omnibus Reipublicae Aequatoris templis sequens recitabitur oratio:

Domine, salvam fac Rempublicam — Domine, salvum fac Praesidem eius.

Art. XXII. Gubernium Reipublicae Aequatoris obligatione se obstringit ad omnia opportuna tribuenda auxilia pro fidei propagatione, et pro infidelium in suo territorio degentium conversione, et ad omnem praestandam opem auxiliumque institutioni et progressui sacrarum missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis Propagandae Fidei mittuntur.

Art. XXIII. Cetera, quae ad personas et res ecclesiasticas pertinent, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur iuxta canonicam et vigentem Ecclesiae disciplinam a Sancta Sede adprobatam.

Art. XXIV. Per hanc conventionem leges et decreta quovis modo et forma in Republica Aequatoris hactenus lata, in quantum eidem conventioni adversantur, abrogata habentur, atque haec unice conventio ut lex status deinceps semper habebitur. Atque iccirco utraque contrahentium pars spondet se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Praeses Aequatoris invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. XXV. Ratificationes praesentis redactionis concordatus, anno MDCCCLXII initi, mutuo tradentur unius anni spatio, aut citius, si fieri poterit.

In quorum fidem praedicti Plenipotentiarii praesenti actui subscripserunt illumque suo quisque sigillo obsignavit.

Datum Quiti die II maii an. MDCCCLXXXI.

L. ✠ S.

MARIUS Arch. HELIOPOLIT.
CORNELIO E. VERNAZA.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo il 30 marzo 1882.

PRO REPUBLICA AEQUATORIS CONVENTIO ADDITIONALIS.

Conventio additionalis inter** S. **Sedem Apostolicam et Gubernium Reipublicae Aequatorianae super substitutione seu conversione decimarum. - 1890.

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Summus Pontifex Leo XIII et excellentissimus dominus Antonius Flores Praeses Reipublicae Aequatorianae, statuere cupientes communi utriusque consensu normas necessarias et definitivam substitutionem vel conversionem decimarum, ad quam refertur articulus XI novae formulae concordati conscriptae anno MDCCCLXXXI, specialem de ea re conventionem inire constituerunt, eiusque rei causa Plenipotentiarios duos nominarunt; scilicet Sanctitas Sua, eminentissimum et reverendissimum dominum Cardinalem Marianum Rampolla de Tindaro ministrum suum a publicis negotiis, et excellentissimus dominus Praeses Reipublicae Aequatorianae, illustrissimum D. Leonidam A. Larrea legatum ad negotia eiusdem Reipublicae gerenda penes Sanctam Sedem: qui duo, traditis invicem plenae potestatis sibi collatae instrumentis, eorumque forma probata, in eos qui sequuntur articulos consenserunt.

Art. I. In Republica Aequatoriana substituentur decimae vel convertentur in contributionem praedialem trium pro mille, seu triginta, uti aiunt, ***centavos*** nummorum quolibet anno pro quibusque centenis ***sucres*** realis pretii rusticorum praediorum. Excipiuntur ab hac contributione praedia quorum pretium ad centum ***sucres*** non extollitur, aedificia praediis rusticis adnexa et habitationi destinata, necnon plantationes theobromae ***(cacao)***.

Art. II. Haec praedialis contributio trium in singula millia erit in exclusiva Ecclesiae proprietate, nec poterit Gubernium aliam loco eius sufficere, eamve imminuere aut immutare directe vel indirecte, nisi Sancta Sedes consenserit.

Art. III. Quum prudenter praevideatur, reditum contributionis praedialis trium in singula millia nequire in praesens aequare summam dotandis dioecesibus Reipublicae Aequatorianae praestitutam, quae annuam vim attingit nummorum ***sucres*** 245,804,67 (comprehensa dioecesi Manabiensi), Gubernium promittit suppletum iri, quod deficit, per tributum quod iam extat singulorum nummorum pro millenis quibusque, verum pro ea parte tantum quae praedia rustica percellit, revocata cessione provinciis indulta; nec non

per reditum novi vectigalis octoginta *centavorum* in singula pondera 46 chilogrammatum theobromae *(cacao)*, quae ex finibus Reipublicae exportantur.

Art. IV. Haec tributa ad scopum praedictum destinata non poterunt a Gubernio aboleri, nisi ex continua experientia quinquenniali constiterit, praedictam contributionem praedialem trium in singula millia omnino exaequare summam praevisam pro stipendiis dioecesium quae interiore regione continentur. Sin vero interea Gubernium voluerit vectigal abrogare impositum theobromaè *(cacao)*, eique aliud aeque fructuosum substituere, oportet ut primum inter ipsum et Apostolicam Sedem hac de re conveniat. Sin posthac quandocumque praedictum tributum trium in singula millia nequiverit quavis de causa summam exaequare quotannis percipiendam a dioecesibus quae interiori regione continentur, reviviscet omnino obligatio Gubernii supplendi eventualem defectum duobus memoratis tributis. Sin vero haec sublata reperiantur vel firma et decretoria ratione in alios usus conversa, tenebitur Gubernium supplere, quod deficit, per alios proventus, qui partis utriusque consensu erunt definiendi.

Art. V. Tam contributio trium pro mille quam supplementum singulorum nummorum pro mille exigetur cuiusque semestris initio, vel tempore quod definietur in peculiaribus regulis edicendis pro unaquaque dioecesi. Circa supplementum sumendum ex vectigali imposito exportationi theobromae *(cacao)*, Gubernium promittit se traditurum cuiusque bimestris initio summam viginti millium *sucres*.

Art. VI. Dioecesis Guayaquilensis et Manabiensis attributum sibi stipendium recipient ex novo vectigali imposito exportationi theobromae *(cacao)*. Quod si Gubernio placuerit hoc abrogare vectigal, tenebitur antea sufficere in locum eius contributionem aliam, qua commode satisfiat praestationi pecuniae utrique dioecesi attributae. Haec contributio praediis imponenda sitis intra earum fines, pleno ac proprio iure ad Ecclesiam pertinebit, firma iugiter manente Gubernii obligatione supplendi, quod forte defuerit, ea ratione quae superius significata est quoad dioeceses sitas in regione interiori.

Art. VII. Quum Aequatorianis Episcopis constiterit, quin sese immisceat Gubernii auctoritas, praedialem proventum tributi trium pro mille excedere pecuniae vim stipendiis dioecesium attributam, debebit ecclesiastica auctoritas id quod superest, impendere sacris missionibus, novarum dioecesium erectioni, ac demum domibus beneficentiae quae modo Gubernii sumptibus sustentantur.

Art. VIII. Gubernium in se unum suscipit impensarum onus, quibus opus est ad confectionem et revisionem tabularum censualium. Constituetur tamen consilium ad instar eius quod decimarum causa cogitur, et quatuor commissariis constabit, quorum duo ab ecclesiastica auctoritate, duo a Gubernio deputantur. Hi non modo praeerunt rebus agendis quae nuper dictae sunt, sed etiam cognoscent et iudicium ferent de querelis quas proferri contingat ab iis qui tributa pendunt. Hic porro ad rem constituitur, obligationem tributi solvendi iuxta censualem aestimationem suspendi non posse cuiuscumque expostulationis causa, salvo iure repetendi si quid indebitum solutum fuerit.

Art. IX. Gubernium spondet se traditurum Ecclesiae, intra duos menses a die huic conventioni adscripto, tabulas censuales, quae modo usui sunt ad exigendum praediale vectigal quod *unius pro mille* dicitur, et eas quidem probe confectas, revisas et legitimae auctoritatis testimonio rite confirmatas. Ex iis constabit unice valor fundorum, exceptis aedificiis quorum mentio est in articulo I. Spondet praeterea Gubernium se curaturum suis sumptibus novam et accuratam aestimationem fieri praediorum rusticorum, quae in Aequatoriana ditione sunt, ope virorum peritorum, quos numero pares eliget utraque potestas, ecclesiastica et civilis.

Art. X. Collectores ecclesiastici iisdem uti poterunt praesidiis quibus utuntur fiscales exactores ad eos cogendos qui solutionem tributorum detrectant.

Art. XI. Substitutio seu conversio decimarum iuxta formam et conditiones supra scriptas non obstat quominus integra et inviolabilia maneant officia et obligationes utrinque susceptae ab Ecclesia et Gubernio, iuxta articulum primum conventionis additionalis ad concordatum (in titulo inscripto *preventivo permanente*) circa solutionem aeris pro rata cuiusque parte conferendi pro nosocomiis, seminariis, scholis et collegiis morali et re-

ligiosae iuvenum institutioni destinatis, nec non pro domibus beneficentiae causa statutis quae nunc extant, vel in posterum statuentur, excepto casu de quo in articulo VII actum est.

Art. XII. Si praesens conventio, ob quemlibet eventum vel causam, plenam vim et effectum suum quandocumque habitura non erit, convenit inter excelsos Paciscentes ac declaratur explicite, rediturum ad Ecclesiam ius indubium tam coram Gubernio, quam coram fidelibus, exigendi ac percipiendi contributionem decimalem prout antea fieri solebat.

Art. XIII. Praesens conventio nihil detrahit de iuribus Episcoporum et Capitulorum ad redditus iisdem debitos quorum dies cessit.

Art. XIV. Ut praestituto tempore finem habeat supplementum de quo superius actum est, Episcopi quotannis Gubernio rationes referent de proventu quem, detractis sumptibus, perceperint ex tributo ab iis exacto trium nummorum pro mille qui reputantur in aestimatione praediorum; itemque restituent ante exitum tertii mensis subsequentis anni eam pecuniae vim quam Gubernium antea solverit supplementi nomine, si et quatenus haec excesserit stipendium dioecesibus attributum. Ceterum obligatio rationum quotannis reddendarum extinguetur quum primum quinquennali experientia, de qua est actum in articulo IV, demonstratum fuerit, reditum ex praedicta contributione praediali perceptum exaequare stabilem summam dotandis dioecesibus praestitutam.

Art. XV. Si qua in posterum surorietur difficultas circa praemissa, Sanctitas Sua et Praeses Reipublicae Aequatorianae invicem consilia conferent ad rem amice componendam.

Art. XVI. Praesenti conventioni vis inerit partis integralis concordati, et documenta ratihabitionis invicem tradentur intra anni spatium ex die huic conventioni adscripto.

In quorum fidem praefati Plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die VIII nov. MDCCCXC.

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
Leonidas A. Larrea.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo a Lima il 13 Agosto 1893.

NOTE RIVERSALI — 1890.

A

Nota dell'Emo Card. Segretario di Stato all' Incaricato d' affari della Repubblica dell' Equatore.

A dilucidazione dell'art. V del convenio addizionale stipolato il giorno 8 del corrente mese tra la S. Sede ed il Governo della Repubblica dell'Equatore per la conversione o sostituzione delle decime, il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato ravvisa opportuno di significare alla S. V. illma essere intendimento della S. Sede, che il Governo Equatoriano, oltre l'obbligo di versare anticipatamente ogni due mesi la somma di *sucres* 20,000 a titolo di supplemento, come al detto articolo, sia tenuto a coprire in fine di anno l'intero preventivo attuale delle diocesi con una somma maggiore, se ne sia il caso.

Questa dichiarazione esplicativa essendo stata accettata dal Governo Equatoriano, verranno scambiate le rispettive note riversali.

Il sottoscritto Cardinale profitta dell'incontro per rinnovare a V. S. i sensi ecc.

Roma 9 novembre 1890.

M. Card. Rampolla.

B

Nota dell' Incaricato d' affari della Repubblica dell' Equatore al Card. Segretario di Stato.

Roma li 10 novembre 1890.

Il sottoscritto Incaricato d'affari dell'Equatore presso la Santa Sede ha avuto l'onore di ricevere la nota, in data di ieri, nella quale S. E. Rma il Card. Segretario di Stato si compiace di significare che, a schiarimento dell'articolo 5° del convenio addizionale al concordato, firmato il giorno 8 del mese corrente, crede opportuno manifestare, che, a giudizio della Santa Sede, il Governo dell'Equatore, oltre al versamento bimestrale anticipato di ventimila *sucres*, resta obbligato, a titolo di supplemento e a tenore del detto articolo, a coprire al fine di ogni anno il preven-

tivo totale della diocesi con una somma maggiore, se ve ne fosse bisogno.

Il sottoscritto dichiarando, a sua volta, che il suo Governo nell'obbligarsi spontaneamente a tale versamento anticipato, lungi dal considerarsi esonerato dal coprire il *deficit* eventuale dell'attuale preventivo ecclesiastico, si è anzi proposto di soddisfare colla sollecitudine possibile ai bisogni della chiesa equatoriana, non ha difficoltà di accettare la dichiarazione esplicativa di Sua Eminenza, e in virtù delle proprie istruzioni dichiara felicemente conchiusa la negoziazione affidatagli dal suo Governo.

Scambiate così queste lettere riversali, esse saranno aggiunte al convenio ed avranno eguale valore per la sua completa esecuzione.

Di Vostra Eminenza Rma

Umilissimo e obbedientissimo servo
L. A. Larrea.

XVIII.

Conventio inter S. Sedem et Austriae Imperatorem pro Bosnia et Herzegovina - 1881.

Dopo che l'Amministrazione della Bosnia e dell'Erzegovina è stata assunta dal Governo di S. M. imperiale e reale apostolica, la Santa Sede ed il Governo stesso hanno riconosciuto la necessità di provvedere agli interessi religiosi ed ai bisogni spirituali di quelle provincie, mediante un'organizzazione ecclesiastica, che meglio corrisponda alla nuova condizione di cose e renda più libero e più fruttuoso l'esercizio dell'alta missione della Chiesa a beneficio di quelle popolazioni.

Scambiatesi quindi sopra questo importante oggetto le opportune intelligenze fra la Santa Sede ed il Governo della Maestà Sua, e tenuto conto delle difficoltà di vario genere che si frappongono attualmente ad una piena sistemazione delle cose ecclesiastiche ed alla attuazione immediata dei relativi provvedimenti, si è intanto stretto l'accordo sopra i seguenti punti:

Il Santo Padre procederà al ristabilimento della gerarchia ecclesiastica nella Bosnia ed Erzegovina.

Nella città di Serajevo sarà istituito un arcivescovato del medesimo nome, e ad esso con diritto metropolitico saranno soggette come suffraganee tutte le sedi vescovili erette o da erigersi in avvenire nelle due provincie.

Verrà fondato senza ritardo in Serajevo un capitolo cattedrale, il quale sarà per ora composto di quattro canonici, a ciascuno dei quali il Governo di Sua Maestà apostolica assegna 2,000 fiorini annui.

Contemporaneamente si erigerà in Banjaluka una sede vescovile suffraganea di Serajevo; Sua Santità peraltro la farà governare provvisoriamente da un amministratore apostolico con carattere vescovile, nell'intento che si vada preparando convenientemente la fondazione degli istituti necessari ad una ben regolata diocesi.

Nell'Erzegovina si erigerà un vescovato nella città di Mostar, che ne prenderà il nome.

Essendo poi necessario che anche il Vescovo di Monstar sia circondato dal suo capitolo, ne viene ammessa in principio la erezione, la quale avrà effetto non appena le circostanze lo permetteranno.

La diocesi di Trebigne continuerà ad essere amministrata dal Vescovo di Ragusa fino a che fra la Santa Sede ed il Governo di Sua Maestà imperiale e reale apostolica siansi presi speciali accordi per una nuova sistemazione della medesima.

La dotazione delle sedi summenzionate, nel fermo proposito di aumentarla in avvenire, viene per ora fissata nel seguente modo:

Alla sede arcivescovile di Serajevo si assegnano dal Governo imperiale e reale annui fiorini 8,000; a quella di Monstar fiorini 6,000; all'amministratore apostolico di Banjaluka fiorini 3,000.

Nell'archidiocesi di Serajevo verrà aperto per ora e senza ritardo un seminario provinciale che soddisfi ai bisogni non solo dell'archidiocesi, ma ancora delle altre diocesi suffraganee, affinchè per questo mezzo si formino abili soggetti del clero secolare, che si occupino alacremente nel sacro ministero e nella cura delle anime insieme al clero regolare, cui, attesi i lunghi servigi prestati alla Chiesa, sono da usarsi i dovuti riguardi. Il Governo di Sua Maestà imperiale e reale apostolica fornirà i mezzi occorrenti a tale istituto.

Il Santo Padre, in base al nuovo ordine di cose stabilitosi nella Bosnia e nella Erzegovina, volendo mostrare piena fi-

ducia e riconoscenza verso Sua Maestà imperiale e reale apostolica che, colla sua generosità e con i suoi impegni per lo avvenire, contribuisce si efficacemente al bene ed incremento di quelle Chiese, concede alla stessa Maestà Sua il privilegio di nomina dell' Arcivescovo e dei Vescovi nella Bosnia e nell' Erzegovina.

Questo privilegio, del quale peraltro non si farà menzione nella Bolla di erezione della Gerarchia, sarà esercitato da Sua Maestà nella forma e colle regole stabilite per la presentazione alle sedi vescovili del suo impero.

Il Santo Padre nel procedere alla nomina dell'amministratore apostolico di Banjaluka, riguardo alla scelta della persona, avrà in considerazione i desideri che saranno manifestati da Sua Maestà l'Imperatore.

Il Santo Padre concede a Sua Maestà imperiale e reale apostolica l' indulto di nominare alle prebende canonicali dal Governo imperiale e reale dotate: al quale effetto il Vescovo proporrà al Governo di Sua Maestà una terna di ecclesiastici che giudicherà più degni; resterà però eccettuata la prima fra le dette prebende, la quale in seguito della raccomandazione della stessa Maestà Sua verrà conferita da Sua Santità.

In fede di che i sottoscritti, con la debita autorizzazione di Sua Santità e di Sua Maestà imperiale e reale apostolica, appongono la loro firma al presente atto scritto in doppio originale.

Roma li 8 giugno 1881.

Il Segretario di Stato di Sua Santità
L. Card. IACOBINI.

L' Ambasciatore
di Austria-Ungheria presso la S. Sede
Conte LUDOVICO PAAR.

XIX.

Conventio pro Helvetia (1).

CONVENTION POUR REGLER LA SITUATION RELIGIEUSE DES PAROISSES DU CANTON DU TESSIN – 1 septembre 1884.

Le Conseil Fédéral
de la Confédération Suisse,

Après avoir vu et examiné la convention conclue entre la Confédération Suis-

(1) Pro historia referimus conventionem inter Gregorium XVI et Praesidem maioris Consilii pagi sangalliensis.

Conventio circa reorganizationem Episcopatus Sangalliensis.

§ 1. Dioecesis sangallensis, unione cum dioecesi curiensi soluta, in proprium et individuum episcopatum pro incolis catholicis pagi sangallensis, intra geographicos eiusdem terminos, denuo constituitur.

§ 2. Episcopus residebit ad ecclesiam primariam Catholicorum pagi sangallensis, quae, servata sua qualitate parochialis ecclesiae, nomen ecclesiae cathedralis Sancti Galli obtinebit.

§ 3. Novum ecclesiae cathedralis sangallensis Capitulum quinque constabit capitularibus residentialibus, unica nempe dignitate decani et quatuor canonicis, atque insuper octo canonicis foraneis sive ruralibus vel titularibus nuncupandis, ac tribus presbyteris auxiliariis vel vicariis.

§ 4. Animarum parochianorum cura habitualis erit penes Capitulum residens, quam modo huc usque usitato, adiutum tribus coadiutoribus iam existentibus, exercebit. Vicarii autem tres praedicti Capitulo ultra adiungentur tam in servitium ecclesiae in sacris functionibus peragendis, quam in subsidium exercendae curae animarum.

§ 5. Canonici residentiales ordinarie senatum Episcopi constituent et in rebus gubernandae dioecesis atque in regendo et curando seminario ipsi inservient, nec non servitio divino publico ad ecclesiam Sancti Galli providebunt. Ad praescriptum canonicarum sanctionum Episcopus uni ex capitularibus Poenitentiarii, alteri vero Theologi, officia mandabit, qui statutis diebus doctrinam catholicam docebit.

§ 6. Pro prima electione Episcopi supremus senatus catholicus pagi sangallensis Sedi Apostolicae exhibebit notulam quinque clericorum eligibilium, ex quibus Sanctus Pater Episcopum nominabit, cui insimul institutionem canonicam conferet.

§ 7. Quovis modo eveniente vacationis sedis episcopalis sangallensis, ius electionis novi Episcopi penes Capitulum cathedrale residet, atque a canonicis tam residentialibus quam foraneis seu titularibus infra spatium trium mensium, a die obitus Episcopi cumputandum, exequendum est.

Electus supremo consilio catholico persona non ingrata esse debet.

§ 8. Si electio canonice peracta agnosceretur, et iuxta formam pro episcopatibus in Helvetia usitatam de ipsius electis qualitatibus ad sacrorum canonum normam rite constiterit, Summus Pontifex electo canonicam institutionem praestabit.

§ 9. Ut quis ad dignitatem Episcopi eligibilis sit, praeter qualitates canonicas requiritur, ut eligendum sit presbyter e clero dioecesano et in dioecesi ipsa sangallensi per plures annos curae animarum, tradendis litteris, vel administrandae dioecesi merito et distinctione incubuerit.

§ 10. Episcopus sangallensis coram deputatis gubernii pagi emittet fidelitatis iuramentum iuxta formulam a Sancta Sede approbandam.

§ 11. Capitulum cathedrale prima vice hunc in modum constituetur: postquam Episcopus Sanctae Sedis auctoritate fuerit institutus, a Summo Pontifice ipsi committetur, ut ipsius nomine decanum et canonicos tam residentes quam foraneos et vicarios Capituli talibus ex presbyteris seligat, qui senatui administrativo catholico non sint ingrati, iisque canonicam conferat institutionem.

§ 12. In futuris autem vacationibus, pro decanatu Episcopus ex ordine canonicorum tam residentium quam foraneorum tres candidatos senatui admini-

se, agissant en son propre nom et du canton du Tessin, d'une part, et la Saint-Siège, d'autre part, pour régler la situation religieuse des paroisses du canton du Tessin, convention signée à Berne, le 1 septembre 1884, par les plénipotentiai res des deux parties et dont la teneur suit:

« *Le Conseil Fédéral Suisse,*

en son propre nom et au nom du canton du Tessin,

et le Saint-Siège

ayant décidé de conclure une convention pour regler la situation religieuse des paroisses du canton du Tessin,

ont nommé dans ce but pour leurs plénipotentiaires, savoir:

le Conseil Fédéral

Mons. A. O. *Aepli,* de Saint Gall, son envoyé extraordinaire et ministre plénipotentiaire à Vienne, et

---

strativo catholico exhibebit, e quibus senatus decanum nominabit; nominatus vero antequam suae praebendae possessionem capiat reditusque percipiat, institutionem canonicam a Sede Apostolica obtinere debebit. De reliquis quatuor canonicatibus residentialibus ad duos quidem nominabit senatus administrationis catholicus et nominati institutionem canonicam a Summo Pontifice, ut supra, impetrabunt, ad duos alios nominabit Episcopus, qui et nominatis canonicam conferet institutionem.

§ 13. Pro quovis canonicatu foraneo, quotiescumque vacaverint, senatui administrativo catholico intra sex hebdomadas a die vacationis computandas exhibenda est notula quinque candidatorum, qui requisitis qualitatibus instructi sint; senatus sibi minus placituros intra sex alias hebdomadas, si vult, excludet, relictis tamen in quolibet casu tribus nominatis ad liberam optionem, ex quibus dein intra mensis spatium canonicus eligitur hac ratione: pro canonicatibus, qui in mensibus ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris vacaverint, Episcopus senatui administrativo catholico supra memoratam proponet nominationis notulam et Capitulum canonicorum tum residentium tum foraneorum e candidatis in notula remanentibus canonicum nominabit, qui postea canonicam institutionem ab Apostolica Sede obtinere, ut supra, debebit.

Pro canonicatibus, qui reliquis anni mensibus vacaverint, Capitulum senatui administrativo catholico nominationis notulam proponat et e candidatis, qui in notula remanserint, Episcopus canonicam institutionem conferet.

Tres vicarii semper ab Episcopo libere e clericis pagi eligibilibus nominantur et ab ipso canonice instituuntur.

§ 14. Eligibiles pro canonicatu sunt presbyteri saeculares, qui habeant requisita canonica in genere, et in specie sint dioecesani sangallenses ibidemque diutius in cura animarum cum zelo et prudentia versati, aut aliis functionibus ecclesiasticis addicti, vel curiae episcopalis aut seminarii directione aut munere docendi bene meriti et insigniter commendati ac praefulgentes.

§ 15. Seminarium pro informandis clericis sangallensibus iam institutum iuxta praescripta Ecclesiae sub directione Episcopi erit. Senatus administrativus catholicus eidem pro sua conditione hucusque servata congruentem habitationem et fundos assignabit.

§ 16. Episcopo proventus annui 4000 florenorum rhenanorum, decano Capituli redditus annui 1200 fl., cuivis vero reliquorum quatuor canonicorum florenorum 1000, et cuilibet trium vicariorum florenorum 400 constituentur et assignabuntur.

Canonici foranei, quotiescumque in Capitulum convocantur, congruam gratificationem accipient.

Redditus canonici, cui paroeciae administratio delata fuerit, usque ad summam florenorum 1200 augebuntur.

§ 17. Praeter memoratos annuos redditus Episcopo, decano et cuilibet reliquorum canonicorum residentium liberae et eorum dignitati congruae habitationes, simulque vicariis necessaria habitandi loca assignabuntur et sumptibus senatus administrativi catholici sarta tecta conservabuntur.

Pariter Episcopo et curiae episcopali pro regimine dioecesis, cancellariae et archivo, nec non seminario clericali, loca requisita gratis conferentur.

§ 18. De regulis sportularum taxarumque quocunque titulo exquirendarum sive pro impensis cancellariae, sive pro sessionibus senatus episcopalis in causis ecclesiasticis, praecipue matrimonialibus, Episcopus cum senatu catholico conveniet.

§ 19. De redditibus mensae episcopalis, qui sede vacante accrescant, dimidium Episcopo successori competet, ut habeat unde primis domus suae necessitatibus possit providere; reliqua pars vero vicario Capituli adveniet.

§ 20. Pro constituenda et tuenda dotatione tum sustentationis ecclesiae cathedralis et seminarii clericalis, tum proventuum et reddit8uum Episcopi et Capituli, hae summae capitales et respondentes fundi titulis rite et secure hypothecatis constituentur et assignabuntur, et tamquam dotatio illorum inalienabilis declarabuntur:

a) Ecclesiae cathedrali et praebendis eidem adiunctis flor. 200,000, quorum tituli extant iam et asservabuntur in archivo eiusdem ecclesiae;

b) Seminario clericali et huic adiunctae praebendis flor. 75,000, quorum tituli in eodem cathedralis archivo extant et asservabuntur;

c) Mensae episcopali et reliquis praebendis Capituli flor. 160,000, quorum tituli, simul ac bulla pontificia de reorganizatione episcopatus sangallensis fuerit promulgata, deponentur et asservandi exinde erunt in archivo episcopali.

§ 21. Insuper expressis terminis declaratur et sancitur, ecclesiae cathedrali et seminario clericali proprias dotationes ipsis collatas in praesenti capitalium summa omni casu tute esse conservandas.

§ 22. In favorem administrandae dioecesis omnia et singula documenta qualiacumque sint, quae ad dioecesim sangallensem spectant, e sericis veterum archivorum episcopalium extracta in novam cancellariam episcopalem tradenda sunt.

§ 23. Quod si in posterum alii quoque pagi cum incolis suis catholicis ad diocesim sangallensem accedere velint, dispositiones ad hoc requisitae ulteriori conventioni reservantur.

Quae conventio in duplo scripta a delegatis utriusque partis contrahentium subscripta et obsignata, postquam ratificationes in exordio reservatae fuerint enuntiatae, executioni mandanda est.

Actum Lucernae die VII novembris MDCCCXLV.

Nomine Summi Pontificis Gregorii Papae XVI, ✝ *Hieronymus de Andrea Archiep. Melitanus et Nuntius Apostolicus.*

Nomine supremi Consilii catholici atque ex mandato senatus administrationis catholicorum pagi sangallensis, eius pagi delegati: *Iacobus Baumgartner, consiliarius Guberniі. Leonardus Gmür, consiliarius administrationis catholicae.*

Mons. R. *Peterelli,* de Savognino, canton des Grisons, membre du conseil des états suisse;

le Saint-Siège,

Monseigneur D. *Ferrata,* prélat de la maison du Saint Père, sous-secrétaire de la congrégation des affaires ecclésiastiques extraordinaires:

lesquels, après s'être communiqué leurs pleins pouvoirs, trouvés en bonne et due forme, sont convenus des articles suivants sous réserve de la ratification de leurs hauts commettants.

« Art. I. Les paroisses du canton du Tessin seront détachées canoniquement des diocèses de Milan et de Côme et placées sous l'administration spirituelle d'un prélat qui prendra le titre d'*Administrateur apostolique du canton du Tessin.*

« Art. II. La nomination de l'administrateur apostolique sera faite par la Saint-Siège.

« Art. III. Pour le cas où le titulaire viendrait à mourir avant l'organisation définitive de la situation religieuse des paroisses du canton du Tessin, le Conseil Fédéral, le canton du Tessin et le Saint-Siège s'entendront sur la prolongation de l'Administration provisoire instituée par cette convention.

« Art. IV. Le canton du Tessin s'oblige de prendre les mesures nécessaires pour l'exécution de cette convention, notamment en ce qui concerne le traitement de l'Administrateur apostolique, sa residence etc.

« Art. V. Les ratifications de cette convention seront échangées a Berne dans le délai de trois mois.

« Fait à Berne, le premier septembre mil huit cent quatre-vingt-quatre (1 septembre 1884).

A. O. Aepli.
R. Peterelli.
D. Ferrata ».

Déclare

en son propre nom et au nom du canton du Tessin, que la convention ci-dessus est ratifiée et a force de loi dans toutes ses parties, promettant, au nom de la Confédèration Suisse et en celui du canton du Tessin, de l'observer consciencieusement et en tout temps, pour autant que cela dépend d'eux.

En foi de quoi

les présentes ont été signés par le président et le chancelier de la Confédération Suisse et munies du sceau fédéral.

Ainsi fait a Berne, le vingt-neuf novembre mil huit cent quatre-vingt-quatre (29 novembre 1884).

Au nom du Conseil féderal suisse
Le Président de la Confédération
Welti.

Le Chancelier de la Confédération.
Ringier.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo a Berna il 29 novembre 1884.

CONVENTION ENTRE LE CONSEIL FÉDÉRAL SUISSE ET LE SAINT-SIÈGE POUR RÈGLER DÉFINITIVEMENT LA SITUATION RELIGIEUSE DES PAROISSES DU CANTON DU TESSIN. - Du 16 mars 1888.

Le Conseil Fédéral
de la Confédération Suisse,

Après avoir vu et examiné la convention conclue sous réserve de ratification, à Berne, le 16 mars 1888 par les plénipotentiaires de la Suisse et du Saint-Siège pour règler définitivement la situation religieuse des paroisses du canton du Tessin, convention qui a été approuvée par le Conseil des États le 28 juin 1888 et par le Conseil National le 29 du même mois et dont la teneur suit:

« *Le Conseil Fédéral suisse en son propre nom et au nom du canton du Tessin et le Saint-Siège,*

« En exécution de la convention du 1 septembre 1884 voulant règler définitivement la situation religieuse des paroisses du canton du Tessin, ont nommé dans ce but pour leurs plénipotentiaire, savoir:

Le Conseil Fédéral suisse,

Monsieur *Numa Droz,* chef du département des affaires étrangères, et monsieur *Louis Ruchonnet,* chef du département de justice et police;

Le Saint-Siège,

Monseigneur *Dominique Ferrata,* archevêque de Thessalonique, nonce apostolique à Bruxelles;

Lesquels, après s'être communiqué leurs pleins pouvoirs, trouvés en bonne et due forme, sont convenus des articles suivants, sous réserve de la ratification de leur hauts commentants.

« Art. I. Pour le moment de l'entrée en vigueur de la présente convention, l'église paroissiale et collégiale de St. Laurent à Lugano sera érigée en église cathédrale pour tout le territoire du canton du Tessin, et cette église sera réunie canoniquement et à égalité de droits à l'église de Bâle, dont l'Ordinaire portera dorénavant le titre d'*Évêque de Bâle et de Lugano*.

« Art. II. Pour l'administration de l'église cathedrale réunie, le Saint-Siège nommera d'entente avec l'Évêque diocèsain, un Administrateur apostolique qui sera choisi parmi les prêtres ressortissant tessinois.

« L'Administrateur apostolique aura le caractère épiscopal; il résidera dans le canton et portera le titre d'*Administrateur apostolique du Tessin*.

« Art. III. Le dispositions de la convention du 26 mars 1828 concernant la nomination de l'Évêque de Bâle seront étendues à l'église cathédrale réunie, si les autres parties intéresseés y consentent.

« Art. IV. Il n'est apporté aucune modification à l'article IV de la convention du 1 septembre 1884 et aux arrangements qui peuvent en découler.

« En consideration du fait que le canton du Tessin supporte les frais de son administration spéciale, ce canton et son Administrateur apostolique ne contribueront ni à la mense de l'Évêque diocésain, ni aux autres frais de l'administration générale du diocèse.

« Art. V. L'Administrateur actuel demeure au bénéfice de sa nomination, faite par le Saint-Siège en date du 20 septembre 1887.

« Art. VI. Les ratifications de cette convention seront échangées à Rome dans le délai de quatre mois, et la convention entrera en vigueur six mois après cet échange.

PROTOCOLE FINAL.

« Il est entendu 1° que l'église cathédrale réunie ne prendra aucune autre part à l'administration du diocèse de Bâle que celle dont l'article 3 fait mention; 2° que la mise en vigueur et la pleine application de la convention ne sont pas subordonnées à l'extension des dispositions de la convention du 26 mars 1828, prévue par le dit article 3, ni à l'usage éventuel de la faculté découlant de cette extension.

« Berne, le 16 mars 1888.

L. ✠ S.

DROZ.
L. RUCHONNET.

DOMINIQUE FERRATA
Archevêque de Thessalonique
Nonce Apostolique à Bruxelles »,

Dèclare

que la convention ci dessus est ratifiée et a force de loi dans toutes ses parties, promettant, au nom de la Confédération Suisse, de l'observer consciencieusement en tout temps, pour autant que cela dépend de celle-ci.

En foi de quoi, la présente ratification a été signée par le vice-Président et le Chancelier de la Confédération Suisse et munie du sceau fédéral.

Ainsi fait à Berne, le quatre juillet mil huit cent quatre-vingt-huit (4 juillet 1888).

Au nom du Conseil Fédéral Suisse:
Le vice-Président
HAMMER.

Le Chancelier de la Confédération
RINGIER.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo nel palazzo Vaticano a' 15 luglio 1888.

CONVENTION POUR POUVOIR À L'ADMINISTRATION RÉGULIÈRE DU DIOCÈSE DE BALE. - 1 septembre 1884.

Le Conseil Fédéral de la Confédération Suisse,

Après avoir vu et examiné la convention conclue entre la Confédération Suisse, agissant au nom des cantons de Lucerne, Zoug, Soleure, Bâle-campagne, Argovie et Thurgovie, d'une part, et le Saint-Siège, d'autre part, pour pourvoir à l'administration régulière du diocèse de Bâle, convention signée à Berne le premier septembre 1884, par les plénipotentiaires des deux parties et dont la teneur suit:

« La situation anormale dans laquelle se trouve le diocèse de Bâle, ayant réclamé l'attention du Saint-Siège et des cantons diocèsains,

Le Conseil Fédéral Suisse

au nom des cantons de Lucerne, Zoug, Soleure, Bâle-campagne, Argovie et Thurgovie, et

La Saint-Siège

ont jugé nécessaire de pourvoir à l'administration régulière de ce diocèse.

« Ils ont nommé dans ce but pour leurs plénipotentiaires, savoir

le Conseil Fédéral

Monsieur A. O. *Aepli,* de Saint Gall son envoyé extraordinaire et ministre plénipotentiaire à Vienne, et

Monsieur R. *Peterelli,* de Savognino, canton des Grisons, membre du conseil des états suisse;

le Saint-Siège

Monseigneur D. Ferrata, Prélat de la maison de Sa Sainteté, sous-secrétaire de la congrégation des affaires ecclésiastiques extraordinaires :

lesquels, aprés s'être communiqué leurs pleins pouvoirs, trouvés en bonne et due forme, sont convenus, sauf la ratification de leurs hauts commettants, des articles suivants.

« Art. I. Aussitôt que Monseigneur Eugène Lachat aura reçu du Saint-Siège une autre destination, on procédera à la nomination d'un successeur au siège épiscopal de Bâle.

« Art. II. En dérogation aux dispositions de la convention du 26 mars 1828, qui règle les rapports entre le parties contractantes, la nomination du successeur de monseigneur Lachat est dévolue au Saint-Siège, qui choisira pour cette dignité un ecclesiastique du diocèse de Bâle agreé par le Conseil Fédéral et possedant les qualités exigées par les canons de l'Eglise.

Il est expressément entendu que cette dérogation ne creera pas un précédent contraire aux dispositions de la convention précitée.

« Art. III. Le nouvel Évêque une fois installé, on procédera à la constitution du chapitre cathedral de Soleure et au règlement de questions financières qui pourraient surgir.

« Art. IV. Les ratifications de la présente convention seront échangées à Berne dans le délai de trois mois.

« Fait à Berne le premier septembre mil huit cent quatre-vingt-quatre (1 septembre 1884).

A. O. Aepli.
R. Peterelli.
D. Ferrata »,

Déclare

Au nom des cantons de Lucerne, Zoug, Soleure, Bâle-campagne, Argovie et Thurgovie, que la convention ci-dessus est ratifiée et a force de loi dans toutes ses parties, promettant, au nom des cantons susdenommés, de l'observer consciencieusement et en tout temps, pour autant que cela dépend de ceux-ci.

En fois de quoi, les présentes ont été signées par le Président et le Chancelier de la Confédération Suisse et munies du sceau fédéral.

Ainsi fait à Berne, le vingt-neuf novembre mil huit cent quatre-vingt-quatre (29 novembre 1884).

Au nom du Conseil Fédéral Suisse:
Le Président de la Confédération
Welti.

Le Chancelier de la Confédération
Ringier.

Lo scambio delle ratifiche venne fatto a Berna addì 29 novembre 1884.

CONVENZIONE PER L'AMMINISTRAZIONE APOSTOLICA NEL CANTON TICINO. - 23 settembre 1884.

Confederazione Svizzera.

Il Consiglio di Stato del Cantone del Ticino,

Veduta ed esaminata la convenzione conchiusa tra il cantone Ticino e la Santa Sede allo scopo di provvedere all'istituzione di un'amministrazione apostolica nel Cantone medesimo, convenzione stipulata in Bellinzona il 23 settembre del corrente anno;

Vista la risoluzione del Gran Consiglio del 27 novembre 1884 per la quale il Consiglio di Stato è incaricato di conferire la ratifica alla mentovata convenzione, così espressa:

« In seguito alla convenzione stipulata in Berna il 1° settembre del corrente anno tra il delegato della Santa Sede e i delegati dell' Alto Consiglio federale svizzero, colla quale convenzione il Cantone Ticino assumeva l' obbligo di prendere i provvedimenti necessarii alla istituzione di una amministrazione apostolica nel suo territorio; la Santa Sede ed il Consiglio di Stato del Cantone Ticino hanno giudicato necessario di procedere ad un' ulteriore particolare convenzione, diretta a determinare e stabilire di comune accordo siffatti provvedimenti.

« A tale scopo hanno nominato per loro plenipotenziarii, cioè:

La Santa Sede

Monsig. Domenico Ferrata, prelato domestico di Sua Santità, sotto-segretario della S. Congregazione degli affari ecclesiastici straordinari; e

Il Consiglio di Stato del Cantone Ticino

il signor avvocato Pietro Regazzi, consigliere di Stato, ed il signor avvocato Massimiliano Magatti, deputato al Gran Consiglio: i quali, dopo essersi scambiati i loro pieni poteri, trovati in buona e dovuta forma, hanno convenuto sugli articoli seguenti, sotto riserva della ratifica dei loro rispettivi committenti.

« Art. I. L' Amministratore apostolico sarà libero di esercitare la sua spirituale giurisdizione in tutto il territorio del Cantone Ticino.

« Art. II. Il medesimo avrà piena libertà nella scelta del suo Vicario e del personale della sua cancelleria, come pure nella pubblicazione delle sue lettere pastorali e degli altri atti riferentisi al suo spirituale ministero.

« Art. III. L'Amministratore apostolico risederà provvisoriamente in Balerna. Resta però convenuto che la sua sede definitiva dovrà essere in seguito stabilita in una delle città del Cantone, che sarà scelta di comune accordo.

Il Governo del Cantone Ticino provvederà al detto Amministratore apostolico un alloggio conveniente coi fondi a ciò riservati.

« Art. IV. Cogli stessi fondi il Governo del Cantone Ticino si obbliga a costituire all'amministrazione apostolica, propria del Cantone Ticino e direttamente dipendente dalla Santa Sede, un patrimonio, il cui annuo reddito non sarà inferiore a franchi dieciassettemila (fr. 17,000).

Questa somma, per franchi dodicimila (fr. 12,000), costituirà l'assegno dell'amministrazione apostolica, e per franchi cinquemila (fr. 5,000), sarà erogata per le spese occorrenti alla istituzione di cattedre di filosofia e teologia, destinate all' istruzione dei chierici di ambedue i riti, romano ed ambrosiano, intorno ai quali riti non sarà fatta alcuna innovazione.

« Art. V. Il Governo del Cantone Ticino continuerà a corrispondere annualmente al seminario di Pollegio la somma di franchi seimila (fr. 6,000).

« Art. VI. L'Amministratore apostolico avrà completa libertà su tutto ciò che riguarda l'ordinamento, l'istruzione e l'amministrazione del seminario o seminarii del Cantone. Sarà per conseguenza in suo potere nominare e rimuovere i direttori, superiori e professori di tali istituti.

« Art. VII. Il Governo del Cantone Ticino non intende che con questa convenzione sieno pregiudicati in alcun modo i diritti o vantaggi derivanti da fondazioni religiose o da lasciti e cause pie, che secondo ragione, equità o consuetudine possono competere allo Stato del Ticino, ai corpi morali ed ai cittadini del Cantone come facente parte fin qui delle diocesi di Milano e Como.

« Art. VIII. Le ratifiche della presente convenzione saranno scambiate in Bellinzona dentro il corso di tre mesi.

« Bellinzona 23 settembre 1884.

Domenico Ferrata.
Avv. Pietro Regazzi.
Avv. Massimiliano Magatti »,

Dichiara

che la detta convenzione è ratificata ed ha forza di legge in ogni sua parte, promettendo in nome della Repubblica e Cantone del Ticino di osservarla coscienziosamente ed in ogni tempo.

In fede di che

la presente ratifica viene firmata e munita del sigillo di Stato in Bellinzona il

giorno due dicembre mille ottocento ottantaquattro (2 decembre 1884).

In nome del Consiglio di Stato
Il Vice-Presidente
Dr. GIORGIO CASELLA.

Il Consigliere Segretario di Stato
Ing. F. GIANNELLA.

Lo scambio delle ratifiche fu fatto a Bellinzona il 2 dicembre 1884.

XX.

Conventio cum Gallia pro Vicariatu Apostolico de Pondichery. - 1886.

Art. I. La préfecture apostolique de Pondichery sera supprimée.

Art. II. Le clergé des paroisses sera uni au vicariat.

Art. III. Le Saint-Siège aura la faculté de convertir le vicariat en diocèse ou archi-diocèse.

Art. IV. Le Gouvernement française entretiendra les curés de Chandernagor, Mahé et Janaou tandisque l'Evêque, et les curés de Pondichery et de Karikal, seront entretenus aux frais de la Mission.

Art. V. Le Vicaire Apostolique ou l'Evêque de Pondichery sera choisi toujours parmi les membres français du séminaire des missions etrangères de Paris.

Fait au Vatican le 1 septembre 1886.

L'Ambassadeur
de la République Française
LÈFEBVRE DE BÉHAINE.

Le Secretaire d'Etat de Sa Sainteté
L. Card. JACOBINI.

XXI.

Conventio inter Leonem XIII et Portugalliae Regem pro Indiis orientalibus (1) *- 1886.*

In Nome della Santissima Trinità.

Sua Santità il Sommo Pont. Leone XIII e Sua Maestà fedelissima il Re D. Luigi I, animati dallo zelo di favorire e promuovere un maggior sviluppo delle cristianità nelle Indie Orientali, e di regolare in esse in modo stabile e definitivo il patronato della Corona portoghese, hanno risoluto di fare un concordato, nominando a tale effetto due Plenipotenziarii, cioè per parte di Sua Santità, l'emo e rmo signor Cardinale Lodovico Iacobini, suo segretario di Stato, e per parte di Sua Maestà fedelissima, l'eccmo signor Giovanni Battista da Silva Ferrão de Carvalho Martens, ambasciatore straordinario e ministro di Stato onorario: i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri, e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti:

Art. I. In virtù delle antiche concessioni pontificie continuerà lo esercizio del patronato della Corona portoghese, in conformità dei sacri canoni, nelle chiese cattedrali delle Indie Orientali, secondo le modificazioni espresse nel presente concordato.

Art. II. In quanto alla chiesa metropolitana e primaziale di Goa, l'Arcivescovo proseguirà ad esercitare i diritti metropolitani nelle diocesi suffraganee.

L'Arcivescovo *pro tempore,* per benigna concessione di Sua Santità, sarà elevato alla dignità di Patriarca *ad honorem* delle Indie Orientali, e godrà inoltre il privilegio di presedere ai concilii nazionali di tutte le Indie Orientali, i quali ordinariamente si aduneranno in Goa, salvo al Papa il diritto di disporre altrimente in circostanze particolari.

Art. III. La provincia ecclesiastica di Goa sarà composta, oltre alla sede metropolitana, delle tre diocesi seguenti, cioè: *Damdo,* col titolo anche di *Cranganor, Cochim* e *S. Thomé di Meliapor.*

In foglio separato verranno indicati i limiti ed i luoghi soggetti alle tre diocesi.

Art. IV. Nella diocesi metropolitana di Goa, come nelle tre diocesi suffraganee, il diritto di patronato sarà esercitato dalla Corona portoghese.

Art. V. In vista dei vantaggi che dalla ricostituzione delle stesse tre diocesi, e quindi di una regolare provincia ecclesiastica, potranno derivare a quei fedeli, alcuni dei gruppi principali delle cristianità goane indicati nell'annesso allegato, non compresi nei limiti delle summen-

(1) Vide supra, Conventionem X.

zionate tre diocesi, saranno aggregati a queste, tenendosi ragione degli elementi materiali e morali di omogeneità che ad esse meglio li assimilano.

Nelle missioni goane delle altre diocesi dovrà l'Ordinario affidare di preferenza la cura delle anime a sacerdoti goani o portoghesi da esso dipendenti.

Art. VI. Il governo assume l'impegno di provvedere alla conveniente dotazione delle menzionate diocesi, dei capitoli, del clero e dei seminarii, e coopererà efficacemente all'azione dei Vescovi nel fondare scuole, orfanotrofi ed altre istituzioni richieste dal bene dei fedeli e dalla evangelizzazione dei pagani.

Art. VII. Per le quattro diocesi di *Bombay, Mangalor, Quilon* e *Maduré*, che si erigeranno colla istituzione della Gerarchia nelle Indie, i Metropolitani insieme coi Vescovi suffraganei, nella vacanza delle sedi vescovili, come pure i Suffraganei della provincia nella vacanza della sede arcivescovile, formeranno a loro libera scelta e comunicheranno una terna all'Arcivescovo di Goa, che la rimetterà alla Corona, la quale dovrà presentare dentro sei mesi alla Santa Sede un candidato fra i tre inclusi nella terna; trascorso il quale termine, la libera scelta è devoluta alla Santa Sede.

Art. VIII. Il Sommo Pontefice nominerà per la prima volta gli Arcivescovi ed i Vescovi delle quattre diocesi indicate nel precedente articolo, le quali saranno fondate con la costituzione della ecclesiastica Gerarchia.

Art. IX. Le cristianità di Malaca e Singapour, attualmente dipendenti dalla giurisdizione straordinaria dell'Arcivescovo di Goa, saranno soggette alla giurisdizione del Vescovo di Macao.

Art. X. Regolato per tal guisa il patronato della Corona, in tutto il rimanente territorio delle Indie Orientali la S. Sede godrà piena libertà di nominare i Vescovi e di prendere le determinazioni che crederà opportune a vantaggio dei fedeli.

Art. XI. Modificate ed interpretate per tal guisa le precedenti concessioni relative al patronato della Corona nelle Indie Orientali, rimangono in vigore gli articoli III, IV, V, VI, e l'annesso *A* del concordato del 1857.

Art. XII. Il presente trattato col suo annesso, che forma parte integrante di esso, sarà ratificato dalle alte parti contraenti, e le ratifiche saranno scambiate in Roma dentro tre mesi dalla data delle sottoscrizioni, o prima, se sarà possibile.

Roma, ventitrè di giugno del milleottocento ottantasei.

L. ✠ S.

L. Card. Iacobini.

I. Baptista da Silva Ferrao de Carvalho Martens.

Lo scambio delle ratifiche avvenne nel palazzo del Vaticano ai 7 di agosto 1886.

Annesso all'articolo III
del progetto di concordato.

I.

La chiesa patriarcale metropolitana e primaziale di Goa comprenderà:

1. Tutto il territorio dei possedimenti portoghesi dell'India che oggi le appartengono, eccettuati i distretti di Damâo e di Diu, che resteranno alla diocesi suffraganea di Damâo e titolare di Cranganor, a termini dell'articolo III del presente concordato;

2. Il Canarà settentrionale colle cristianità dell'una e dell'altra giurisdizione che lo compongono e che sono attualmente le seguenti:

Di Sadashigor,
Di Sunkerry,
Di Karwar,
Di Ankola colle cristianità di Bingi, Chindierro, Bollingolly, Yellopor,
Di Sircy,
Di Honowar colle cristianità di Kiroly, Boteul, Ferquembat,
Di Chandowar e Coomptà,
Di Golmuna colle cristianità di Sounxim, Munkim e Baitur,
costituenti così il territorio diocesano non interrotto sottoposto alla giurisdizione ordinaria di Goa;

3. Le cristianità in questa circoscrizione che presentemente sono di altra giurisdizione, restano soggette alla giurisdizione ordinaria di Goa.

II.

La diocesi di Damâo e titolare di Cranganor ora eretta, in virtù dell'articolo VII del concordato del 21 di febbraio del 1857, resterà così composta:

NUMERO PRIMO.

1. Dei distretti di Damâo e di Diu, attualmente della giurisdizione ordinaria dell'archidiocesi di Goa;

2. Della parte del distretto di Broach al sud del fiume Norhadda e del distretto di Surrat;

3. Del distretto del Kenkam settentrionale;

4. Dell'attuale territorio (varado) delle isole di Salcete e Trombay;

5. Dell'attuale territorio (varado) di Baçaim,

costituenti così il territorio diocesano non interrotto soggetto alla giurisdizione ordinaria della diocesi.

6. Restano eccettuate le cristianità e stabilimenti seguenti, oggi soggetti alla giurisdizione del Vicario Apostolico:

nel distretto di Surrat, le chiese e parrocchie di Surrat e Bulsar;

nelle isole di Salcete e Trombay, le chiese e parrocchie intiere di Marolis, e di Maucy nell'isola di Trombay, oggi già appartenenti alla giurisdizione del Vicario Apostolico, cogli stabilimenti della medesima giurisdizione che attualmente le appartengono;

nel Bandorà, la chiesa attualmente soggetta alla giurisdizione del Vicario Apostolico collo Stanislau's Institute e S. Joseph's Convent, che già attualmente le appartengono, e di più le chiese di Iuven, Condotina e Culven, che egualmente appartengono alla giurisdizione del Vicario Apostolico.

7. Per evitare qualsiasi confusione, resta dichiarato che negli attuali distretti (varados) n. 4 e 5 di Salcete e Baçaim seguono a restar soggetti alla giurisdizione ordinaria della diocesi di Damâo tutte le cristianità che attualmente lo sono alla archidiocesi di Goa, non essendo attualmente soggette a questa giurisdizione le cristianità che già rimangono eccettuate sotto il n. 6.

NUMERO SECONDO.

Rimarranno egualmente assegnate alla diocesi di Damâo tutte le cristianità colle loro chiese, cappelle e stabilimenti dipendenti, beni e rendite nella città ed isola di Bombaim attualmente soggetta alla giurisdizione dell'Arcivescovo di Goa, che per maggior chiarezza si annoverano qui appresso:

1. Di Mazagâo colla chiesa e stabilimenti che gli appartengono, e cappella di S. Francesco Saverio in Colaba, e gli stabilimenti che gli sono dipendenti;

2. Di S. Francesco Saverio di Dalbul;

3. Di Cavel (N^a^. S^a^. della Solidade) e cappella in Lonpoor;

4. Del Mahim superiore (S. Miguel) colla cappella del Buon Consiglio in Sion e scuola che le appartiene;

5. Del Mahim inferiore (N^a^. S^a^. da Salvaçao) colle cappelle di Matenga e di Parel, collegio e scuole annesse.

III.

La diocesi di Cochim suffraganea di Goa resterà così circoscritta, comprendendo:

NUMERO PRIMO.

1. la città di Cochim con tutte le sue cristianità, chiese cappelle e qualunque altro stabilimento dipendente;

2. le seguenti circoscrizioni colle cristianità dell'una e dell'altra giurisdizione che loro appartengono:

Mattanchery e Amarambady (giurisdizione dell'Arcivescovo e del Vicario Apostolico),

Pallarutti (giurisdizione del Vicario Apostolico),

Idacochi Arus, Punuguto e Perumpadippu,

Manascherry S. Luigi,

Manascherry S. Michele,

Caunnamalé,

Candacadavuy,

Combalananguy,

Chellanam S. Sebastiano,

Chellanam S. Giorgio,

Pollitodu,

Truvine (giurisdizione del Vicario Apostolico e dell'Arcivescovo),

Manacudam e Toreur,

Pallipuram,

Bendurti e Tevere,

Tanghi,

Arthungal S. Giorgio,

Arthungal S. Andrea e Mararicolam e Chetti,

Mararicolam (giurisdizione dell'Arcivescovo di Goa),

Kattur (giurisdizione dell'Arcivescovo),

Aleppi (giurisdizione dell'Arcivescovo e del Vicario Apostolico),

Vattalunyhal (giurisdizione dell'Arcivescovo),

Pungavu (giurisdizione del Vicario Apostolico),

Tumboly (giurisdizione dell'Arcivescovo e del Vicario Apostolico).

NUMERO SECONDO.

Nell'attuale Vicariato Apostolico di Kilon le seguenti cristianità:

1. Aravola,
2. Caringolam,
3. Pontorré,
4. Tutur,
5. Waliatowe,
6. Velli,

comprendendo tutte le chiese, cappelle, stabilimenti, beni e rendite che presentemente loro appartengono.

IV.

La diocesi di S. Thomè di Meliapor, suffraganea di Goa, resterà così circoscritta:

NUMERO PRIMO.

1. la città di S. Thomè di Meliapor con tutte le sue cristianità dell'una o dell'altra giurisdizione, e quelle del Monte S. Thomè, chiese, cappelle e qualsiasi stabilimento dipendente, e in

Palavaram,

Cavelung e Chinglepett; avendo per limiti all'est il golfo di Bengala, a nord le strade dette Edward Elliot's Road e S. George's Cathedral Road, all'ovest la strada che conduce da Madras a Congeveran fino al fiume Balar, al sud il fiume Palar fino al mare, rimanendo così tutto il territorio diocesano continuo;

2. nell'attuale Vicariato Apostolico del Maduré, con

le cristianità dell'una e dell'altra giurisdizione, comprendendo tutte le sue chiese, cappelle e qualsiasi altro stabilimento dipendente situato nei distretti di

Tangiore,

Rigapatam, e di

Manargudi,

avendo per confini, ad est il golfo di Bengala, a nord i fiumi detti Vettar e Vemar, ad ovest ed a sud i limiti dei distretti di Tangiore, Manargudi e Nizagapatam, constituendo così tutto il territorio diocesano continuo.

NUMERO SECONDO.

1. in tutte le cristianità, chiese, cappelle e in ogni sorta di stabilimenti dipendenti con tutti i loro beni e rendite in Calcutta e Dacca, o Daka, soggetti presentemente al Vicariato generale portoghese di Bengala, e che per maggior chiarezza qui si annoverano:

Di Boitakanak nella città di Calcutta,

Di Chinzurak,

Di Boudel nel distretto di Hoogly colle scuole dipendenti,

In Dacca, o Daka, le cristianità di Dacca (Nª. Sª. della Pietà),

Di Tesgâo (Nª. Sª. del Rosario),

Di Nagory (S. Nicolò da Tolentino),

Di Hosnabad (Nª. Sª. del Rosario) colle cristianità che loro sono presentemente annesse e dipendenti,

Di Shibpur (Nª. Sª. della Guida) parimenti colle cristianità che sono a questo presentemente annesse e dipendenti;

2. nelle cristianità colle loro chiese e cappelle attualmente soggette esclusivamente alla giurisdizione dell'Arcivescovo di Goa, e site nell'attuale Vicariato Apostolico del Maduré.

Quanto ai piccoli villaggi che attualmente sono soggetti alle due giurisdizioni, i due Ordinarii di S. Thomé e del Maduré proporranno equitativamente alla risoluzione della Santa Sede e del Patrono, a quale delle due giurisdizioni dovranno essi appartenere nell'avvenire.

V.

Sebbene già sia stato dichiarato, tuttavia per maggior chiarezza ed a fine di evitare qualunque dubbio nel futuro, si dichiara che tutte le volte che in questo annesso si tratta di cristianità, s'intende che comprendonsi tutte le chiese, cappelle e qualunque altro stabilimento annesso o dipendente, con tutti i loro beni e rendite.

Avrà luogo un compenso per tutti i beni proprii del Portogallo o dei Vicarii Apostolici nei luoghi che sono reciprocamente ceduti. Questi affari saranno regolati dai Vescovi e Vicarii Apostolici rispettivi, che ne riferiranno alla Santa Sede ed al Governo Portoghese.

Roma, ventitrè di giugno del milleottocento ottantasei.

L. Card. Iacobini.

I. Baptista da Silva Ferrao de Carvalho Martens.

LITTERAE REVERSALES.

A

Nota dell'Eccmo Mons. Sostituto della segreteria di Stato al sig. Ambasciatore di S. M. F. il Re di Portogallo.

9 marzo 1887.

Il sottoscritto Sostituto della segreteria di Stato in risposta alla nota 20 dicembre 1886 dell'Ambasciatore di Sua Maestà fedelissima, colla quale esso dimandava a Sua Santità alcune concessioni, perchè si possa più convenientemente eseguire il nuovo concordato del 23 giugno 1886 per la continuazione ed esercizio del real patronato portoghese nelle Indie Orientali, partecipa al medesimo signor Ambasciatore quanto segue. Il Santo Padre, avendo preso nella più matura considerazione le premure del Governo portoghese, e volendo nella Sua benignità assecondarle fin dove gli è possibile, facendo così manifesta la sua paterna sollecitudine verso il regno fedelissimo, si è degnato fare seguire il concordato felicemente stipolato il 23 giugno 1886 dalle seguenti dichiarazioni:

1. In quanto all'archidiocesi di Goa, continueranno ad essere ad essa riunite l'antico *Varado* di Saint Wary come lo è attualmente, e la chiesa di Nostra Signora della Concezione della città di Poonah.

2. In quanto alla diocesi di Meliapor, continueranno egualmente ad esservi unite le cinque seguenti chiese di Madras, cioè le chiese
di Nostra Signora del Refugio,
di Nostra Signora dell'Assunzione,
di S. Giovanni,
di S. Antonio di Rayapuram,
del S. Cuore di Gesù di Padupeth.

E poi sono anche giunti a Sua Santità dei ricorsi perchè nella regolarizzazione delle chiese di Madurè, le quali appartengono al patronato portoghese, si eviti per quanto è possibile la continuazione della doppia giurisdizione; la Santità Sua, considerando che nel concordato si è avuto specialmente in mira di apportarvi rimedio secondo le circostanze, e considerando essere conveniente di stabilire fin d'ora i principî che debbonsi seguire per regolarla, ha convenuto d'accordo col Governo portoghese sui punti seguenti:

1. Che il Governo portoghese, affinchè, per ciò che lo riguarda, la esecuzione del concordato sulle chiese del Madurè sia convenientemente regolata, avrà per regola il principio di evitare la doppia giurisdizione, informandosi allo stesso spirito di armonia che ha presieduto alla intiera organizzazione della gerarchia ecclesiastica nelle Indie.

2. Che il Governo del Portogallo e la S. Sede parteciperanno questo accordo reciproco ai Vescovi respettivi, perchè sia di norma nelle proposte che, a termini del concordato, avranno essi a fare alla S. Sede ed al Portogallo.

3. Che in questa organizzazione il Governo portoghese assume impegno di compensare proporzionatamente d'accordo coi rispettivi Vescovi la concessione fatta delle cinque chiese di Madras sopra enunciate.

E questi principî essendo stati accettati dal Governo di Sua Maestà fedelissima, ne verranno scambiate le respettive note reversali.

✠ M. MOCENNI
Arcivescovo di Eliopoli
Sostituto della segreteria di Stato di S. S.

B

Nota dell' Ambasciatore del Portogallo a S. Eccnza mons. Sostituto della segreteria di Stato.

Roma 15 marzo 1887.

Il sottoscritto Ambasciatore straordinario di Sua Maestà fedelissima presso la S. Sede ha l'onore di accusare ricevimento della nota, del 9 corrente marzo, di sua eccellenza rma monsignor Mocenni sotto-segretario di Stato di Sua Santità, in risposta alla nota dei 20 dicembre passato del sottoscritto, nella quale faceva premure presso il Santo Padre onde ottenere alcune concessioni, perchè potesse più convenientemente eseguirsi il concordato del 23 giugno 1886, per la continuazione ed esercizio del reale patronato portoghese nelle Indie Orientali, e sua eccellenza reverendissima comunica al sottoscritto che Sua Santità avendo preso nella più matura considerazione le premure del Governo portoghese, e volendo nella sua benignità acconsentirvi, fin dove gli è possibile, facendo così manifesta la sua paterna sollecitudine verso il regno fedelissimo, si degnò far seguire al concordato, felicemente stipulato il 23 giu-

gno 1886, delle concessioni e dichiarazioni espresse nella citata nota del 9 marzo.

Il sottoscritto, riconoscendo quanto nella stessa nota è ponderato e disposto, la accetta in tutte le sue disposizioni, ed alla medesima intieramente si conforma, in virtù delle proprie istruzioni, rimanendo per tal modo totalmente terminate le istanze fatte dal Governo di Sua Maestà fedelissima.

Scambiate in questa maniera queste note riversali, rimarranno annesse al rispettivo concordato e con ugual valore per la sua completa esecuzione, come si dichiara nella stessa nota.

Il sottoscritto profitta dell'incontro per ripetere a sua eccellenza rma monsignor Mocenni, sotto-segretario di Stato di Sua Santità, le proteste della sua più alta considerazione.

G. B. da Silva Ferrao de Carvalho Martens.

NOTE RIVERSALI
SULLA DOPPIA GIURISDIZIONE
DI BOMBAY E DAMAO.

A

Nota dell' emo Card. Rampolla a S. E. l' Ambasciatore di Portogallo

Roma 27 febbraio 1890.

Il sottoscritto Cardinale segretario di Stato di Sua Santità si reca a premura di partecipare a sua eccellenza il sig. Ambasciatore straordinario di Sua Maestà fedelissima, che il S. Padre, accogliendo graziosamente le istanze del Governo portoghese e volendo regolare definitivamente l'esercizio del reale patronato nelle Indie Orientali, e dare un nuovo attestato di speciale benevolenza alla nazione portoghese, si è degnato fare le seguenti ulteriori concessioni:

1.

L' Ordinario diocesano *pro tempore* di Damao verrà munito di straordinarie facoltà apostoliche, in virtù delle quali potrà estendere la sua giurisdizione ecclesiastica anche su tutti quei sudditi del patronato, di origine però goana o portoghesi, che da qualunque parte dell'Indie si recassero a risedere nel territorio di Bombay.

Nell' accordare peraltro questa grazia, Sua Santità intende che, sino a tanto che di comune accordo fra la Santa Sede ed il Governo portoghese non si provvederà, come è suo desiderio, a siffatta situazione anormale in modo più conforme alle disposizioni dei sacri canoni ed al bene stesso delle rispettive diocesi, non si dovranno notevolmente alterare, quanto alla popolazione avventizia, le proporzioni oggidì esistenti tra le cristianità della doppia giurisdizione di Bombay e di Damao, nè perturbare la tranquillità e buona armonia che deve regnare fra i rispettivi prelati. A tale effetto Sua Santità vuole che sia compilato il più presto possibile, di comune accordo fra i due Ordinarii di Bombay e di Damao, il catalogo della popolazione che all' epoca del concordato del 1886 era soggetta alla giurisdizione del patronato dentro i limiti della diocesi di Bombay.

Resta poi inteso che questa concessione eccezionale fatta per Damao in vista di speciali considerazioni e fuori delle norme generali del diritto comune, non possa estendersi alle altre diocesi del patronato.

2.

Gli Ordinarii *pro tempore* delle diocesi concordatarie del patronato continueranno ad esercitare la loro giurisdizione sui proprii sudditi, anche nel caso in cui questi passino da una ad altra parrocchia, compresa tanto nel territorio continuo delle rispettive diocesi, quanto nei gruppi aggregati alle medesime. Fuori però di questo caso i sudditi del patronato saranno soggetti alla giurisdizione ordinaria locale per tutto il tempo che vi dimoreranno.

3.

Ogniqualvolta si sentisse il bisogno di edificare nuove chiese, cappelle, scuole ed altri stabilimenti fuori dei territori esenti in mezzo a cristianità sulle quali i Vescovi del patronato esercitano giurisdizione soltanto personale, il Santo Padre si dichiara disposto ad ammettere le istanze che gliene fossero inoltrate, e, tenendo conto dell'aumento di popolazione fra le cristianità soggette al patronato, giudicare se sia il caso di derogare al diritto comune in via di straordinario privilegio. In tal caso i Vescovi del patronato potranno estendere anche sui detti

edifizii la loro giurisdizione territoriale; tranne però questo caso di speciale privilegio apostolico, qualunque edifizio costruito fuori dei territorii *esenti*, ossia delle chiese e dei rispettivi *compounds*, resterà soggetto alla giurisdizione ordinaria locale.

4.

La giurisdizione disciplinare e criminale dei Vescovi del patronato si estenderà pure sopra i loro sudditi, che fanno parte dei gruppi aggregati alle loro diocesi. Tale giurisdizione però non sarà esclusiva, dovendo sempre rimanere salvo il diritto degli Ordinarii locali di correggere e punire i delinquenti nel proprio territorio, a norma delle leggi canoniche.

Nel comunicare quanto precede all'eccellenza vostra, lo scrivente Cardinale profitta di questo nuovo incontro per confermarle i sensi della sua più distinta considerazione.

M. Card. Rampolla.

B

Nota di S. E. l'Ambasciatore di Portogallo all' emo Card. Rampolla.

3 marzo 1890.

(Traduzione)

Il sottoscritto Ambasciatore straordinario di S. M. fedelissima il Re di Portogallo ha avuto l'onore di ricevere la nota dei 27 febbraio di sua eminenza il Card. segretario di Stato di Sua Santità, nella quale sua eminenza comunica al sottoscritto che il Santo Padre, accogliendo benignamente le domande di Sua Maestà fedelissima, e volendo regolare definitivamente l'esercizio del reale patronato portoghese nelle Indie orientali e dare una nuova testimonianza di speciale benevolenza alla nazione portoghese, si degnava accordare le concessioni che si contengono nella nota medesima.

Il sottoscritto, affermando la riconoscenza del Governo di Sua Maestà per la paterna sollecitudine del Santo Padre verso la nazione fedelissima, i cui servigi alla chiesa Sua Santità nella sua superiore giustizia e sapienza ha tanto particolarmente rilevati, accetta la detta nota in tutte le sue disposizioni, alle quali si conforma in virtù delle sue istruzioni, restando per tal modo terminate le domande fatte dal Governo di Sua Maestà fedelissima.

Scambiate così queste note riversali, resteranno annesse al rispettivo concordato e con egual forza per la loro completa esecuzione, come si dichiara nella nota stessa.

Il sottoscritto profitta della nuova occasione per ripetere a sua eminenza il Card. segretario di Stato di Sua Santità le proteste della più alta considerazione.

I. B. da Silva Ferrao de Carvalho Martens.

PRO MADURÈ

ACCORDO DEFINITIVO SUL VICARIATO APOSTOLICO DEL MADURÈ.
1891.

NOTE RIVERSALI

A

Nota dell'emo Card. Rampolla al sig. Ambasciatore di S. Maestà fedelissima il Re di Portogallo.

14 ottobre 1891.

In seguito alle lunghe trattative occorse fra la S. Sede ed il Governo portoghese per l'esecuzione del cap. IV, numero primo § 2, numero secondo § 2, e cap. V dell'annesso all'art. 3° del concordato del 23 giugno 1886 relativamente alla sistemazione definitiva della diocesi di Meliapor di regio patronato e della diocesi di Trichinopoly, ambedue comprese nell'antico Vicariato Apostolico del Madurè, il sottoscritto Cardinale segretario di Stato propone al Governo di S. M. fedelissima un definitivo accordo sulle seguenti basi:

I.

Alla diocesi di Meliapor saranno aggregate 14 chiese matrici, situate nel Madurè e nella costa della Pescaria, colle loro rispettive cristianità, cappelle, beni e stabilimenti. Tali chiese sono distinte come appresso:

1°. Aur - N. S. dell'Assunzione.
2°. Cocurnim - S. Sebastiano.
3°. Dindigall - N. S. del Rosario.
4°. Gurdalle - N. S. del Rosario.
5°. Madurè - N. S. del Rosario.
6°. Malyadipatty - N. S. delle Nevi.

7°. Mutupettah - N. S. della Purificazione.
8°. Manupan - Spirito Santo.
9°. Oriur - Natività.
10°. Punicail - S. Michele.
11°. Trichinopoly - N. S. dei Dolori.
12°. Tuticorin - N. S. delle Nevi (nel collegio Ornellas).
13°. Vaipar - N. S. dell'Assunzione.
14°. Venkadacolan - N. S. del Patrocinio.

II.

Le 14 chiese enumerate nel precedente articolo colle cristianità, cappelle, case e qualunque altro stabilimento loro appartenenti (il tutto però ristretto alla località, ossia dentro il circuito della città o borgata dove si trova ciascuna delle anzidette 14 chiese) saranno soggette esclusivamente alla giurisdizione ordinaria del Vescovo di Meliapor; cessando per conseguenza la giurisdizione straordinaria esercitata sulle medesime dal patronato delle Indie Orientali.

III.

1°. Le chiese colle loro cristianità, cappelle, case, ed altri stabilimenti che dentro le 14 località soprannominate appartengono al Vescovo di Trichinopoly, continueranno ad appartenergli.

2°. Parimenti continueranno ad appartenere al Vescovo di Trichinopoly tutte le chiese, cristianità, cappelle, case ed altri stabilimenti spettanti al patronato portoghese che si trovano fuori delle località anzidette e che erano dipendenti dalle surriferite chiese matrici.

3°. Nessuna compensazione avrà luogo per tutto quello che così è ceduto alla diocesi di Trichinopoly.

IV.

La diocesi di Meliapor avrà per territorio continuo nell'antico vicariato apostolico del Madurè, oltre i tre distretti o *Talugs* di Tanjore, Negapatam e Manargudi (cap. IV, numero primo, § 2 dell'annesso all'art. 3 del concordato), due altri distretti, ossia *Talugs*, che sono Tiruturaipandi e Puttucottah; ambedue nei limiti che hanno attualmente. In tal guisa i confini del territorio continuo della diocesi di Meliapor saranno: all'Est, il golfo di Bengala; al Nord, i fiumi Vettar e Vemar; al Sud, il Zillah o provincia di Madurè e i distretti di Alangudi e di Tirumajam; all'Ovest, il distretto di Kolatur nel regno di Padukata e il Zillah di Trichinopoly. Tutto il resto dell'antico vicariato apostolico del Madurè sarà *territorio continuo* della diocesi di Trichinopoly.

V.

Nei due nuovi distretti o *Talugs* di Tiruturaipandi e di Puttucottah, incorporati in forza dell'articolo precedente al territorio continuo ed esclusivo della diocesi di Meliapor, sono comprese tutte le chiese colle loro rispettive residenze o presbiterii, le cappelle e cristianità che attualmente sono soggette alla giurisdizione del Vescovo di Trichinopoly.

VI.

A maggior dilucidazione dell'articolo II si dichiara che alla chiesa matrice di N. S. dei dolori, di patronato portoghese, esistente nella città di Trichinopoly, continueranno ad appartenere tutte le cristianità attualmente soggette al patronato medesimo che si trovano in quella città, come pure tutte le cappelle e stabilimenti che ivi attualmente sono di loro pertinenza.

Parimente si dichiara che la chiesa matrice di N. S. del Monte di Oriur comprende la cappella, e rispettiva cristianità, denominata del B. Giovanni de Brito e situata dentro quella località.

VII.

1°. Nessun compenso è dovuto dal Governo portoghese per le chiese, cappelle, e loro rispettive residenze o presbiterii, cedute al patronato nei cinque distretti di Tanjore, Negapatam, Manargudi, Tiruturaipandi o Puttucottah, le quali così passano al dominio effettivo ed alla giurisdizione del Vescovo di Meliapor.

2°. Quanto però ai beni proprii delle missioni di Propaganda esistenti nei cinque mentovati distretti, rimane del tutto ferma la disposizione del cap. V dell'annesso all'articolo 3° del concordato.

VIII.

Accettate che sieno siffatte combinazioni dal Governo di Sua Maestà fedelissima e scambiate fra il medesimo e la Santa Sede le relative note riversali, queste avranno immediatamente esecuzione. Per conseguenza il Vescovo di Meliapor entrerà

senz'altro in esercizio della sua giurisdizione sui cinque surriferiti distretti e sulle chiese e missioni, di cui è parola nell'articolo I; e dal canto suo il Vescovo di Trichinopoly entrerà in possesso ed esercizio di tuttociò che gli appartiene, in forza del presente accordo.

Lo scrivente Cardinale in attesa di analogo riscontro contenente l'accettazione delle suindicate basi da parte del Governo portoghese, ha l'onore di raffermarle i sensi della sua più distinta considerazione.

Di vostra eccellenza

M. Card. Rampolla.

B

Nota di S. E. il sig. I. B. da Silva Ferrao de Carvalho Martens all'emo Cardinal Rampolla.

Ambasciata di S. M. fedelissima
in Roma.

(Traduzione)

21 ottobre 1891.

Il sottoscritto Ambasciatore straordinario di S. M. fedelissima il Re di Portogallo ha avuto l'onore di ricevere da sua eminenza il Cardinale segretario di Stato di Sua Santità la nota riversale del 14 corr. ottobre, nella quale per chiudere le lunghe trattative seguite tra la Santa Sede e il Governo di S. M. fedelissima per l'esecuzione del cap. IV numero primo § 2, numero secondo § 2, e cap. V dell'annesso all'articolo terzo del concordato dei 23 giugno 1886, relativamente all'organizzazione definitiva della diocesi di Meliapor del reale patronato portoghese, e della diocesi di Trichinopoly, sua eminenza il Cardinale segretario di Stato propone al Governo di S. M. fedelissima il definitivo accordo sopra le basi e condizioni estesamente comprese nella stessa nota, le quali furono trattate e concordate nelle negoziazioni seguite su tale argomento.

Il sottoscritto, in forza dei poteri speciali a lui conferiti quale negoziatore per il Governo di Sua Maestà fedelissima per accettare integralmente la riferita nota in tutto quello che possa essere o sia indipendente dal Governo di Sua Maestà, l'accetta in tutte le sue disposizioni allo scopo che debba avere esecuzione integrale, restando così scambiate le riferite note riversali, annesse al concordato e facenti parte integrante del medesimo.

Il sottoscritto profitta di questa nuova occasione per reiterare a sua eminenza il Card. segretario di Stato di Sua Santità le proteste della sua più alta considerazione.

I. B. da Silva Ferrao de Carvalho Martens.

XXII.

Conventio inter S. Sedem et Principem Montisnigri - 1886.

In Nome della Santissima Trinità.

S. S. il Sommo Pontefice Leone XIII, e Sua Altezza Nicolò I Principe di Montenegro, per tutelare gli interessi religiosi dei cattolici del principato, hanno risoluto di fare una convenzione, nominando a tale effetto due Plenipotenziarii, cioè: per parte di Sua Santità, l'emo e rmo sig. Cardinale Ludovico Iacobini, suo segretario di Stato, e per parte di Sua Altezza, il sig. cavaliere Giovanni Sundécic', suo segretario particolare: i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri, e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti:

Art. I. La Religione Cattolica Apostolica Romana avrà il suo libero e pubblico esercizio nel Montenegro.

Art. II. Sua Santità, prima di nominare definitivamente l'Arcivescovo di Antivari, parteciperà al Governo la persona del candidato per conoscere se vi siano fatti o ragioni di ordine politico o civile in contrario.

Art. III. L'Arcivescovo di Antivari, alla cui giurisdizione ecclesiastica apparterranno tutti i cattolici del Montenegro, dipenderà negli affari ecclesiastici direttamente ed esclusivamente dalla Santa Sede.

Art. IV. Prima di entrare in funzione l'Arcivescovo di Antivari presterà nelle mani di Sua Altezza il principe del Montenegro il giuramento di fedeltà nella formola seguente: « Io giuro e prometto dinanzi a Dio e sopra i santi Evangeli obbedienza e fedeltà a Sua Altezza il prin-

cipe del Montenegro, prometto di non avere accordo qualsiasi, nè di assistere ad alcun consiglio, nè d'incoraggiare, o lasciar partecipare dal clero a me subordinato a qualsiasi impresa che tenda a turbare la pubblica tranquillità dello Stato ». Il Governo montenegrino gli riconosce il titolo di ***Illustrissimo Monsignore*** e gli assegna un emolumento annuo di ***franchi cinquemila.***

Art. V. L'Arcivescovo di Antivari avrà piena libertà nell'esercizio delle funzioni ecclesiastiche e nel regime della sua diocesi: potrà esercitare tutti i diritti e le prerogative proprie del suo pastorale ministero, secondo la disciplina approvata dalla Chiesa: da lui dipendono tutti i membri del clero cattolico in ciò che riguarda l'esercizio del sacro ministero.

Art. VI. All'Arcivescovo di Antivari spetta, d'intelligenza col Governo montenegrino, l'erezione delle parrocchie. A lui spetta pure la nomina dei parrochi, e se trattasi di persone estranee al principato, procederà d'intelligenza col Governo montenegrino; se poi trattasi di sudditi montenegrini, darà notizia della nomina al detto Governo.

Art. VII. Nelle parrocchie ove non esiste un edifizio pel culto cattolico, l'Arcivescovo si porrà d'accordo colle autorità locali, affinchè possibilmente glie ne sia assegnato uno conveniente.

Art. VIII. L'Arcivescovo, in forza del suo pastorale ministero, dirigerà l'istruzione religiosa della gioventù cattolica in tutte le scuole, e nominerà, d'intelligenza col Governo, un ecclesiastico maestro cattolico per l'istruzione religiosa dei giovani cattolici nelle scuole dello Stato, e questi avrà lo stesso stipendio degli altri maestri. Nelle località, poi, ove la popolazione è esclusivamente o in grande maggioranza cattolica, il Governo nelle scuole dello Stato presceglierà per maestri individui grati all'autorità ecclesiastica.

Art. IX. Il Governo riconosce la validità dei matrimonii fra cattolici e dei matrimonii misti contratti alla presenza del parroco cattolico secondo le leggi della Chiesa.

Art. X. Le cause matrimoniali fra cattolici, eccetto in ciò che riguarda gli effetti civili, saranno giudicate dall'Arcivescovo di Antivari, e nei matrimonii misti, eccetto ugualmente in ciò che riguarda gli effetti civili, il Governo lascia ai coniugi la facoltà di portare le loro cause innanzi al medesimo Arcivescovo.

Art. XI. La formola di preghiera pel Sovrano: ***Domine salvum fac Principem,*** sarà cantata negli ufficii divini in lingua slava.

Art. XII. Per la formazione di giovani montenegrini idonei al sacerdozio cattolico, il Governo montenegrino, di comune accordo coll'Arcivescovo di Antivari, ne sceglierà alcuni dei più meritevoli che saranno inviati a Roma per farvi i loro studii, ai quali passerà pel medesimo scopo un conveniente annuo sussidio.

Nei primi cinque anni dalla data della presente convenzione, questi giovani saranno in numero di due per ogni anno, in seguito sarà uno solo per ciascun anno. Gli stessi giovani saranno obbligati di studiare in Roma anche la lingua Serba.

Art. XIII. Se nell'avvenire sorgerà qualche difficoltà sulla interpretazione dei precedenti articoli, il Santo Padre e Sua Altezza il Principe del Montenegro, di comune intelligenza, procederanno ad una amichevole soluzione.

Art. XIV. La presente convenzione entrerà in vigore immediatamente dopo la ratifica di Sua Santità il Sommo Pontefice Leone XIII e di Sua Altezza il principe del Montenegro Nicolò I.

Roma 18 agosto 1886.

L. Card. Iacobini.
Giovanni Sundécic'.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo nel palazzo Vaticano addì 7 ottobre 1886.

XXIII.

Conventio inter Leonem XIII et Praesidem Reipublicae Columbianae. 1887.

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontif. Leo XIII et Praeses Reipublicae Columbianae excellentissimus dominus Raphael Nuñez in suos respective plenipotentiarios nominarunt:

Sanctitas Sua, eminentissimum d. Marianum Rampolla de Tindaro S. R. E. Card. presbyterum S. Caeciliae suum ministrum a publicis negotiis; et Reipubli-

cae Praeses, excellentissimum dominum Ioachim Ferdinandum Vélez Legatum extraordinarium et administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam. Qui, post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta, de iis, quae sequuntur, convenerunt.

Art. I. Religio catholica, apostolica, romana est religio Reipublicae Columbianae; publica potestas eamdem agnoscit tamquam essentiale elementum quo societatis ordo constat, seseque obstringit eam, prout etiam eiusdem administros, patrocinio suo iuvare ac tutari; illamque in usu et fruitione suorum iurium ac praerogativarum incolumem servare.

Art. II. Ecclesia catholica plena fruetur ac integra libertate et independentia a politica potestate, quapropter haec ulla ratione intercedet quin ipsa suam spiritualem auctoritatem et ecclesiasticam jurisdictionem universam libere exerceat, suaque iuxta proprias leges moderetur et administret.

Art. III. Ecclesiae leges sunt a civili iure discretae, nec huius partem constituunt; at Reipublicae Magistratus illas in honore et reverentia solemniter habebunt.

Art. IV. Status agnoscit Ecclesiam, suis legitimis potestatibus ordinibusque hierarchicis repraesentatam, vere proprieque iuridicam habere personam, et capacitatem utendi fruendique iuribus quae ad ipsam pertinent.

Art. V. Ecclesia iure pollet acquirendi iusto titulo, possidendi libereque administrandi bona tum mobilia tum immobilia ad normam communi iure praefinitam, eiusque acquisitae res et fundationes inviolabiles nihilo secius ac propria civium Reipublicae bona.

Art. VI. Ecclesiae proprietates poterunt publicis subiici vectigalibus aeque ac aliorum civium bona; exceptis tamen aedificiis divino cultui dicatis, seminariis conciliaribus, Episcoporum et parochorum domibus, quae tum a vectigalibus immunia erunt, tum occupari aut aliis usibus addici numquam poterunt.

Art. VII. Clerici tum saeculares tum regulares adigi nequibunt publica obire munera, quae ipsorum sacro ministerio vitaeque institutioni adversentur; insuper a quolibet servitio militari in perpetuum exempti erunt.

Art. VIII. Reipublicae Gubernium fidem suam obligat legibus, quae poenalia iudicia moderantur, ea praescripta conditionesve adponere, quae sacerdotii dignitatem sartam tectam servent, quoties Ecclesiae ministrum criminali processu qualibet de causa implicari contingat.

Art. IX. Locorum Ordinariis, ut et parochis, integrum est exigere a fidelibus obventiones proventusque ecclesiasticos ad canonum normam et ex bono et aequo constitutos, quique sive ex immemoriali consuetudine cuiuslibet dioeceseos causam habent, sive ex opere in sacro ministerio praestito; attamen, ut actus et obligationes ab huiusmodi iurium fonte manantes vim civilibus legibus nanciscantur, et saecularis potestas suam auctoritatem interponat, locorum Ordinarii communicabunt cum Gubernio consilia.

Art. X. Poterunt libere institui, fundarique in Columbiana Republica regulares ordines, religiosaeque sodalitates utriusque sexus, dummodo canonicae eorum erectioni legitima potestatis ecclesiasticae auctoritas accedat. Praefati ordines religiosaeque sodalitates iuxta proprias leges et constitutiones regentur et administrabuntur; attamen, ut iuridica frui valeant persona, et patrocinio ac tutela legum Reipublicae iuventur, civili potestati exhibere tenentur testimonium canonicae veniae a respectiva auctoritate ecclesiastica ipsis tributae.

Art. XI. Sancta Sedes opem cooperationemque Gubernio praestabit ut in Columbiana Republica religiosi ordines constituantur qui charitatis operibus praecipue vacent, missionibus, adolescentium institutioni, instructionique universim, aliisque publicae utilitatis et beneficentiae operibus.

Art. XII. In Universitatibus, collegiis, scholis, aliisque studiorum institutis publica institutio atque instructio ad normam dogmatum, morumque doctrinam Ecclesiae Catholicae conformata ordinataque esse debebit. In his omnibus studiorum facultatibus doctrinae religiosae institutio praecepti res erit, piae etiam catholicae religionis exercitationes in iisdem frequentabuntur.

Art. XIII. Quapropter respectivis locorum Ordinariis ius erit, sive per se sive per speciales delegatos, in praefatis studiorum facultatibus inspicere, nec non libros qui pro textu adhibeantur, revisere quoad ea quae fidei doctrinam morumve spectant. Archiepiscopus Bogotensis li-

bros seu textus designabit qui in Universitatibus legi debeant, ad religionis morumque scientias tradendas; atque, ut uniformis sit harum disciplinarum institutio, idem Archiepiscopus, collatis cum aliis locorum Ordinariis consiliis, libros deliget qui pro textu sint in reliquis publicis Athenaeis. Gubernium cavebit ne in humanioribus litteris aut scientiis, et universim in omnium generum disciplinis tradendis, placita evulgentur quae catholicis dogmatibus et reverentiae ac venerationi erga Ecclesiam debitae adversentur.

Art. XIV. Quod si contingat magistros aut lectores scientiae religionis morumve contra Gubernii edicta et praescriptiones, catholicae doctrinae haud consentanea, docere, poterit loci Ordinarius eisdem docendi potestatem adimere.

Art. XV. Ius Archiepiscopos et Episcopos in vacantibus ecclesiis constituendi est Sanctae Sedi proprium et peculiare. Nihilominus Sanctitas Sua in specialis observantiae argumentum, atque ut inter Ecclesiam et civilem statum pax et concordia servetur, annuit, ut, explorata prius Praesidis Rèipublicae sententia num eligenda persona ipsi accepta sit, provisio sedium episcopalium et archiepiscopalium peragatur. Quapropter, cum sedem aliquam vacare contigerit, poterit Reipublicae Praeses Sanctae Sedi ecclesiasticos illos viros directe commendare, qui iis omnibus dotibus pollere ipsi videantur, quae ad episcopale munus rite obeundum expostulantur. Vicissim Sancta Sedes, priusquam Episcopum quem nuncupet, nomina candidatorum quos provehere animo cogitet, semper Praesidi praesignificabit eum in finem ut dignoscat num is civilis aut politici ordinis causas habeat cur candidatorum personae sint ipsi minus gratae. Curabitur ut vacantium sedium provisio quantocius fiat, quae ultra sex mensium spatium procrastinari nequibit.

Art. XVI. Sancta Sedes novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit; cum Gubernio tamen consilia conferet, eiusdemque aequas reique congruentes animadversiones acceptas gratasque habebit.

Art. XVII. Ut matrimonium eorum omnium qui catholicam religionem profitentur, effectus civiles quoad contrahentium prolisque personas et bona progignat, iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam contractum esse oportebit. Celebrationi officialis a lege statutus aderit eum tantummodo in finem ut matrimonium publicis tabulis continuo inscribat; excipitur tamen casus celebrationis matrimonii in mortis articulo, tum enim, si haud facile impleri queat huiusmodi iuris solemnitas, praetermitti et subsidiariis probationibus suppleri ipsa poterit. Contrahentium cura erit providere ut civilis status officialis celebrationi matrimonii praesens adsit, parochi autem opera in id tantum circumscribitur, ut contrahentibus obligationem, quam civilis lex ipsis imponit, opportune palam faciat.

Art. XVIII. Quod matrimonia attinet quae ad formam in Concilio Tridentino praescriptam quovis tempore celebrata fuerint, quaeque effectus civiles sortiri debent, subsidiariae probationes potissimae habebuntur quae ab auctoritate ecclesiastica promanant.

Art. XIX. Auctoritas ecclesiastica causas quae respiciunt matrimonii vinculum et coniugum cohabitationem, ut etiam sponsalium validitatem, unice cognoscet; civilibus matrimonii effectibus ad iudicem saecularem remissis.

Art. XX. Exercitus Reipublicae exemptionibus gratiisque fruetur, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur, quasque Sanctitas Sua separatim determinabit.

Art. XXI. Post divina officia in omnibus Reipublicae templis sic orabitur: ***Domine, salvam fac Rempublicam; Domine, salvum fac Praesidem eius, et supremas eius auctoritates.***

Art. XXII. Reipublicae Gubernium dehinc perpetuo tamquam publicum status nomen et debitum (vulgo: ***debito consolidato***) agnoscit pretium tum censuum in aerarii beneficium redemptorum, tum etiam bonorum publicatorum (vulgo: ***beni disammortizzati***), quae olim ad ecclesias, pia sodalitia, patronatus, cappellas et instuctionis ac beneficentiae instituta ab Ecclesia administrata pertinebant, quo demum cumque tempore ipsum in publici aerarii nominibus inscriptum fuerit. Huiusmodi nominum sors recognita (vulgo: ***debito riconosciuto***) annuum foenus, quovis onere deducto, trientis cum dimidio reddet, cuius quolibet exacto semestri dies cedat.

Art. XXIII. Redditus qui ex patronatibus, cappellis, sodalitatibus, aliisque privatis fundationibus proveniunt, iis directim addicentur et numerabuntur, qui iuxta fundationum tabulas eosdem exigendi iure polleant, vel ab iis legitime delegatis. Illorum solutio, ut praecedenti articulo cautum est, absque ulla subductione fiet, ab insequenti anno 1888 exordio ducto. Casu quo aliquam ex praedictis fundationibus extingui contingat, praehabitis inter potestatem ecclesiasticam et Gubernium consiliis, proventuum, qui ad illam pertinebunt, pietatis et beneficentiae operibus addictio fiet, quin tamen unquam contra fundatorum voluntatem quidpiam fiat.

Art. XXIV. Sancta Sedes, perpendens praesentem statum aerarii Columbiani, et attenta utilitate quae ex observantia praesentis conventionis in Ecclesiam manat, Reipublicae sequentia remittit et condonat: *a*) Pretium sortis usque adhuc minime recognitae ***(non riconosciuta in verun modo)*** bonorum publicatorum (vulgo: ***disammortizzati***) quae quoad maximam illorum partem ad conventus pertinebant aut sodalitia religiosa utriusque sexus iam extincta, et in praecedentibus articulis haud comprehensa; *b*) Nomina quae debeat ecclesiasticis institutis ob non solutos redditus fructusve quorum dies cessit, aliave de causa ex publicatione oborta usque ad diem XXXI decembris vertentis anni MDCCCLXXXVII.

Art. XXV. In huius beneficii compensationem Columbianum Gubernium semet obstringit aliquam quotannis in perpetuum addicere expeditam pecuniae vim, quae, in praesenti ad centena Columbianorum scutatorum millia constituta, quum aerarii conditio meliori fuerit loco, aeque adaugebitur; quo, ea ratione et modo qui inter summas utrasque potestates ex composito conveniat, ope auxilioque iuvabuntur dioeceses, capitula, seminaria, missiones aliaque id genus opera, quibus Ecclesia gentes ad humaniorem vitae cultum adducit.

Art. XXVI. Religiosi extinctarum sodalitatum, adhuc dum superstites, redditibus frui pergent qui praecedentibus legibus adtributi ipsis fuerunt pro eorum sustentatione aliisque vitae necessitatibus.

Art. XXVII. Pari modo redditus aliaeque assignationes firmae rataeque constabunt antehac adtributae divini cultus manutentioni in ecclesiis, cappellis, aliisque religiosis locis, quorum ratio habita non est in articulo XXII. Casu quo super hoc caput dubia aut difficultates oriantur, Gubernium consilia cum competenti ecclesiastica auctoritate communicabit, ut, quod ad rem sit, decernatur.

Art. XXVIII. Gubernium ecclesiasticis institutis bona publicata ad eadem pertinentia restituet, quae nulli destinata et adtributa usui fuisse deprehendantur. Quorum ubi ignotus sit dominus, vel, in quem impendantur, finis cessaverit, sive sors ex eorum venditione proveniens, sive eorum reditus adsimilibus pietatis et beneficentiae operibus addicentur, prout uniuscuiusque dioeceseos necessitas postulaverit, collatis ea desuper re cum competenti auctoritate ecclesiastica consiliis.

Art. XXIX. Sancta Sedes vicissim publicae tranquillitati consulere cupiens declarat, eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore ecclesiastica bona emerint publice proscripta, aut census in publico aerario redemerint, ad civilium legum tunc temporis vigentium normam, nullo unquam tempore aut modo ab ecclesiastica potestate molestiam habituros. Haec porro remissionis gratia nedum executores huiusmodi actuum comprehendit, verum etiam eos omnes qui in exercitio cuiuslibet muneris eisdem participaverint; ita ut emptores aut mancipes, censuumque redemptores, tum ipsi, tum legitimi eorum successores ab iisve causam habentes, tuto et pacifice ea eorumque emolumenta et fructus sibi habeant. Id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huiusmodi abusivae alienationes nunquam in posterum renoventur.

Art. XXX. Quod coemeteria attinet Reipublicae, Gubernium ex composito cum respectivis locorum Ordinariis operam adhibebit, ut cautiones, quas civicum bonum et publica salus legitime exigit, cum veneratione sacris locis Ecclesiaeque legibus debita socientur. Casu quo sententiae non conveniant, Reipublicae Gubernium negotium pro re nata cum Sancta Sede communicabit.

Art. XXXI. Pacta conventionesque quae inter S. Sedem et Columbiae Gubernium ineantur quoad subsidia et adiumenta ut catholicae missiones penes barbaras tribus in Reipublicae territorio degentes maiora incrementa suscipiant, publicorum comitiorum Reipublicae suffragiis confirmari haud oportebit.

Art. XXXII. Per praesentem conventionem, leges, ordinationes, decreta quolibet modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur; atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. XXXIII. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur infra sex mensium spatium a subscriptionis die, aut citius, si fieri poterit.

In quorum fidem praefati plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae, die 31 decembris 1887.

M. Card. Rampolla.
Ioaquin F. Velez.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo nel Palazzo Vaticano addì 5 luglio 1888.

Conventio additionalis - de foro ecclesiastico - de coemeteriis - de tabulis quibus cives censentur - anno 1892.

In Nomine SS. et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Leo XIII et excellentissimus dominus Carolus Holguin Praeses Reipublicae Columbianae ad praecavendum quodvis dissidium circa forum ecclesiasticum praecipue circa casus quibus aptari debet articulus 8 conventionis initae die 31 decembris 1887, itemque ut plenae executioni tradatur articulus 30 conventionis eiusdem circa coemeteria, atque ut ea quae maxime decent constituantur circa tabulas quibus cives censentur, statuerunt peculiarem conventionem celebrare, cuius rei causa plenipotentiarios duos nominarunt: scilicet Sanctitas Sua, emum et rmum dominum Cardinalem Marianum Rampolla de Tindaro Ministrum suum a publicis negotiis; et excmus dominus Praeses Reipublicae Columbianae, excmum dominum Praefectum exercitus Ioachimum F. Velez Legatum extraordinarium et Ministrum plenipotentiarium Columbiae apud S. Sedem. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta cognitamque eorum propriam et legitimam formam, de iis quae sequuntur convenerunt:

De foro ecclesiastico.

Art. I. Causae civiles virorum ecclesiasticorum et quae respiciunt dominium aliaque iura temporalia ecclesiarum, beneficiorum, aliorumque institutorum ecclesiasticorum, deferentur ad tribunalia civilia.

Art. II. Perspecta temporum ratione, necessitate iustitiae sine mora administrandae, ac carentia idoneorum subsidiorum in tribunalibus episcopalibus, Sancta Sedes non abnuit quominus ad tribunalia a civili potestate constituta deferantur etiam causae criminales ecclesiasticorum ob crimina, quae ad religionem non pertinent quaeque in Reipublicae codicibus puniuntur.

Art. III. Huiusmodi iudicia publica non erunt, hisque aderunt dumtaxat ii quorum munus praesentiam flagitat pro re de qua agitur, testes, periti et ceteri qui pro officii sui ratione necessario debent interesse: insuper proximi cognati, et alii quorum intersit adesse, rogatu eius qui in ius vocatur, assentiente eo iisve qui pro tribunali cognoscunt.

Art. IV. Harum causarum cognitio et iudicatio erit in primo iurisdictionis gradu penes iudices superiores *territorii (quod Districtus dicitur) iudiciarii,* eosve qui horum vices gerunt, absque iuratorum interventu: in altero gradu penes Collegia Iudicum, quae Tribunalia vocantur.

Art. V. Sententias in hisce causis contra ecclesiasticos latas, quae poenam mortis vel afflictationis corporis vel infamiam irrogant, executio non sequetur antequam pateflant Praesidi Reipublicae, nec priusquam Episcopus, cui subest reus ecclesiasticus, peregerit, quantocius fieri possit, ea quae sacri canones agenda praescribunt quum hi casus inciderint.

Art. VI. Nunquam fas erit contra ecclesiasticum sententiam proferre qua ad opus publicum damnetur.

Art. VII. In comprehensione et detentione ecclesiasticorum ratio respectusque habebitur sacri eorumdem characteris. Quum adversus eos processus initietur, ea res Ordinario ad quem reus pertinet nunciabitur, qui tamen nullum iudiciali processui obicem interponet.

Art. VIII. De causis criminalibus, quae forte agentur adversus gubernatores ecclesiasticos diocesium, Vicarios generales, dignitates, Canonicos ecclesiarum cathedralium, iudicium ferent in primo iurisdictionis gradu Tribunalia superiora, in altero vero gradu Curia suprema.

Art. IX. Ab iis, quae modo statuta sunt,

exceptae intelliguntur causae maiores Episcoporum, quae reservatae manent Apostolicae Sedi et tribunalibus ecclesiasticis superioribus, quae de iis cognoscere debent iuxta Sac. Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. V. de Reform. aliaque iuris canonici praescripta. — Idem circa causas Vicariorum Capitularium *durante munere* erit observandum.

Art. X. In omnibus iudiciis, quae ad forum ecclesiasticum pertinent, praebebit civilis auctoritas virium suarum opem et patrocinium suum, ut iudices, in iis causis de quibus eorum iurisdictio est, curare possint observantiam et executionem poenarum et sententiarum quas ipsi pronunciaverint.

Art. XI. Causae civiles et criminales, de quibus in hoc capite sermo est et lis pendet in praesens, devolventur ad iudices et tribunalia, quae hic statuuntur, quicumque demum status sit et iurisdictionis gradus in quo versantur.

Art. XII. Personae ecclesiasticae non cogentur ab iis qui potestatem civilem exercent, iuratae vel iniuratae testimonium ferre de iis factis vel actibus, circa quos iuxta Ecclesiae praecepta arcani lege adstringuntur.

Art. XIII. Neque vero tenebuntur eaedem personae testari in causis sanguinis sine venia superioris, cuius potestati subiiciuntur.

Art. XIV. Archiepiscopi, Episcopi, Gubernatores ecclesiastici, Vicarii capitulares vel generales et Capitulorum ecclesiasticorum dignitates ope testificationis scriptae, iureiurando firmatae, testimonium praebebunt.

De Coemeteriis.

Art. XV. Regula haec generalis constituitur, ut coemeteria omnia quae extant in territorio Reipublicae (iis exceptis, quorum dominium est penes privatos cives vel corpora quae personae loco habentur) tradantur auctoritati ecclesiasticae, quae potestati civili minime obnoxia et administrabit et reget.

Art. XVI. Pariter pro peculiaribus rerum adiunctis, in quibus versantur quaedam coemeteria civitatum Reipublicae, (puta S. Fidei de Bogota, Carthaginis, Mompoxii, et similia) quorum conservatio ingentes ab aerario sumptus poscit, et in quibus plures factae sunt dominii translationes pro privatis civibus, annuit ecclesiatica auctoritas ut eorum administratio oneri sit adhuc potestatis civilis, plenam sibi servans iurisdictionem spiritualem et ius ipsis advigilandi ut serventur ordo et decus locis hisce sacratis debitum, nec non sacrorum canonum praescripta.

Art. XVII. Potestas executiva Reipublicae una cum Ordinariis dioecesium definiet, quaenam coemeteria sint (praeter nuper memorata) quibus supra scripta exceptio aptanda sit.

Art. XVIII. Coemeteria condentur pro cadaveribus quae inhumari nequeunt in loco sacro, praesertim in iis locis ubi frequentiores mortes sunt hominum acatholicorum. Huic usui deputabitur profanus locus a municipiis vel eorum aere praebendus. Ubi vero id fieri nequeat, locus pro hisce coemeteriis obtinebitur, seiuncta et sacris soluta coemeterii catholici parte. Hoc vero coemeterium acatholicum, sepe interposita, ab alio quo fideles utuntur, separatum erit.

Art. XIX. Agnoscit Ecclesia in potestate civili ius advigilandi coemeteriis in iis quae hygienem spectant, proponendi edicta quae *politiae* dicuntur, valetudinis publicae tuendae causa, si insueti casus inciderint, ut puta pestilentiae, non secus ac ius petendi sepulturam in iis casibus, quos communis regula complecti nequit, prouti est e. g. cadaverum derelictio. Item si ratio postulet patrati criminis persequendi, tuendive publici ordinis, vel cuiuscumque conflictus sedandi, patebit aditus ad coemeteria legitimae potestati, cui de iis rebus cura est.

Art. XX. Curabit civilis potestas in hisce omnibus rerum adiunctis ut sibi consentiat ecclesiastica auctoritas, ut omnis absit causa concertationis.

Art. XXI. Ordinarii dioecesani, ut contentiones praepediantur inter parochos et minores magistratus, casus accurate definient in quibus iuxta leges canonicas et Ecclesiae disciplinam deneganda est ecclesiastica sepultura.

De tabulis quibus cives censentur.

Art. XXII. Quo melius necessitatibus peculiaribus prospiciatur civilis ordinis, parochi aliique ecclesiastici, quorum munus est ut habeant et asservent libros in quibus acta describuntur, quae spectant nativitates, matrimonia et obitus, sexto quoquo mense transmittent ad auctoritates vel officiales a Columbiano Gubernio

designatos exemplum authenticum praedictarum tabularum. Verum haec exempla ad probationem adhibenda non erunt, nisi si paroeciales libri deperditi vel corrupti fuerint. In exemplo non comprehendentur acta vel matriculae *(partidas)* quas clam haberi iuxta Ecclesiae leges oportet.

Art. XXIII. Gubernium parochis praebebit modulos seu formulas, quae huc pertinent, quo facilius et magis uniformiter opus peragatur.

Art. XXIV. Si qua in posterum circa vim eorum quae in articulis supra scriptis comprehensa sunt, oriatur difficultas, Sanctitas Sua et excmus dominus Praeses Reipublicae invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. XXV. Ratificationes huius conventionis mutuo tradentur sex mensium spatio, aut citius, si fieri poterit, post diem huic actui adscriptum.

Romae, die vigesima iulii anni millesimi octingentesimi nonagesimi secundi.

M. Card. Rampolla.
Ioaquin F. Velez.

Lo scambio delle ratifiche ebbe luogo nel palazzo Vaticano addì 2 luglio 1893.

Lettera ai rmi Vescovi di Colombia in addizione al convenio addizionale del 1892.

Illme ac Rme Domine.

Prout compertum est Amplitudini Tuae, optante ac postulante Gubernio istius Reipublicae, nuper inter ipsum et Sanctam hanc Sedem est inita Conventio, aut verius enucleatior declaratio nonnullorum capitum Conventionis celebratae an. 1887. Ipsa autem circa quatuor versata est, nimirum Forum ecclesiasticum, Tabulas census, Nundinas, demum Coemeteria. Porro rebus quoad duo priora compositis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII satius duxit ea quae nundinas et nonnulla quae Coemeteria spectant, potius quam Conventioni includere, per epistolam Reipublicae Episcopis deferri et communicari, quaeque hisce adnexa subiicio. Nempe imprimis quod nundinas attinet:

1°. Gubernium spondet ac recipit sese interponere, iis adhibitis rationibus quas e re fore censuerit:

a) ut rerum venialium commercia intermittantur tempore celebrationis Missae Parochialis;

b) ut nundinae, quoad fieri poterit, habeantur in loco qui proxime ecclesiae non sit adiacens.

2°. Episcopi vicissim instructiones Parochis communicabunt, ut parochialis Missa ceteraque divina officia opportuniori hora celebrentur, nec nimis in longum protrahantur, quo fideles facile et commode praeceptum festivum implere queant.

Quod vero spectat Coemeteria:

1°. Episcopi itidem Parochos moneant ut aliquot e fidelibus praestantes et probatos viros socios sibimet adsciscant in reditunm administratione.

2°. Quaestus et proventus qui ex Coemeteriorum administratione obvenire contingat, eorumdem conservationi et ornatui unice applicentur.

Haec pro meo munere Amplitudini Tuae significans, libenter obsequentis animi mei sensus testor.

Romae, 3 iulii 1893.

Addictissimus
M. Card. Rampolla

XXIV.

Pacta adstipulata cum Angliae Regina pro Melita.

A

DE MATRIMONIIS.

a)

Decretum S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae.

Die XII ianuarii anno MDCCCXC.

Ad dirimendas quascumque controversias circa validitatem matrimoniorum, quae in insula Melitensi contrahuntur, SSmus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, haec quae sequuntur pro apostolico suo munere statuit decernenda:

1°) Matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus qui catholicam profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholi-

cus, alter heterodoxus, valida non esse nisi celebrata fuerint iuxta formam a Sacro Concilio Tridentino praescriptam in C. 1 *Tametsi* sess. 24 de Ref. Matrim.

2°) Eos vero qui diversum a catholico cultum profitentur, valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent: dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

† Dominicus
Archiep. Thessalonic. Secr.

b)

Nota dell'emo Card. Segretario di Stato a S. E. il Sig. Generale Simmons, Ministro plenipotenziario ed Inviato Straordinario di S. M. la Regina d'Inghilterra, intorno alla celebrazione dei matrimonii in Malta.

17 gennaio 1890.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato ha richiamata l'alta attenzione di Sua Santità sulla domanda inoltrata da Vostra Eccellenza in nome del Governo Inglese intorno alla validità dei matrimonii celebrati a Malta, nei quali o ambedue i contraenti non professano la religione cattolica, ovvero appartenendo uno di essi a questa religione, l'altro professa diverso culto.

Sua Santità volendo secondare queste istanze dirette a togliere ogni dubbiezza sulla validità di tali unioni ed eliminare gli inconvenienti che potrebbero derivarne, dichiara:

1°) Che i matrimonii celebrati a Malta da tutti coloro che professano la religione cattolica, sieno ambedue i contraenti cattolici, sieno l'uno di essi cattolico e l'altro acattolico, non sono nè saranno validi, se non quando fossero stati celebrati secondo la forma prescritta dal Concilio di Trento.

2°) Che coloro i quali professano altro culto religioso, potranno validamente unirsi in matrimonio senza bisogno di osservare la forma Tridentina.

La legislazione che in conformità di queste dichiarazioni sarà per applicare a Malta il Governo di Sua Maestà Britannica, onde regolare gli effetti civili dei matrimonii ivi celebrati o da celebrarsi, non incontrerà verun ostacolo da parte della Santa Sede.

Dopo ciò lo scrivente Cardinale ha l'onore di confermare a V. E. i sensi della sua distinta considerazione.

M. Card. Rampolla.

Nota del Gen. Simmons all'Emo Card. Rampolla.

(Traduzione)

Roma, gennaio 18, 1890.

Il sottoscritto, Inviato Straordinario e Ministro plenipotenziario di Sua Maestà la Regina d'Inghilterra, ha l'onore di accusare ricevimento di una Nota di Vostra Eminenza, colla quale viene informato, che allo scopo di rimuovere ogni dubbio sulla validità dei matrimonii celebrati in Malta nei casi in cui o ambedue le parti non professino la religione cattolica, o una di esse appartenga a quella religione e l'altra professi una religione differente, e ad eliminare gl'inconvenienti che possono sorgere da ciò, Sua Santità il Papa si è degnato di dichiarare:

1°. Che i matrimonii celebrati in Malta da tutti quelli che professano la religione cattolica, sia che ambedue le parti contraenti siano cattoliche, o che una di esse sia cattolica e l'altra non-cattolica, non sono e non possono essere validi, se essi non sono celebrati secondo la forma stabilita dal Concilio di Trento.

2°. Che persone le quali professano un'altra religione, possono validamente celebrare il loro matrimonio senza la necessità di osservare la forma stabilita dal Concilio di Trento.

Il sottoscritto deve informare Vostra Eminenza che il Governo di Sua Maestà Britannica procurerà che un progetto di legge sia proposto nel Consiglio del Governo in Malta, in conformità colle dichiarazioni precedenti, avente per suo oggetto di regolare gli effetti civili dei matrimonii celebrati finora, o che saranno in avvenire celebrati in quell'isola.

Il sottoscritto ecc.

I. L. A. Simmons.

B

Sulla Elezione dei Vescovi.

a)

Nota dell' Emo Card. Segretario di Stato di Sua Santità a Sua Eccellenza il Sig. Generale Lintorn Arabin Simmons Inviato Straordinario Ministro plenipotenziario di Sua Maestà Britannica.

20 marzo 1890.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato ha portato a conoscenza di Sua Santità i desiderii espressigli da Vostra Eccellenza in nome del suo Governo intorno alla nomina dei Vescovi ed altri oggetti ecclesiastici relativi all'isola di Malta, ed ora si reca a grata premura manifestarle che il Santo Padre, dopo aver preso tutto nella dovuta considerazione, volendo raffermare sempre più gli amichevoli rapporti e la buona intelligenza tra la S. Sede ed il Governo di S. M. Britannica, gli ha ordinato di comunicare a Vostra Eccellenza quanto segue:

Primieramente, per quel che concerne il modo di provvedere alle Sedi Vescovili di Malta e del Gozo, Sua Santità tuttochè non possa consentire a che si menomino il diritto di nomina che Le compete e la libertà di azione sulle medesime, è disposta nondimeno ad usare verso il Governo di S. M. tutti quei riguardi e quelle considerazioni che sono compatibili colla integrità di tale diritto e di tale libertà.

Laonde, ogni qual volta piacesse al Governo Britannico di annunziargli officialmente quando avrà luogo la vacanza delle dette Sedi, o quando queste saranno prossime a vacare, il Santo Padre accoglierà volentieri siffatti annunzi officiali, purchè non resti con ciò coartata la sua libertà di prender esso, indipendentemente dalla comunicazione ricevuta, la iniziativa per quelle provvidenze che giudicasse a tal uopo necessarie ed opportune. Del resto, prima di procedere alla nomina officiale dei titolari delle menzionate Sedi, non si ometterà in avvenire dalla Segreteria di Stato di Sua Santità di darne avviso preventivo al Governo inglese, secondo la pratica stabilita. La quale pratica si estenderà ancora ai casi di nomine di Amministratori Apostolici e Coadiutori con futura successione. E poichè il Santo Padre nel provvedere, come è suo dovere, al maggior bene delle anime nell'isola di Malta, salvi i suoi diritti e la sua libertà, null'altra cosa ha maggiormente a cuore che incontrare anche il gradimento del Governo di Sua Maestà, non sarebbe alieno dall'assicurarsene preventivamente non già per via di corrispondenze scritte ed officiali, ma per semplici comunicazioni verbali di carattere strettamente confidenziale e privato, qualora il Governo stesso gliene fornisse il mezzo e l'occasione.

Riguardo al requisito della nazionalità maltese, che si richiederebbe nei soggetti che dovranno essere promossi all'Episcopato, si fa osservare che per deporre ogni preoccupazione in proposito, senza nulla innovare nelle disposizioni di diritto, dovrà bastare al Governo di S. M. la considerazione, che nel fatto la S. Sede confermandosi allo spirito dei Sacri Canoni, giammai destinerebbe a Pastore di una Diocesi chi dovesse riuscire men grato alle popolazioni che gli venissero affidate.

Quanto alla dichiarazione che sarà per fare il Governo di S. M. che qualunque comunicazione risguardante gli affari spirituali ed ecclesiastici tra i Vescovi, il Clero e il popolo da una parte e la Santa Sede dall'altra, non dipenderà punto dal consentimento di esso Governo, ma sarà intieramente libera (dichiarazione, che trovasi in piena armonia con quel sistema politico che tanto onora il Governo di S. M.), il Santo Padre la riceverà con tutta soddisfazione, riconoscendo in tale libertà una delle condizioni indispensabili alla vita della Chiesa. Quanto però alla comunicazione che si richiede dei documenti pontificii di pubblico interesse e destinati alla pubblicità, questa potrà aver luogo in quelle materie in cui la S. Sede costuma praticarla e nella forma strettamente confidenziale ed amichevole della quale si è fatta sopra menzione.

Dopo ciò, lo scrivente Cardinale ha l'onore di confermare a Vostra Eccellenza i sensi della sua distinta considerazione.

M. Card. Rampolla.

b)

Nota di Sir L. Simmons al Card. Rampolla.

Roma, marzo 26, 1890.

Il sottoscritto, Inviato Straordinario e Ministro plenipotenziario di Sua Maestà

la Regina della Gran Brettagna ed Irlanda ed Imperatrice d'India, ha l'onore di accusare ricevimento d'una Nota di Vostra Eminenza del 20 marzo, nella quale egli viene informato rapporto alla nomina dei Vescovi ed altre materie ecclesiastiche relative all'isola di Malta, che il S. Padre dopo aver preso ogni cosa nella dovuta considerazione, desiderando stringere ognor più le relazioni amichevoli e la buona intelligenza fra la Santa Sede ed il Governo di Sua Maestà Britannica, aveva ordinato a Vostra Eminenza di comunicare al sottoscritto quanto segue:

1. Per quel che concerne la maniera di provvedere per le Sedi Vescovili di Malta e di Gozo, Sua Santità, sebbene non può consentire che il dritto di nominare chi egli sceglie e la sua libertà d'azione relativa alle dette sedi sieno diminuiti, è nondimeno disposto a trattare il governo di Sua Maestà con tutto quel riguardo e considerazione che sono compatibili coll'integrità di quel dritto e con quella libertà. Quindi, ogni volta che al Governo Britannico piacerà di annunziare a Sua Santità, officialmente, che una vacanza nelle dette sedi ha avuto luogo o è probabile, il Santo Padre accoglierà volentieri questi annunci officiali, purchè riservi per sè, non ostante qualsiasi comunicazione che possa aver ricevuta, piena libertà di prendere l'iniziativa negli accomodamenti che possa considerare necessari ed opportuni nel caso.

Quanto al resto, prima di procedere alla nomina officiale dei Titolari delle dette Sedi, il Segretario di Stato di Sua Santità non ometterà, in avvenire, di dare notizia previa della stessa al Governo Inglese conforme alla pratica stabilita. Tal pratica sarà anche estesa alla nomina degli Amministratori Apostolici e Coadiutori con futura successione; e siccome il S. Padre, nel provvedere, com'è suo dovere, per il maggior bene delle anime dell'Isola di Malta, essendo assicurati i suoi diritti e la sua libertà, nulla ha maggiormente a cuore che quella sua azione possa anche essere gradita al Governo di S. Maestà, Egli non sarà alieno d'assicurarsi di ciò previamente, non peraltro per iscritto o con corrispondenza officiale, ma con semplici comunicazioni verbali di carattere strettamente privato e confidenziale, ogni volta che il Governo stesso gliene fornisca i mezzi e l'occasione.

In riguardo a quanto sopra, il sottoscritto è autorizzato a dichiarare che il Governo di Sua Maestà non ha alcuna intenzione che i diritti del Papa e la sua libertà d'azione riguardo alle nomine alle Sedi vacanti di Malta e di Gozo siano menomamente diminuiti. Il Governo di Sua Maestà, nondimeno, essendo desideroso che una piena intelligenza sia stabilita e che niuna causa di differenza possa sorgere che ponga, sebben parzialmente, l'influenza dei due poteri in antagonismo l'uno contro l'altro negli animi del popolo, accetta con soddisfazione la dichiarazione di Vostra Eminenza: cioè a dire, che prima di procedere a qualsiasi nomina proposta ad una delle dette sedi, il Segretario di Stato di Sua Santità non ometterà di dare sufficiente notizia di ciò, conforme alla pratica stabilita; e che il Santo Padre nel provvedere al maggior bene delle anime dell'Isola di Malta, i suoi diritti e la sua libertà essendo assicurati, non avendo nulla maggiormente a cuore in tali nomine che d'incontrarsi coi desideri del Governo di Sua Maestà, si assicurerà di ciò previamente con comunicazioni verbali di carattere strettamente confidenziale e privato, ogni volta che il detto Governo gliene fornirà i mezzi e l'occasione. Il Governo di Sua Maestà osserva anche con molta soddisfazione che il S. Padre stesso ha estesa questa dichiarazione alla nomina degli Amministratori Apostolici e dei Coadiutori con futura successione.

2. Riguardo alla dimanda del sottoscritto che le persone da promuoversi all'Episcopato siano di nazionalità Maltese, accetta con soddisfazione l'assicurazione che la Santa Sede non porrà mai come pastore delle Diocesi di Malta e di Gozo un ecclesiastico il quale non sia accetto al popolo affidato alla sua cura.

3. Il sottoscritto è autorizzato a dichiarare che il Governo di Sua Maestà non ha alcun desiderio che qualsiasi comunicazione riguardante affari spirituali ed ecclesiastici fra il Vescovo, il clero ed il popolo di Malta da una parte e la Santa Sede dall'altra, possa dipendere, anche menomamente, dal consenso di detto Governo, ma debba essere completamente libera; ed è lieto che il Santo Padre riceva questa dichiarazione con piena soddisfazione, come quella che è in piena armonia col sistema politico che fa tanto

onore al Governo di Sua Maestà. Il Governo di Sua Maestà riceve con soddisfazione l'assicurazione che la Santa Sede comunicherà al Governo di Sua Maestà i documenti pontificii di pubblico interesse destinati per la pubblicità nella forma strettamente confidenziale ed amichevole di cui è stata fatta menzione di sopra.

Il sottoscritto prende etc.

I. L. A. Simmons.

C

Sull' Educazione del Clero.

a)

Nota dell' Eñio Card. Segretario di Stato di Sua Santità a Sua Eccellenza il Sig. Generale Lintorn Arabin Simmons, Inviato Straordinario Ministro plenipotenziario di Sua Maestà Britannica.

22 gennaro 1890.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato, in seguito alle conferenze tenute con Vostra Eccellenza, avendo richiamata l'alta attenzione di Sua Santità sui desiderii esternatigli da parte del Governo Inglese relativamente al Seminario di Malta, ha ora l'onore di manifestarle in modo più preciso quali sieno le disposizioni di Suà Santità a tal riguardo.

Innanzi tutto ha il piacere di dichiarare a V. E. che il divisamento di rialzare la istruzione del Clero Maltese entra pienamente nelle vedute di Sua Santità.

Il Santo Padre trova inoltre ragionevole che il Clero Maltese riceva una educazione adatta alle condizioni speciali dell'isola, tale, cioè, che lo metta in grado di esercitare con prestigio e con frutto il suo ministero non solo presso le classi inferiori del popolo, ma altresì presso le classi più elevate della società, e di mantenere convenevoli rapporti colle autorità governative e coll'elemento avventizio di origine inglese. - I miglioramenti però che a tal uopo si avrebbero ad introdurre dovrebbero essere graduali, a misura, cioè, dei mezzi di cui si potrebbe disporre.

Volendo nondimeno il Santo Padre fin da ora dar prova di deferenza al Governo inglese, è disposto a far sì che sia resa comune tra i chierici la conoscenza della lingua inglese, e che per riuscire a questo intento la lingua inglese sia adoperata nell'insegnamento della geografia, della storia, dell'aritmetica e delle matematiche. Si studierà ancora che il Rettore del Seminario di Malta, oltre le qualità di cui è duopo sia fornito per l'adempimento del suo còmpito, sia maltese di origine ed in ogni modo soggetto alla dominazione inglese. Ove poi il Governo locale somministrasse i mezzi necessarii pel mantenimento di alcuni Padri e Maestri inglesi, sarebbe facile ad adottarsi fin da ora questa ulteriore misura.

Per condurre tutto ciò ad effetto Sua Santità fa assegnamento sulle intenzioni manifestatele dal Governo inglese di rinunziare dal canto suo alla collazione di beneficii ecclesiastici ritenuti di patronato, consentendo che, a misura che essi venissero a vacare, la Santa Sede possa sopprimerli ed applicarne le rendite in vantaggio della educazione dei giovani chierici, come anche di destinare allo stesso scopo una conveniente porzione da determinarsi dei beni appartenenti alla Grotta di S. Paolo.

Nella fiducia che le sovrannunziate disposizioni di Sua Santità saranno per riuscire gradite al Governo di Sua Maestà Britannica, lo scrivente Cardinale ha l'onore di rinnovare a V. E. i sensi della sua distinta considerazione.

Roma, li 2 gennaro 1890.

M. Card. Rampolla.

(b)

Nota di S. E. il Generale Lintorn Arabin Simmons, Inviato Straordinario e Ministro plenipotenziario di Sua Maestà Britannica all' Eñio Card. Segretario di Stato.

(Traduzione)

Roma, 22 gennaio 1890.

Il sottoscritto, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Regina di Inghilterra, ha l'onore di accusare il ricevimento di una Nota di Vostra Eminenza, in data di oggi, dalla quale apprende che il Santo Padre trova ragionevole che la educazione da impartirsi al Clero maltese sia conveniente alle condizioni speciali dell'Isola di Malta, vale a dire che possa porlo in grado di esercitare le sue funzioni con *prestigio* e vantaggio non solo nelle classi basse del po-

polo, ma similmente nelle classi più alte della società, e di conservare le debite relazioni colle autorità governative e con l'eventuale (avventizio) elemento di origine inglese.

Vostra Eminenza inoltre mi fa conoscere che il S. Padre, desiderando fin da questo momento di dare una prova di deferenza al Governo Inglese, è disposto a far sì che la cognizione della lingua inglese sia diffusa nel Clero, ed, in vista di conseguire questo fine, a fare in modo che la lingua inglese venga adottata nell'insegnamento della geografia, della storia, aritmetica e matematica, e che procurerà di far sì, che il rettore del seminario oltre al possedere le qualifiche che lo rendano atto al disimpegno dei doveri annessi al suo officio, sia di origine maltese e, comunque siasi, suddito britannico.

Volonteroso di dar prova del suo desiderio di aiutare le intenzioni espresse dal S. Padre, di migliorare la educazione del Clero Maltese, e specialmente di far sì che sia questo istruito nella lingua inglese e versato nelle inglesi istituzioni, il Governo di Sua Maestà sarà pronto a cedere la collazione di certi benefizii ecclesiastici in Malta, ed a consentire a che, a misura che vachino, la Santa Sede possa sopprimerli ed applicarne le rendite a pro della educazione nel seminario, confidando che il rettore del seminario stesso oltre all'essere abile al disimpegno dei doveri annessi al suo officio, inclusavi la sorveglianza della istruzione in lingua inglese, sia di origine maltese, o, in ogni modo, suddito britannico.

Il sottoscritto peraltro deve lasciare la determinazione dei particolari benefizii da sopprimersi, come particolarità, alla futura considerazione del Governo e delle autorità ecclesiastiche in Malta.

Profitta poi di questa opportunità per rinnovare alla Eminenza Vostra etc.

SIMMONS.

XXV.

Pacta adstipulata inter S. S. et gubernium Reipublicae Gallicanae pro Tuneto - a. 1893.

I.

Nota diplomatica dell' Eñio Card. Segretario di Stato a S. E. l'Ambasciatore di Francia.

Dalle Stanze del Vaticano
li 7 Novembre 1893.

Avuto riguardo alla speciale situazione in cui si trova la Reggenza di Tunisi sotto il Protettorato della Francia e volendosi dare alla Diocesi di Cartagine, che è compresa in quel territorio, una sistemazione più conforme al nuovo ordine di cose, ivi stabilito, tra la Santa Sede ed il Governo della Repubblica Francese, è stato conchiuso il seguente accordo, il quale durante il protettorato anzidetto sarà da ambe le parti costantemente osservato:

Art. I. l'Arcivescovo di Cartagine sarà nominato dal Sommo Pontefice, previo accordo col Governo Francese.

Art. II. Il Governo Francese continuerà a somministrare una speciale sovvenzione annua all'Arcivescovo di Cartagine, come al defunto Cardinale Lavigerie (1).

Lo scrivente Cardinale Segretario di Stato nel manifestare a Sua Eccellenza il Signore Ambasciatore di Francia il consentimento della Santa Sede al menzionato accordo, ha l'onore di confermargli i sensi della sua alta considerazione.

M. Card. RAMPOLLA.

II.

Nota diplomatica di S. E. l'Ambasciatore di Francia all' Eñio Card. Segretario di Stato di Sua Santità.

Ambassade de France près la S. Siége.
Rome, le 7 novembre 1893.

Considérant la situation spéciale dans laquelle se trouve le Régence de Tunis sous le Protectorat de la France, et, afin de donner au Diocèse de Carthage, qui est compris dans ce territoire, une organisation plus conforme à l'ordre de choses ainsi établi, le Gouvernement de la République Française et le Saint-Siége ont conclu l'accord suivant, qui, pendant la durée du dit Protectorat, sera constamment observé par les deux parties.

(1) L'assegno annuo è fissato in franchi 75 mila.

Art. I. L'Archevêque de Carthage sera nommé par le Souverain Pontife après accord avec le Gouvernement Française.

Art. II. Le Gouvernement Français continuera d'allouer une subvention spéciale annuelle à l'Archevêque de Carthage, comme a feu le Cardinal Lavigerie.

Le soussigné, Ambassadeur de France près la Saint-Siége, en faisant part à Son Eminence Monsieur le Cardinal Secrétaire d'Etat de l'adhésion du Gouvernement de la République à l'accord ci-dessus, a l'honneur de lui renouveler les assurances de sa haute considération.

ED. LEFEBVRE DE BÈHAINE.

INDICES

HUIUS SEPTIMI VOLUMINIS

INDEX

ROMANORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA
IN HOC APPENDICIS VOLUMINE CONTINENTUR

INDEX INITIALIS

INDEX RUBRICARUM

CLEMENS PP. IX.

CLEMENS PP. X.

III. Ad fidei incrementum Annam, Congi reginam viduam, hortatur. 78.

IV. Mariae, reginae Congi, delata filialis devotionis testimonia, benigno animo excepta esse renuntiat, eamdemque ad fidei incrementa in illis partibus promovenda hortatur. Ibid.

V. Petrum, regem Congi, ob zelum quo fidem ac missionarios fovet, laude prosequitur, eique per fr. Franciscum Ticinensem regiam coronam ac precatoriam coronam, indulgentiis ditatam, dono mittit. 79.

VI. Regem Aethiopiae, ut, genitoris sui praedefuncti salutari proposito inhaerens, catholicam religionem profiteri, sinceramque cum Rom. Ecclesia unionem inire velit, et Iosephum a Ierusalem, ad ipsum a Pontifice allegatum, benigne audiat, enixe adhortatur. 80.

VII. Cassationem indicit canonis, cum dismembratione consentiente Card. Otthobono, Abbate commendatario Sancti Laurentii extra muros, eidem suisque successoribus commendatariis reservati, super vinea in loco, Pariolo nuncupato, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide alias concessa. 84.

VIII. Cardinalem de Tournon durius in Sinis habitum amantissime consolatur, certioremque facit de mediis, quibus pristinam illi securitatem ac libertatem restituere enixe contendit. 87.

IX. Philibertum le Blanc Vicarium Apost. in imperio Sinarum, ibidem acerbe vexatum amanter consolatur. 88.

X. Ludovicum Appiani, in carcere detentum, consolatur. 89.

XI. Obitum piae recordationis Caroli Thomae Cardinalis de Tournon, Macai in Sinarum imperio die VIII. iunii MDCCX. secutum, Cardinalibus communicat, eiusque praeclaris in Ecclesiam, Apostolicam Sedem catholicamque religionem meritis fuse commemoratis, exequias pro suffragio eius animae, in pontificio sacello solemniter celebrandas, indicit. 90.

XII. Novo Aethiopiae regi explicat desiderium, quod illius praedecessor defunctus ostenderat, amplectendi catholicam fidem ac unionem cum S. R. E. De eiusmodi negotio fuse disserit, ipsumque regem, ut pertractatam unionem perficiat, enixe hortatur. 92.

XIII. De natione Aethiopum ad catholicae Ecclesiae sinum ac unitate revocanda sollicitus, eiusdem nationis Archiepiscopum requirit, ut apostolicos missionarios, quos illuc allegare constituerat, humaniter excipere, suoque patrocinio fovere velit. 93.

XIV. Idem argumentum. 94.

XV. Toti Maronitarum nationi denunciat, re mature discussa, depositionem Patriarchae ut nullam et iniustam iudicatam fuisse, nullam pariter abdicationem Patriarchae: hunc proinde restitutum esse in pristinam dignitatem: omnesque hortatur, ut pontificio decreto se subiiciant ac Patriarchae obedientiam exhibeant. 95.

XVI. Concedit omnia privilegia Congregationum Ordinis S. Benedicti Congregationi monachorum Bohemiae illiusque membris in Moravia et Silesia. 96.

XVII. Mentione facta de Ablegati sui missione, Patriarchae Maronitarum facultatem concedit indicendi synodum provincialem, si Ablegatus concordiam inducere nequiverit, in qua synodo controversia inter duos Praesules orta expendatur, his tamen reservata appellatione etiam in suspensivo ad Sedem Apostolicam. 97.

INNOCENTIUS PP. XIII.

I. Commendat Carolum Ambrosium Mediobarbam Patriarcham Alexandrinum Apost. Sedis Legatum in Sinis. 99.

II. Gratulatur Episcopo Macaensi de reditu ad Ecclesiam per absolutionem et dispensationem a Visitatore Apostolico obtentam, eumque hortatur, ut in gregis sui cultum et religionis incrementum alacriter intendat. 100.

III. Laetitiam suam exprimit Episcopo Mirdui, quod unionem cum Ecclesia Romana iniverit, eumque perseverare docens, monet officii episcopalis esse amplificare inter suos eiusdem Ecclesiae fines. 101.

IV. Gratias agit Imperatori Sinarum ob propensionem qua missionarios a sexaginta annis prosequitur. Dolet, quod ei grata non fuerint decreta apostolica iam promulgata: sperat tamen id non impediturum, quominus catholici obtemperare possint legi suae religionis, cuius custodia regibus subiectionem et devotionem subditorum apprime conciliat. Ibid.

BENEDICTUS PP. XIV.

CLEMENS PP. XIII.

PIUS PP. IX.

APPENDIX I.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI ORIENTALIBUS ET LATINIS PRAESCRIPTA

APPENDIX II.

TRACTATUS SEU CONCORDATA DE RE ECCLESIASTICA INITA
INTER S. SEDEM ET CIVILIA GUBERNIA REGIONUM, QUAE IURISDICTIONI
S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE SUBSUNT.

INDEX

DOCUMENTORUM QUAE IN NOTIS VOLUMINIS SEPTIMI INVENIUNTUR

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS PARTIS PRIMAE

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS PARTIS PRIMAE

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

ADMONITIO

Res plerumque sub loci regionisve nomine quaerenda est, quem ad locum ipsa refertur; quae vero ad munus vel ordinem seu professionem attinet, sub huiusce nomine prostat; caeteras ordinatim patefacit verborum series. Numerus romanus volumen, arabicus paginam, asteriscus alteram sexti voluminis partem indicat.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z

INDEX

SUMMORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA HOC OPUS CONTINET

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesgerens.

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS PARTIS PRIMAE

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

QUEM EX MANDATO S. CONGREGATIONIS DIGESSIT

SACERDOS

IOSEPH GARGANO

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCXCVIII.

INDEX ALPHABETICUS

IURIS PONTIFICII

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS PARTIS PRIMAE

RIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

QUEM EX MANDATO S. CONGREGATIONIS DIGESSIT

SACERDOS

IOSEPH GARGANO

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXCVII.

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS PARTIS PRIMAE

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

ADMONITIO

Res plerumque sub loci regionisve nomine quaerenda est, quem ad locum ipsa refertur; quae vero ad munus vel ordinem seu professionem attinet, sub huiusce nomine prostat; caeteras ordinatim patefacit verborum series. Numerus romanus volumen, arabicus paginam, asteriscus alteram sexti voluminis partem indicat.

A

B

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

T

U

V

W

X

Y

Z

INDEX

SUMMORUM PONTIFICUM
QUORUM ACTA HOC OPUS CONTINET

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesgerens.